STEPH· ANTONI MORCELLI

OPERVM EPIGRAPHICORVM

VOLVMEN II.

STEPH· ANTONI MORCELLI

OPERVM EPIGRAPHICORVM

VOLVMEN II·

STEPH· ANTONI MORCELLI

DE STILO

INSCRIPTIONVM LATINARVM

LIBER II·

EDITIO ALTERA AVCTIOR ET EMENDATIOR



PATAVII

TYPIS SEMINARII

AN· M·DCCC·XX·

ELENCHOS LIBRI SECVNDI

DE STILO INSCRIPTIONVM LATINARVM

DE STILO
INSCRIPTIONVM LATINARVM

LIBER II.

QVI EST ΔΙΔΑΚΤΙΚΟΣ

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ

§. 1.

De veteri artificio inscriptionum

1. Est apud Gallos in more positum, quum opera publica aut clarorum virorum tumulos inscriptione insignire opus sit, eam ut petant a collegio illo Parisiensi hominum doctissimorum, quod ab inscriptionibus et litterarum studiis nomen habet (1). atque id eo consilio fieri arbitror, ut illa de quibus posteri etiam judicare debent, eam habeant ab elegantia et doctrina commendationem, quae huic quoque aetati et his studiis laudem aliquam nomenque afferat. quaerebam autem, num et Romani partem aliquam in hanc rem derivassent curae et cogitationis suae; quique tot rerum suarum monumenta publicis privatisque litteris consignarent, num id etiam cavissent, ne quid ex his usquam proponeretur, quod non antea lecti judices comprobassent. ac de collegio quidem ejus cognitionis caussa instituto nulla mihi indicia quaerenti oblata sunt: sed hoc tamen ipsum ita, opinor, obtinuisse dandum est, ut si minus in omnibus monumentis, nihil certe apud eos in operum publicorum frontibus figeretur inscribereturque, quod non aut a viro docto confectum, aut eruditorum judicio probatum esset. nam quis ignorat, quanti olim honorem publicae inscriptionis aestimare viri illi clarissimi solerent? quum etiam inter se magistratus aliquando certarint, ad quem dedicatio novi operis pertineret (2). contentionem ut mittam, quam prope in exordio reipublicae inter Valerium et Horatium Cos. fuisse de dedicatione templi Capitolini, narrat Livius (3); Q. Catulo, cui Capitolii reficiundi curatio data fuerat, honorem eundem, rogatione promulgata, eripere conatus est in praetura Iulius Caesar, ut in Pompejum transferret (4): irrito licet incepto, quum Lutatii Catuli nomen, ut est apud Tacitum (5), inter tot Caesarum opera usque ad Vitellium manserit. quin hoc etiam videmus, qui a senatu impetraverant, ut operibus publicis nomen suum inscriberent, eos delatum ho-

(1) Acad. Inscr. t. 1. p. 324. etc.
(2) Dion. Halic. l. 5. p. 304.
(3) lib. 2. c. 4. n. 8.
(4) Svet. in Iul. c. 15. n. 1.
(5) Hist. l. 3. c. 72.

norem tanti fecisse, ut de ipso senatus consulto posteros aliquando monuerint. testis est Cajus ille Dexius Aedilis Curulis, qui, quum Interamnae Nahartium porticum theatri et cryptam perficienda curasset, in titulo adscripsit QVOI · IN · OPERIBVS · PVBLICEIS · QVAE SVPRA · S· S· EX · S· C· INSCRIPTIO · DATA · EST (1): nimirum haud facile honorem impetrare inscriptionis quisque poterat: quae Sauro etiam Batrachoque Laconibus architectis negata dicitur (2), quum templa Octaviae porticibus inclusa construxissent impensa sua.

Age vero qui jus ponendae inscriptionis tanti facerent, quis eosdem ad ipsam inscriptionem conficiendam, ea praesertim doctorum hominum copia atque auctoritate, aut aliorum ingenio litterisque usos esse, aut suam ipsos facultatem ac diligentiam contulisse non putet? neque sane exempla desunt vel eorum, qui, quum essent ipsi ad litterarum hoc genus rudes, operam et studium egregii scriptoris requisiverunt; vel eorum, qui, quum litterarum gloria florerent, inscriptiones tamen a se confectas non ante proposuerunt, quam aliorum essent judicio comprobatae. ac Decimus quidem Brutus, qui se magis in rebus gerendis, quam in scribendis exercuisset, Accii poëtae carminibus, ut ait Tullius (3), templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum. Cn. vero Pompejus, qui omnium disciplinarum studia cum rei militaris scientia conjunxerat, quamquam ad theatri sui dedicationem titulum ipse confecerat, tantum sibi non tribuit, ut aliorum judicia contemneret: quumque ambigeretur, utrum *Consul tertio*, an *Consul tertium* inscribendum esset, eam rem exquisitissime, ut Tiro apud Gellium (4) loquitur, retulit ad doctissimos civitatis atque ad ipsum M. Tullium. tum hic quoque, quum aedis Telluris Curator esset, ad Pompejum se venisse, et cum eo non de operibus solum, sed etiam de *Inscriptionibus* egisse testatur (5) (*a*). quid leges, quas promulgari antea oportebat, senatus consulta, decreta, titulos honorarios, quae omnia recitari in curia solebant (6), de quibus sententiam dici necesse erat, quanto majore studio, aut quam multorum diligentia vel scripta esse vel examinata, fatendum est?

II. Iamvero, ut ut inscriptionum auctores prope omnium, quae nunc exstant, ignoramus, illud tamen certum exploratumque est, doctissimos viros in hoc se genere litterarum aliquando exercuisse. silebitur de Ennio ceterisque ejus aetatis poëtis, de quibus alio loco disserui. at vel de seniore Africano, homine ingeniosissimo, accepimus (7), quum is rure apud Liternum in exilio esset, ubi et diem obiit, epitaphium, quod sepulcro ejus inscriberetur, reliquisse, cujus ea erat clausula,

INGRATA · PATRIA · NE . OSSA · QVIDEM · MEA · HABES

L. Cornelium Sullam, quem Salustius (8) *litteris Graecis atque Latinis juxta atque doctissime eruditum* dixit, quum publicis, quae fecit operibus titulos incidendos composuisse non dubito; tum ipsum etiam epitaphii sui scriptorem fuisse, didici a Plutar-

(1) Gud. p. 74. n. 5. Fabr. p. 619. n. 160. Don. cl. 2. n. 35.
(2) Plin. H. N. l. 36. c. 5. n. 4. §. 14,
(3) pro Arch. c 11. n. 27.
(4) Noct. Att. l. 10. c. 1.
(5) ad Q. Fratr. l. 2. ep. 9.

(*a*) Ceterum hic Cicero cum Pompejo tunc temporis consule egisse videtur, ut inscriptiones ad Telluris aedem in sui fratrisque honorem ponere sibi liceret, non ut ille eas legeret approbaretque,

(6) Grut. p. 444. n. 2. Cic. Philip. 5. c. 13. n. 36. c. 15. n. 40. c. 17. n. 46. c. 19. n. 53. etc.
(7) Val. Max. l. 5. c. 3. n. 2.
(8) Bell. Iug. c. 100.

cho (1), qui hanc esse summam tradit, Ω'ς ουτε των φιλων τις αυτον ευποιων, ουτε των εχθρων κακως υπερεβαλετο: id est, *Quem nemo amicorum beneficiis, nemo inimicorum maleficiis superavit*. Caii autem Caesaris, cujus et eruditio praeclara fuit, et gloriae cupiditas maxima, nullam quidem exstare inscriptionem censeo, easque omnino rejicio, quas Pitiscus ad Svetonium suum adtexuit. sed multas sane operibus suis ille addidisse putandus est, quem et temporarias confecisse jam vidimus. quin etiam, quod neque Rutgersius vidit neque Fabricius, inscriptionum auctores et Iulium Caesarem et Caesarem Aug. facit Velius Longus Grammaticus (2): *Antiquis*, inquit, *varie etiam scriptitatum est*, Mancupium, Aucupium, Manubiae: *siquidem C. Caesar per I scripsit, ut apparet ex titulis ipsius: at Augustus I per V, ut testes sunt ejus inscriptiones*.

Quid de M. Tullio dicam, cujus animus semper ad immortalem gloriam nitebatur? non, si res ille suas multis voluminibus testatas sciebat, idcirco marmorea litterarum monumenta neglexisse duxerim. imo multos ab eo titulos in villis suis ac maxime in Tusculano, ubi Lyceum, ubi Academiam, ubi bibliothecam fecerat (3), et ad loci ornamentum, et ad posterorum memoriam positos esse arbitror. quis autem credat, non ipsius stilo perscriptum Tulliae epitaphium, filiae carissimae, cui etiam templum excitare decreverat (4)? quis non ipsum aut Tulliam legem scripsisse, quam consul pertulit, aut illa S· C· dictasse putet, quae saepe ipso auctore facta esse constat? sed memorat idem claros legum scriptores, qui tum florebant, Visellium et Sextium (5): ut omittam, quos ille insectatur, Clodianos scribas, atque ipsos etiam ejus aetatis disertissimos jurisconsultos, a quibus fere ceteras leges prodiisse arbitror. tum a Scipione Metello inscriptiones statuasque Scipionibus complures in Capitolio positas tradit: quamquam ανιστορησιαν ille Metelli notat (6), qui proavum suum P· Cornelium Scipionem, cui Serapio cognomen fuit, censorem non fuisse nesciret, quique etiam Africani imaginem et Serapionis subscriptionem conjunxisset.

Enim vero Augustus, quem paulo ante nominavi, et epitaphium Drusi ipse scripsit (7), et indicem reliquit rerum a se gestarum, quem in aeneis tabulis incidi, et ante Mausoleum suum statui jussit (8): idem fortasse auctor elogiorum, quae in ejus foro legebantur, ut superiore libro adnotatum est. ibidem et de Verrii Flacci Fastis mentionem feci, quorum pars bona fausto omine nuper effossa Praeneste, lucem iterum adspicere coepit. epitaphia porro clarorum virorum alia ab aliis relicta, quae tumulo suo inscriberentur, satis constat: quos inter numeres Verginium illum Rufum (9), quem Plinius junior (10) perfunctum tertio consulatu scripsit, ut summum privati hominis fastigium impleret, quum Principis noluisset. adde etiam, si libet, Thessalum medicum, qui monumento suo, quod erat via Appia, *Iatronicen* se inscripsit (11): item eum, qui in infelicis monumenti inscriptione adjici voluit, *Turba se medicorum periisse* (12).

(1) in Sulla sub fin.
(2) Ed. Putsc. p. 2228.
(3) de Divin. l. 1. c. 5. n. 8. ad Att. l. 1. ep. 9. ibid. ep. 7.
(4) ad Attic. l. 12. ep. 36. etc.
(5) ad Attic. l. 3. ep. 23.
(6) ibid. l. 6. ep. 1.
(7) Svet. in Claud. c. 1. n. 12.
(8) id. in Aug. c. 101. n. 7.
(9) Plin. l. 6. ep. 10.
(10) lib. 2. ep. 1.
(11) Plin. H. N. l. 29. c. 1. n. 5.
(12) id. ibid.

Sed commemoranda potissimum Trajani Aug. quam Dio (1) celebravit, in pangendis inscriptionibus magniloquentia: *οὕτω γαρ που και μεγαλοφρων και μεγαλογνωμων εφυ, ὥστε και τῳ ἱπποδρομῳ επιγραψαι, ὅτι εξαρκουντα αυτον τῳ των Ρωμαιων δημῳ εποιησεν, επειδη διαφθαρεντα πη, και μειζω και περικαλλεστερον εξειργασατο*: quae me verba ut inscriptionem huic similem a Trajano prodiisse credam, facile adducunt (2):

IMP · CAES · DIVI · NERVAE · F · NERVA · TRAIANVS
AVG · GERM · DAC · PONT · MAX ·
TRIB · POT · VII · IMP · IIII · COS · V · P · P ·
CIRCVM · MAXIMVM · VETVSTATE · CORRVPTVM
OPERIBVS · A · SOLO · AMPLIATIS
IMMENSIQVE · LATERIS · AMBITV · EXORNATO
PAREM · POPVLO · ROMANO · FECIT

Ceterum Trajano praeferendum jure dixeris, qui eum consequutus est, Hadrianum, virum studiis plane omnibus ac disciplinis excultum. hic vero hoc nostro scribendi genere mirifice delectatus esse mihi videtur: quippe quem equis etiam et canibus suis epitaphia aliquando condidisse accepimus (3). columnam ab eo prope Mantineam ad Epaminondae sepulcrum erectam, in eaque incisum epigramma ab eodem conscriptum, tradidit Pausanias (4). inscriptionem item pro Voconii poëtae amici tumulo confecisse, testatur Apulejus (5). sed titulos ejus insignes in Tiburtina villa fuisse puto, in qua provinciarum ac locorum celeberrima inscripsisse nomina constat, ejusque partes, uti narrat Spartianus (6), *Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Poecilen, Tempe* vocasse.

Plura jam conquirere opus non est, ut intelligamus, hisce auctoribus, alios quoque e doctis hominibus in hoc se artificio exercuisse: ea enim consectari fere ac colere solemus, quae a viris principibus diligi probarique novimus. itaque illud etiam fatendum erit, inscriptiones veterum, quae exstant, magnam partem, non hominum imperitorum foetus habendas esse, sed doctorum potius virorum quaedam veluti exemplaria ad omnis posteritatis eruditionem relicta: quae sibi proponere ii omnes debeant, qui Latinos titulos facere velint. nam si veterum libros, quamquam veterum auctorum manu exarati hac aetate nulli sunt, assidue tamen, quales a librariis ad nos pervenerunt, et legimus et imitari conamur, quotiescumque latine aliquid scribimus; quanto nos magis exempla haec intueri atque imitari par est, quae nullo librariorum corrupta mendo, nulla verborum aut litterarum mutatione deformata, nobis magistri illi prope e manibus in manus tradiderunt?

III. Sed hoc jam quaeratur, quum inscriptiones pleraeque a doctis viris olim prodiisse dicantur, arbitrione istas singulorum confectas, an communibus quibusdam praeceptis regulisque conformatas putemus? ego vero non diffiteor, si mihi ea res antiqui

(1) Xiph. l. 68. p. 1124.
(2) v. Plin. Pan. c. 51. n. 3. Svet. in Dom. c. 5. n. 3.
(3) Casaub. et Salmas. ad Spart. Hadr. c. 20.
(4) lib. 8. c. 11.
(5) Apol. pro se ipso prima p. 95.
(6) in Hadr. c. 26.

scriptoris testimonio declaranda sit, nullum in promptu me habere, quo dirimi controversia certo possit. verum ut ex poëtarum scriptis quia multi metro eodem usi, in singulis versibus eosdem singuli pedes numerosve sequuti sunt, syllabarum etiam in quolibet fere verbo alias omnino longas habuere, alias vero semper breves, idcirco suas regulas, sua pro carminibus versibusque conficiendis praecepta semper fuisse ducimus; sic etiam ex antiquarum inscriptionum exemplis, quum eorum singula genere suo contineri, et certa ratione perfecta esse videamus, quasdam etiam formulas in hoc aut illo genere usurpari constet, quae omnino in aliis desiderentur: utique non immerito ejus quoque scriptionis normam aliquam quasique artem olim fuisse existimemus. ac Maffejus quidem ex veterum inscriptionum lectione adeo id animo imbiberat, ut de ea re propemodum sententiam ferre (1) non dubitarit: *Habuerunt*, inquit, *cujusvis fere generis inscriptiones formulas suas: sollemnes modos et stata verba, quibus ut plurimum conciperentur.*

Quod si hujus tamen praescriptionis sive artis indicia quaedam et argumenta requiras, quum tot priscorum auctorum volumina vetustate perierint, facile adhuc in poëtarum, opinor, libris deprehendes. nam ubi opus fuit, ut titulum facerent aut de inscriptione aliqua loquerentur, ea fere protulerunt, quibus descripta a nobis genera designare ac distinguere putes: tum eas ipsas formulas nosse videntur, quae in his exemplaribus, quae nunc versâmus, nunquam deesse solent: nec si quid metri necessitate adjecere, non illud ipsum stili hujus Latinam venustatem atque, ut Enniano utar verbo, breviloquentiam ostendit. primum enim animadvertas, quo pacto inscriptiones sacras vel effingant vel referant: ecce tibi inscriptio donarii Virgiliana (2),

Aeneas haec de Danais victoribus arma.

si versum dissolvas, nihil fere ab his titulis discrepet, quos libro superiore proposuimus. eandem autem simplicitatem imitatur Propertius, ubi ait (3),

Armaque quum tulero portae votiva Capenae,
Subscribam, Salvo grata puella viro.

item Ovidius, qui vota pro Corinnae puerperio munera Isidi se laturum promittens, *Adjiciam,* inquit, *titulum* (4)

Servata Naso Corinna:

nec aberrat Tibullus Venerem adloquens (5), etiamsi singularem dictionem exprimere videatur:

Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
Dedicat, et grata sis, Dea, mente rogat.

formulam *Ex Voto* donariis, quum vota solvebantur, adscribendam noverat Horatius, qui Cicirrum scurram inducit de Sarmento quaerentem, *Donasset jamne catenam*
Ex Voto Laribus (6)?

(1) Art. Cr. L. l. 3. c. 2. p. 180.
(2) Aen. l. 3. v. 288.
(3) l. 4. el. 3. in fin.
(4) Amor. l. 2. el. 13. v. 25.
(5) l. 1. el. 9. in fin.
(6) l. 1. sat. 5. v. 65.

mitto alia exempla, quae vulgo quisque invenire possit. ad inscriptiones honorarias venio, de quibus idem Horatius loquitur; quum ait (1),

Si quaeret Pater Vrbium
Subscribi statuis:

itemque Tibullus ad Messalam (2),

At tua non titulus capiet sub nomine facta:

quorum alter inscriptionem dictionis simplicis, alter ornatae non obscure designat: quam et Iuvenalis notavit, ubi in nobilem virum *plenumque Nerone propinquo*, at ignavum otioque diffluentem, est invectus (3):

Ergo ut miremur te, non tua, primum aliquid da,
Quod possim titulis incidere praeter honores,
Quos illis damus et dedimus, quibus omnia debes.

quamquam vero titulorum horum exempla nemo fortasse e poëtis expressit; difficilius enim versibus claudi poterant, dativo casu plerumque repugnante: in his tamen ipsis Horatii et Iuvenalis versibus inscriptionis honorariae forma latet: ut eam maxime honorum nominibus et praeclara aliqua virtutis appellatione constare intelligas: tum eorum etiam nomina adjecta esse, qui monumentum statuissent, Statius ostendit (4), ubi equestri statua Domitiani ingeniose descripta, ipsum denique Augustum adloquens, *Vtere*, inquit, *perpetuum populi magnique senatus munere:* quae verba declarant, in ejus basi subscriptum post Domitiani honores *S. P. Q. R.*

At qua in re magis convenire poëtas dixeris, quam in epitaphii structura, sive tituli, ut ait Iuvenalis (5), *haesuri saxis cinerum custodibus?* nemo est fere, qui alia designet, quam quae in sepulcralibus veterum titulis passim legimus. primum enim non alio utuntur exordio: *Lygdamus hic situs est* (6), *Hic situs est Magnus* (7),

Hic jacet immiti consumptus morte Tibullus (8):

item *Manibus et cineri parentum* remissum Lausum pro *sepulcro patrio* dixit Virgilius (9). deinde virtutes iidem ac laudes defunctorum, quae celebrantur in epitaphiis, eodem modo attigere. Latinum mimum sic viatores e sepulcro adloquentem inducit Martialis (10):

Dulce decus scenae, ludorum fama, Latinus
Ille ego sum, plausus deliciaeque tuae. etc.

haud infrequens in epitaphiis ea formula *Pius Vixit:* hanc Ovidius notabat, quum in epicedio Tibulli ait (11), *Vive pius, moriere pius.* quae mulieres post viri mortem novis nuptiis viduitatem praetulissent, eas *Vniviras* aut *Vnivirias* fuisse, in titulo adscribebant. id Propertius sic expressit (12):

In lapide hoc uni nupta fuisse legar,

idemque ceteras laudes persequitur, quibus mulierum epitaphia carere non solent.

(1) Od. 24. l. 3. v. 27.
(2) l. 4. carm. 1. v. 33.
(3) Satyr. 8. v. 67.
(4) lib. 1. Silv. 1. v. 99.
(5) Satyr. 10. v. 144.
(6) Tib. lib. 3. el. 2. v. 29.
(7) Lucan. l. 8. v. 793.
(8) Tib. l. 1. el. 3. v. 55.
(9) Aen. l. 10. v. 827.
(10) lib. 9. epig. 29.
(11) v. 37.
(12) l. 4. el. 11. v. 36.

Iam vitae annos pauci omisere, esto, numerum per figuras ex poëtarum more distinxerint. et quia filiorum saepe numerum parentibus adponebant, ne id quidem omisit Martialis in matronae epitaphio (1):

Quinque dedit pueros, totidem mihi Iuno puellas:

adjecitque idem, quemadmodum lapides habent aliquando, quot liberos superstites reliquisset:

Clauserunt omnes lumina nostra manus.

mitto sophorum sententias et postremas salutationes: ceterae quoque clausulae versibus expressae (2):

Parce, precor, manes sollicitare meos.

et quam libro primo jam protuli (3),

Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna,
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

loci vero religiosi mensuram et sepulturae jus, quae tumuli plerique referunt, leges apud Horatium (4),

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: haeredes monumentum ne sequeretur.

multa denique simul complexus est Martialis in Glauciae epitaphio, quod subjiciam: est enim e bonis unum, quae ille edidit cum pluribus malis (5):

Libertus Melioris ille notus,
Tota qui cecidit dolente Roma,
Cari deliciae breves patroni,
Hoc sub marmore Glaucias humatus
Iuncto Flaminiae jacet sepulcro.
Castus moribus, innocens pudore,
Velox ingenio, decore felix.
Bis senis modo messibus peractis
Vix unum puer applicabat annum.
Qui fles talia, nil fleas, viator.

Enim vero historicas quoque inscriptiones poëtae agnovere. scio eos multa more suo lusisse, opera publica et privata carminibus celebrantes: in quibus ab inscriptionum modo et simplicitate abiere. sed tamen, ubi titulos, qui aetate sua positi fuerant, commemorare opus fuit, pressius multo loquuti, elementa eorum sic retulerunt, ut ab exemplis, quae adhuc manent, nihil ii discrepare videantur. vias Messala Tusculanam atque Albanam pecunia sua muniverat: idque inscriptionibus ibidem marmori incisis testatum esse voluerat: igitur de utraque sic scripsit Tibullus (6):

Non taceam monimenta viae, quae Tuscula tellus,
Candidaque antiquo detinet Alba lare:

(1) lib. 10. epig. 63.
(2) Ovid. Tr. l. 3. el. 11. v. 32.
(3) id. Epic. Tib. dist. ult.
(4) l. 1. Sat. 8. v. 12.
(5) lib. 6. epig. 28.
(6) lib. 1. el. 7. v. 57.

Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta jungitur arte silex.

atque artis quidem suae coloribus usus est Virgilius, ubi portum Augusti ad Bajas descripsit; sed fortasse inscriptionis etiam, quam illic Augustus incidendam curaverat, verba idem et formulas delibavit, quae certe cum historicae inscriptionis dictione magna ex parte consentiunt (1):

An memorem portus, Lucrinoque addita claustra,
Atque indignatum magnis stridoribus aequor,
Iulia qua ponto longe sonat unda refuso,
Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis?

Memores Fastos Horatius nominat (2), nec alios designat, quam eos, quorum tot etiamnum reliquiae supersunt, exempla ejus generis et nobis et posteritati futura: quibus magistratuum, bellorum, triumphorum, ludorum, censuum, lustrorum consignatam memoriam habemus.

Ab his ellogia idem distinxit, eaque quodammodo definivit, ut jam monui, hoc pacto (3):

. . . incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus:

quorum sane Augustus in foro suo memoriam renovavit. eam vero dictionem versibus expressit saepe Martialis (4), expressit et Ausonius: qui ut Imperatorum Romanorum, sic patris sui ellogium scripsit (5), quod ejus imagini subjiceret.

Leges denique ipsas atque edicta vix aliter poëtae extulerunt, quam in tabulis scriptae prostabant. quid enim aliud imitantur jocularia illa Horatiana (6)?

. . . . Ter uncti
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
Irriguumque mero sub noctem corpus habento:

et quae idem de poëmatis praescribit (7)?

. . . . dulcia sunto
Et quocumque volent, animum auditoris agunto.

aut Persii ille versus (8)?

Grande loquuturi nebulas Helicone legunto:

iterumque Horatii musa (9)?

. . . . Vter aedilis, fueritve
Vestrum praetor, is intestabilis et sacer esto.

Atque haec satis, opinor, quo intelligas, quum summi poëtae in urbe florerent, jamtum regulas quasdam exstitisse inscriptionum conficiendarum, nec ignota his fuisse

(1) Georg. l. 2. v. 161.
(2) l. 4. od. 14. v. 4.
(3) l. 4. od. 8. v. 13.
(4) lib. 9. epig. 103. etc.
(5) Edyll. 2.
(6) l. 2. Sat. 1. v. 7.
(7) Art. poet. v. 99.
(8) Sat. 5. v. 7.
(9) l. 2. Sat. 3. v. 180.

discrimina et formulas generum singulorum: quas quamquam alias in aliis ipsa argumenti ratio et natura postulare videbatur; haud tamen poëtae quasi certis indiciis articulatim distincteque notassent, nisi sedem earum et distributionem vetus jam consuetudo ususque celebrasset.

III· Sed tamen definitam hanc inscriptionum formam, certasque singularum regulas, quas quisque Augusti aetate sequebatur, ante Tullii tempora obtinuisse, vix puto: cujus aetate primus fortasse M. Varro in Menippeis suis aliquid de Epitaphiis scripsit: quemadmodum titulus indicat ejus argumenti a Nonio bis memoratus (1): nam liber ipse paene totus interiit. Romae utique a Punico bello secundo plus aliquid litteris datum esse temporis, itaque inscriptiones etiam elegantius scribi coeptas, nemo inficietur. nihilominus si cum his nostris, quas libro primo illustravimus, eas nunc comparemus, quae a Livio in historiam suam relatae sunt; ut quaedam stili hujus elementa facile agnoscemus, sic ultro illud dabimus, minime ad eam normam exactas esse, ad quam deinde insignis Pompeii titulus ceteraeque inscriptiones confectae sunt. prima sit, quam M. Aemilius Lepidus censor posuit supra valvas templi *Larium Permarinûm* anno Varr. DLXXIII· quod templum voverat L. Aemilius Regillus navali proelio adversus praefectos regis Antiochi (2): ejus tamen exemplum abruptum vexatumque accepimus, ut ut Maffejus Saturniis id versibus scriptum esse perviderit (3):

DVELLO · MAGNO · REGIBVS · DIRIMENDO · · · ·
CAPVT · · · · · SVBIGENDIS · · · · · PATRANDAE · PACIS
· · · · HAEC · PVGNA · EXEVNTI · L · AEMILIO
M · AEMILII · F · REGILLO · PRAETORI · · · · AVSPICIO
IMPERIO · FELICITATE · DVCTVQVE · EIVS · INTER
EPHESVM · SAMVM · CHIVMQVE · CLASSIS · REGIS
ANTIOCHI · ANTE · D · XI · K · IAN · VICTA · FVSA
CONTVSA · FVGATAQVE · EST · EA · PVGNA
PVGNATA . REX · ANTIOCHVS · REGNVMQVE
EIVS . . . .
EIVS . REI · ERGO
AEDEM · LARIBVS · PERMARINIS · VOVIT

bellum hic designabatur, ni fallor, inter Antiochum et Eumenem (4), quod Regillus ita derimendum susceperat, ut Eumenem adjuvans, hostes (5), quod *caput* erat, *subigeret*. itaque repudiatis *patrandae pacis* conditionibus, *exeunti* ad proelium, *pugna* illa, quam tabula votiva Larium templo affixa referebat, *Regillo praetori* oblata fuerat (6), qua *pugnata rex Antiochus regnumque ejus*, ut a Livio accepimus (7), pos-

(1) in Varr. fragm. p. 272. edit. Bipont.
(2) Liv. l. 40. c. 28. n. 52.
(3) Diplom. p. 188. et Art. Cr. L. p. 34.
(4) v. inscr. 312. lib. I.
(5) Liv. l. 37. c. 16. n. 18. etc.
(6) ibid. c. 21. n. 29.
(7) ibid. c. 22. n. 31.

sessione maris exclusum est. conferto haec, si libet, cum inscriptione xxxiI· libri primi, in qua sane multo majora a Pompejo paucioribus conclusa sunt versibus, atque ita conclusa, ut nec demi quidquam nec addi posse videatur. facile, opinor, intelliges, M. Lepido multa et praeclara conanti dicere, si minus verba, at exempla certe defuisse, quorum ad normam res a Regillo gestas perpetua oratione numerose comprehenderet.

Nec vero dissimili oratione scriptus index tabulae ejus, quam Ti. Gracchus anno Varr. DLXXXI. in aede Matris Matutae posuit (1):

TI · SEMPRONII · GRACCHI · CONSVLIS
IMPERIO · AVSPICIOQVE
LEGIO · EXERCITVSQVE · POPVLI · ROMANI
SARDINIAM · SVBEGIT
IN · EA . PROVINCIA · HOSTIVM · CAESA · AVT
CAPTA · SVPRA · LXXX · MILLIA · RE · PVBLICA
FELICISSIME · GESTA · ATQVE · LIBERATIS · *SOCIIS*
VECTIGALIBVS · RESTITVTIS · EXERCITVM · SALVVM
ATQVE · INCOLVMEM · PLENISSIMVM · PRAEDA
DOMVM · REPORTAVIT · ITERVM · TRIVMPHANS
IN · VRBEM · ROMAM · REDIIT · CVIVS · REI
ERGO · HANC · TABVLAM · DONVM · IOVI
DEDIT

Par etiam epitaphiorum ea aetate forma, quibus et aliquid detrahere videtur vetus illa scribendi ratio, loquentium saepe respondens sono, quam primum Sirmondus in Scipionis, Barbati filii, monumento animadvertit (2): nuper vero nos quoque in ejusdem familiae titulis sepulcralibus vel minus antiquis deprehendimus. nam hic, exempli caussa, Scipionis Asiatici filio titulus positus est in familiari hypogeo ad ipsum sarcophagum, in quo ille conditus fuerat:

L · CORNELI · L . F · P.
SCIPIO · QVAIST·
TR · MIL · ANNOS
GNATVS · XXXIII ·
MORTVOS · PATER
REGEM · ANTIOCO
SVBEGIT

non Manium, ut vides, mentio facta, non tribus indicata; neque militiae tempus, ne-

(1) Liv. l. 41. c. 28. n. 28 Reines. Cl. 4. n. 1. (2) Vetust. inscr. etc. Romae 1617.

que, ut vitae anni, sic menses aut dies adscripti: non parentium aut filiorum nomina, non caussa mortis, non consulatus ac dies, quo decessit, non precatio aut salutatio subjecta est: quorum pleraque in recentioris aetatis monumentis recepta, et certis sunt legibus usurpata.

V. Nunc ad poëtas ut redeam, omnia eorum testimonia nullum inscriptionum genus novum, praeter ea, quae statuimus, fuisse indicant: ut poëtarum etiam auctoritas sex omnino genera antiquitus constituta demonstret. non igitur casu aliquo factum est, ut, vetustis inscriptionibus distributis, haec repente nobis exsisterent genera, quae suis singula limitibus descripta continerentur. fuisse potius homines litterati dicendi sunt, qui ea consensu quodam atque judicio definirent, distinguerentque, ac propositis demum exemplis ostenderent, quid cuique generi potissimum conveniret. qua in re quamquam ipsa fere argumenta indicio esse poterant, quae cuique generi partes, quae notae, quae formulae adsignandae essent, praeceptis tamen quibusdam ac regulis opus erat, quibus maxime collocationis ordo et dictionis contrahendae ratio traderetur. haec vero praecepta atque has regulas, quicumque tandem eam primi constituerant, alii deinceps atque alii e doctis viris, quorum tituli manent, non modo non repudiarunt, sed etiam ipso diuturni temporis usu et diligenti exemplorum imitatione comprobaverunt.

Quae quum ita sint, videant ii, qui arbitrio suo Latinas, ut ipsi vocant, inscriptiones factitare solent, quam bene quamque latine scribere dicendi sint, iis omnibus neglectis, quae Latini veteres diligentissime servanda ac retinenda esse existimarunt. equidem sic censeo, quemadmodum qui elegiam scribit Latinam, aut Latinam odem, non alia mensura versus faciat, necesse est, quam quae veteribus poëtis placuit; sic qui Latinam inscriptionem se condere profiteatur, huic veterum rationem modumque esse sequendum, ut ab eorum exemplis ne transversum quidem unguem discedat.

§. II.

De difficultate inscriptionum

1. Videar fortasse meam rem agere, et laudi, ut fit, velificari meae, qui Latinarum inscriptionum, quarum artificium componere coner, difficultatem verbis extollam. nam in paucorum verborum vel delectu vel conjunctione magnum esse laborem quis credat? praesertim quum exemplorum tanta sit copia, ut non modo rationem inde atque formam ediscere, sed etiam formulas quisque ac sententias haurire possit. verum qui animadverterit, post eruditam illam Augustorum aetatem quanta bonarum inscriptionum sit paucitas; non hic potius industriam a me venditari, aut ostentari artem putet, quam in ipsa re non exiguam difficultatem inesse fateatur. neque enim aliis post multa saecula expeditius atque facilius esse dicet, quod ab illis temporibus proximi recte imitari atque exprimere nesciverunt.

Scio fuisse quosdam e recentibus titulorum scriptoribus (1), qui quum vererentur, ne quae scripserant, eruditis hominibus parum probarent, omnem in eos culpam fere contulerunt, quorum nomine et rogatu inscriptiones condidissent: nimirum quod sibi, ut ajebant, non res solum et versus, sed verborum paene ac litterarum numerum circumscripserant: vel quod, moribus jam ad nimiam ambitionem incumbentibus, nihil iis moderatum, nihil justum placere posset. ceterum neque ex hoc genere hominum fuisse omnes dixeris, ut scriptoris judicio numquam adquiescerent; et qui erant, non ita hunc obligare atque impedire poterant, ut stilo suo plerumque uti non posset. video tamen quosdam, quum aliorum vel levitati vel studiis dedissent, ut et multa detractis ornamentis inviti efferrent, et rursum, quae nollent, non justa inscriptione concluderent, parum aliquando vel in iis nihilominus profecisse, quae in ipsorum arbitrio esse ac potestate videbantur. quid enim erat praeterea caussae, quin ea ipsa, quaecumque essent, quae sibi illustranda sumpserant, quam aptissimis verbis numerisque deducerent? quis eos vetabat aut convenientia rebus vocabula praeoccupare, aut sollemnibus formulis loco uti?

II. Id nempe primum est illud, quod fieri sine summa difficultate non potest, veterum dictionibus ac formulis modice et scienter uti, et ut ne dedeceat. nos quidem jamdiu in magna rerum novitate, et peregrina argumentorum insolentia versamur; Latini tamen sermonis minime propagati sunt fines; imo angustiores facti. neque enim omnia usurpare nunc licet, quae olim licuit, sublatis jam, quae vocabulis suberant, rebus, et plurimorum usu verborum cum vestigio imperii ac veteri illa superstitione deleto. itaque quum haud raro novi generis rebus priscas illas Romanorum dictiones aptare debeamus; sic nobis temperandus quodammodo, atque ad tempus et ad res moderandus est sermo, ut nec contra mores nostros nec contra veterum exempla peccemus: atque ut latine quidem et cum dignitate loquamur; neque tamen Romanos veteres adloqui, sed et civibus nostris et posteris omnibus scribere videamur. id vero maximam profecto diligentiam acerrimumque judicium requirit, ut ex penu antiquorum thesauroque nec ea depromamus, quibus religio nos aut patrii mores uti vetant, et nihil non sumamus eorum, quae his non repugnant: res denique ac verba inter se nisi consentiant, non inani sono, non nimis exquisito dicendi genere teneamur.

Huc pertinet sacerdotiorum, magistratuum, munerum novorum appellatio, cujus caussa inscriptionem saepe vel obscuram esse vel barbaram, paene necesse sit. nam si priscis vocabulis utamur, quum perraro nova cum veteribus conveniant, sententia lateat obscuritate involuta verborum: sin autem ea vernaculis nominibus designemus, Latinam inscriptionem polluere, splendoremque ejus maculis adspergere videamur. neque vero eos non saepe scopulos offendas: quippe nullum prope est inscriptionum genus, in quo ejusmodi nomina efferre non oporteat. quae res titulorum scriptores adeo torsit, ut numquam statuere potuerint, quam in his rationem viamque sequerentur: ac modo Latinis plane vocabulis, communi hominum sensu adversante ac repugnante, usi sunt;

(1) Zenus vol. 3. ep. 56. Marell. epist. ad Ferrar. Inscr. etc.

modo peregrina ac barbara nomina, quae omnium aures respuerent, nec verecunde nec dubitanter receperunt.

II. Accedit eodem inscriptionum a genere ipso recta distinctio, quam nulli adhuc nos eruditorum libri docuerunt: quum eam tamen qui nesciat, ab antiquorum norma saepe errare, necesse sit. vix enim fieri potest, ut is multa non misceat, et formularum discrimen nullum faciat, perinde quasi omnibus omnes generibus convenirent. quod multo secus esse, nos quidem quum ipsa libri superioris distributione satis ostendimus, tum hujus et sequentis non uno capite fusius demonstrabimus.

Ipsa etiam collocatio nexusque verborum non caret lege. alia veteres praeire, alia subsequi voluerunt: quaedam nullo jure dissociari possunt; quaedam contra intermediis vocabulis distinguenda sunt: quibus in rebus vel investigandis vel addiscendis antea scriptoris industriam versatam esse oporteat, quam ad scribendum se conferat. ii certe, qui haec omnia neglexerant, quamquam exigua videri solent, numquam in titulis pangendis illud praestare potuerunt, quod receperant: et pro Latina inscriptione oratiunculam confecere nec jucundam nec opportunam.

Denique hoc quoque in isto litterarum genere molestissimum invenitur, ut vel imperiti de inscriptione judicent, ac temere plane, et nulla ratione, nullo auctore judicent. quippe, quod latine aliquid sciant, satis quidem se intelligere posse arbitrantur, inscriptione rei quadret, an non: eo fit, ut de stilo etiam judicare velint, quem plerumque ignorant, et ea fere damnent, quae non intelligunt. enimvero vix ferri potest, quum tu inscriptionem eandem saepe finxeris ac refinxeris, singulas partes ad priscas leges exegeris, nihil propemodum usurpaveris, quod non veteri auctoritate nitatur; esse tamen homines tanta impudentia, qui quod vix oculis semel perlegerunt, non modo sibi non placere, sed etiam ineptum esse aut obscurum aut parum Latinum, tamquam de sella ac tribunali pronuncient.

III. Haec, et si quae sunt hujusmodi, tantam olim vel difficultatem habere vel molestiam visa sunt, ut quidam ab his conatibus deterrendos adolescentes putarent. iidemque auctores essent, ut tituli lingua vernacula scriberentur. sed tamen ne animum despondeamus, aut in istorum sententiam adducamur, vel id unum valere plurimum debet, si eas nempe inscriptiones consideremus, quae aut sub initium saeculi superioris a Francisco Pola confectae sunt, aut hac ipsa aetate, ut alios mittam, a Matthaeo Egizio et Guidone Ferrario in lucem prodierunt: qui si novas res atque a Romanorum consuetudine remotas Latina fere dictione aptissimisque vocabulis efferre, atque ad veterum normam et prisco illo charactere saepissime explicare potuerunt; quid ni alii tentare nunc idem, atque adeo hos ipsos studio possint et diligentia superare? praesertim quum nova quotidie monumenta, quae sub terra latebant, in utilitatem nostram egerantur, et dictionis hujus opes atque optimorum verborum census in dies crescat: quare multo etiam verius dicere possumus, quam aut olim Quintilianus dixerit (1),

(1) Inst. l. 12. c. 11.

aut majores nostri dicere potuerint, *Tot nos praeceptoribus, tot exemplis instruxit antiquitas, ut possit videri nulla sorte nascendi aetas felicior, quam nostra, cui docendae priores elaboraverunt.*

Nam quae difficultas ab inscriptionis natura duci potest, ea non Latini sermonis propria, sed linguarum omnium communis est. nemo incompta oratione, nemo vulgaribus aut obsoletis vocabulis uti debet: nihil obscurum, nihil ambiguum sit, oportet: contractio autem et brevitas sic amanda, ut nihil de perspicuitate, nihil de dignitate detrahatur. at habet hoc proprium Latinus sermo, non modo ut humi numquam repat, nullisque sordibus obsolescat: sed etiam ut res ipsas, quae tractantur, nitore quodam illustret, ac numero orationis intendat.

V. Ergo quod inchoavi, absolvere conabor, daboque operam, ut tironum labor meo aliquid labore minuatur. habebunt hi hoc libro et quae ad singula inscriptionum pertinent genera, et quae omnibus communia sunt; eaque non tam argumentis nixa, quam exemplis, ut non meam, sed veterum auctoritatem sequuti, rectam ipsi et numeris absolutam inscriptionem et agnoscant et condant: quae scilicet non modo rem propositam Latina, justa, dilucida, numerosa oratione complectatur; sed etiam ad certum aliquod e sex illis generibus, quae statuimus, atque ad id potissimum, quod argumento convenit, referri possit. iisdem autem usi regulis exemplisque, obtrectatorum, qui semper difficiles et morosi sunt, judicia jam et refutare et contemnere jure poterunt. quamquam neutrum vel scriptis malo, vel ulla contentione faciant; sed, ut Aspendius ille (1), omnia intus sibi canant: nam in his raro altercando quisquam aut refellendo multum profecit.

PARTITIO PRIMA

DE SEX GENERIBVS INSCRIPTIONVM

Qui veteres Latinorum inscriptiones, unde nobis exempla petenda sunt, diligenter accurateque perpenderit, quum ex his praecepta quaedam oriri fatebitur, alia generum communia omnium, alia propria singulorum; tum vero in unoquoque genere quaedam ad ipsum genus pertinere intelliget, quaedam contra ad partes ejus, quemadmodum et in arte poëtica non modo quaedam de poësi generatim, alia de singulis carminum generibus traduntur; sed nonnulla etiam de his subjici solent, quae eodem in carmine ob argumentorum varietatem modo usurpanda, modo omittenda aut inflectenda videantur. enimvero praeceptorum ratio ipsa atque ordo poscebat, ut quae communia essent, primus his locus concederetur. sed quia, nondum demonstratis generibus inscriptionum, alia fortasse exemplis pluribus, alia longiori oratione explicanda fuissent: quaedam praeterea vel inutilia plane, vel fere inopportuna futura erant; ea hic parti-

(1) Cic. in Verr. l. 1. c. 20. et Ascon. in comm.

tione mihi utendum putavi, quae libro primo facta est: ut cognitis singulorum generum proprietatibus, ea demum tirones arriperent, quibus artificium hoc totum absolvi numeris perficique videretur. at singulis tamen capitibus, quod percommode cadet, primum de ipso genere, deinceps de partibus dicam: ut primum ea potissimum, quae generatim cavenda, tum quae singulatim praestanda sint, accurate tradantur.

CAPVT I.

De inscriptionibus sacris

§. I.

DE RATIONE GENERIS VNIVERSA

1. Age vero, ad inscriptiones sacras quod attinet, veterum tibi exempla, quae primo libri primi capite proposita sunt, ob oculos ponito. ea sane Christianorum titulorum scriptori quamdam veluti formam ac regulam exhibent inscriptionum omnium sacrarum. quid tamen? quum ex contaminata illa superstitione desumpta sint, non solum propudiosorum Deorum nomina, sed quaedam etiam offerunt interdum, quae a Dei cultu atque a sacrorum nostrorum sanctissimis religionibus quam maxime abhorrent: cujusmodi sunt sacra, castus, sacerdotia, appellationes item et nomina quaedam, quae in Romanos mores turpis olim adsentatio impietasque induxerunt. quid igitur ipso initio admonendum duxerim, nisi ut veteribus exemplis sic utamur, ut ordinem ipsum verborum normamque teneamus: quae vero perversam religionem sapiunt, funditus repudiemus? nam si qui olim ex Italis nostris, scriptores laude ac memoria digni, plerasque ejus generis formulas, easque non parce detortas, antiquitatis amore quodam decepti, in libros suos derivare non dubitarunt; fuere etiam viri quidam eruditissimi, qui levitatem eorum sive potius superstitionem gravissimis verbis castigarent.

Ac mihi quidem plane furere videatur, si quis nunc ritus Christianos et sanctissimas caerimonias iis vocabulis efferre audeat, quae nulla majorum auctoritas, nulla vetus consuetudo sacraverit: ut qui olim historiam et epistolas scribens, tam multa miscuit; nec haesit erubuitve, summum Pontificis Maximi consilium appellaturus, *Collegium Augurum* dicere: aut sacrum demortui caussa faciundum dicturus, *Diis Manibus litandum* pronunciare: et qui haud multos ante annos de mira animorum conjunctione, quae ex affinitate orta esset, inscripsit in monumento publico *Ara Amicitiae Dicata Consecrataque Est*. tu vero, me quidem auctore, neque *Delubra* neque *Fana* nominaveris, quae Dei optimi maximi templa sint: illis enim vocabulis Christiani veteres abstinuerunt (1): eademque de caussa neque *Flaminem* uni addictum templo sacerdotem, neque *Aquas lustrales*, quod Tertullianus aliique Latini scriptores *Baptisma* appellarunt: ac ne *Vestales* quidem, quae se Deo virgines devoverunt: quamquam eas *Christianas Vestales* mira pugnantium verborum compositione dixit non semel Aguilera (2), auctor fere in scribendo et elegans et prudens. similia sunt, quum Iesus Dei filius *Heros* vocatur, Angeli vero *Genii*, Roma *Vrbs aeterna:* nonne ista omnia re-

(1) Baron. Ann. t. 1. an. 57. c. 101. in fin. (2) in Hist. Sicul. Soc. Ies.

spuunt aures, repudiat religio, sanae denique mentes adspernantur? atque hoc utique nomine Bembus potissimum multorum sermonibus vapulavit: de quo Lipsius ad Ianum Dousam (1): *Quid*, inquit, *quod etiam in divinis rebus haec sibi permittit? et Fides nostra non nisi* Persuasio *illi est? Excommunicatio* Aqua et igni interdictio: *Peccata morituro remittere* Deos superos manesque *illi* placare. *ipse Deus raro in stilo aut animo; sed prisco ritu* Dii immortales: *idque in seriis maxime sententiis aut rebus: atque adeo quod omnem stultitiam superet, prudens ille Senatus Venetus ad Iulium Pontificem publice scribit,* Vti fidat Diis immortalibus, quorum vicem gerit in terris.

Cetera tute jam noveris: sed illud tamen mihi praetermittendum non est, ne *Divos* quidem recte nominari, quibus caelestes honores decreti sint: quamquam ea vox in ore omnium esse solet, atque in titulis maxime frequentari: quam et in eo leges, qui Venetiis est, a Francisco Pola perscriptus, et ab Octavio Boldonio notatus (2):

DIVIS
PRAESTITIBVS · IVVANTIBVS
GEORGIO · STEPHANOQVE
QVI · EST · PROTOMARTYR
CVM · DEO · OPT · MAX ·
DICATVM · DEDICATVM · ESTO · HOC · TEMPLVM
QVOD
SANCTVS · MONACHORVM · ORDO
DE · SVA · IMPENDIA
OPERE · CVLTVQVE · OMNI
AMPLIAVIT
EXEQVENTE · DOMINICO · COLONIEN ·
ARCHIMANDRITA
M · D · C · X ·
LEONARDO · DONATO · PRINCIPE
MAXIMO · FELICI · PERENNI

equidem quum hic Polae judicium requiro, quod sanctos illos Caelites ante Deum optimum maximum recensuerit; quippe nil ei patrocinari debent exempla Gruteriana (3) de *Iove* post reliquos Deos scripto: tum cum probare non possum, quod eosdem *Divos* potius, quam Sanctos, nec solum adjectivo, ut alii, sed substantivo etiam nomine appellarit: neutrum enim convenire iis puto, qui ex hac vita caelo recepti apud Deum aevo sempiterno fruuntur. nam quos olim quaeso Latini *Divos* dixere, nisi eos, qui Dii habebantur, quibus sacra fiebant, quorum arae passim et templa et flamines in urbe erant? sive illi demum perpetui, sive ex hominibus Dii facti putarentur. quin etiam Varronis aetate, ut libro primo adnotavi (4), *Divi* dicebantur, qui perpetui: reliquam turbam Deos nominabant: itaque a Virgilio Iuno *Diva,* Iuturna *Dea* est appellata (5): *Dea* item Livia Tiberii mater post Αποθεωσιν ut leges in Sicula inscriptione (6):

LIVIAE · AVGVSTI
DEAE
MVNICIPIVM

sed Tullius tamen Deos omnes nullo discrimine saepissime *Divos* vocat (7), vocat et

(1) Cent. 2. Misc. ep. 57.
(2) Pol. Inscr. p. 309. n. 7. Bol. Epigr. l. 2. n. 2. pag. 49.
(3) p. 2. n. 9. et 10.
(4) ad inscr. 333.
(5) Aen. l. 12. v. 138.
(6) Castel. Cl. 4. n. 4.
(7) de Nat. Deor. l. 2. c. 2. n. 4. etc.

Livius et Horatius et alii: iidemque eo semper vocabulo sic utuntur, non ut divinos homines, sed ut Deos plane appellare videantur.

Istam ne vero nunc de sanctis viris, qui obierunt, opinionem habemus, ut eos minime jam ad humanum genus pertinere, Deosque omnino factos arbitremur? profecto, si recte sentimus, nemo unus affirmabit: eo igitur vocabulo qui utatur, aliud animo cogitare, aliud verbo reddere videtur: quod non solum ineruditum est, sed etiam absurdum; praesertim quum ubi ab eo tibi vocabulo temperaveris, alia numquam deesse possint, quibus scite ac commode caelestes sanctorum virorum honores designentur: quemadmodum libro tertio deprehendes, quum exquisitam tibi ac lautam inscriptionum quasi supellectilem ob oculos explicabo.

II. Nunc illud in disquisitionem veniat, recte ne quidam fecisse dicendi sint, qui in religiosis monumentis templa non Deo, sed sanctis tantum Caelitibus sacra aut dicata esse, inscripserunt. nam in Gratiani Decreto (1) saepe legas, *Deo templa dicari, Deo sacra esse*: et sunt, qui contendant, numquam olim nisi Deo templum esse dicatum, nec dicari oportere: ut eas ipsas aedes, quibus veteres Christiani fortissimorum Martyrum memoriam consecrarunt, uni Deo sacras in eorum honorem ac memoriam fuisse censeant. Eusebius certe templum a Constantino in urbe sua aedificatum Μαρτυριον appellat (2) επι μνημη tantum των Αποστολων, non Apostolis dedicatum: ac templa ipsa *Memorias* appellata animadvertit Baronius (3), *quod in memoriam*, inquit, *sanctorum Martyrum erigi, et Deo dicari consueverant*. horum sententiam ego quoque aliquoties sequutus sum: uti aliquot ante annis in ea inscriptione, quam amici optimi virique eruditissimi Michaëlis Catalani rogatu confeci ob novi templi dedicationem, quod Molliani in oppido agri Firmani exaedificatum fuerat. eam hic primam meis ex adversariis depromam: unde alias deinde, occasione data, confidentius proferam; nec tamen ut exempla, quis enim hoc sibi adroget? sed ut conatum tironi aliquem et adumbrationem exhibeam: quas item hoc libro, non ut alibi usquam incisae, sed ut a me exaratae sunt, sic describam. neque enim semper aut rescire potui, quales jam in marmore legerentur, aut cavere licuit, ne quid unquam ad aliorum libidinem mutaretur. porro Mollianum quam misi, haec fuit:

DEO · OPTIMO · MAXIMO · SACR ·
IN · HONOREM · MARIAE · VIRGINIS · SIDERIBVS · RECEPTAE
ORDO · POPVLVS · QVE · MOLLIANENSIS
TEMPLVM · A · MAIORIBVS · OB · DEPVLSAM
PESTILITATEM . EX · VOTO · CONSECRATVM
VT · FREQVENTIAE · MVNICIPVM
ET · STATIS · SVPPLICATIONIBVS · AVGVSTIVS · PATERET
PECVNIA · PVBLICA · ET · OMNIVM · SODALITATVM
NOVA · FORMA · REFICIENDVM
LAXANDVM · QVE · CVRAVIT
DEDIC · VII . IDVS . IVN · ANN · M · D · C · C · LXXIIII ·
AB · VRBANO · PARACCIANO · CARD · ARCHIEP · PRINC · FIRM ·
CVIVS · ETIAM · OPE · ET · INSTANTIA · PERFECTVM · EST

Sed tamen qui Virgini Matri, qui Martyribus ceterisque sanctis Caelitibus templa dicata esse, in monumentis inscribunt, Bellarmini summi viri auctoritate faciunt, cujus

(1) part. 3. de consecr.
(2) in V. Constant. l. 4. c. 58.
(3) H. E. an 57. c. 101. 2, n. 4. etc.

ea sunt verba (1): *Sacrae domus non solum Deo, sed etiam Sanctis aedificantur et dedicantur.* atque haec ille confirmat quum sacrorum Conciliorum decretis, tum scriptorum veterum testimoniis, qui saepe et Martyrum aedes, et Basilicas his dicatas commemorant. nam quod veteres Christiani, aliter sane, atque nunc facimus, Basilicas Memoriasque a templis distinguere solebant; non ideo alias fuisse aedes putaveris, quae sacrificiorum caussa exstructae, *Templa* dicerentur, alias, quae ad precationes festosque conventus aedificatae, *Memoriae* aut *Basilicae* appellarentur. in qualibet enim *Basilica* aut *Memoria* sacrum ad sepulcra Martyrum facere mos fuit: sed tum maxime, quum sacrificia in his fiebant, Templa vocabantur: eoque sensu dixit Basilius (2), Πας δε ναος, Θεου ναος: unde etiam Augustini mentem facile assequere (3): *Nos*, inquit, *Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed Memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo et Martyrum et nostro sacrificium immolamus.* templa igitur, quia etiam *Memoriae* sunt et tamquam regalia quaedam magnorum virorum monumenta, recte sanctis quoque Caelitibus dedicabimus, et in eorum frontibus sacra aut dicata esse inscribemus: utcumque, si sacrificium spectes, quod ibidem Deo fit, Dei aedes esse, Deoque sacras, fatendum est.

III. Quid tamen, de Altaribus idem ne statuas? Altaria Deo uni dicari certum est, quum ei sacrum ibidem soli fiat, ejusque numine omnia compleantur. nam, ut ait Augustinus (4), *Quis audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumque constructum dicere in precibus,* Offero tibi sacrificium Petre *vel* Paulle *vel* Cypriane, *quum apud eorum Memorias offeratur Deo, qui eos et homines et Martyres fecit, et sanctis suis Angelis caelesti honore sociavit.* itaque in ipsa inscriptione sepulcrum ab altari distinguendum est: neque hoc ei dicatum recte dixeris, cujus illud cineres habet; quum Sepulcrum Martyri, Altare Deo positum fateamur. equidem inscriptionem concedere jussus ad Martyris tumulum in ipso altari incidendam, hanc aut hujusmodi satis probabilem meo judicio putarem;

DEO · MAGNO · AETERNO
SACR ·
S · P · Q · R ·
SANCTIS · CINERIBVS
SEBASTIANI
MARTYRIS · INVICTI
SOSPITATORIS
IMPOSVIT
MERITO

quod si sepulcrum nullum sit, sed imago tantum alicujus e Caelitibus, quid ni titulum in altari inscribas hujusmodi?

DEO · SACR ·
IN · MEMORIAM
AGATHAE · VIRGINIS
MARTYRIS
GENS · CLAVDIA
VOTO · SVSCEPTO

(1) de cult. Sanct. l. 3. c. 4. n. 56. 57. etc.
(2) t. 3. epist. 8. n. 11.
(3) de C. D. l. 22. c. 10.
(4) ibid. l. 8. c. 27.

Ceterum de ipsis templorum cellis, quas veteres Christiani *Basilicas* aliquando appellarunt (1), ante hos Latini *Aedes* etiam dixerunt (2), idem ego hic tradi posse arbitror, quod modo de templis dicebam. sunt enim monumenta ad sacros Martyrum cineres adservandos, atque ad memoriam sanctorum virorum recolendam exstructa: quo prope pacto Mausolea regibus ducibusque magnifica memoriae atque honoris caussa excitantur: nisi quod ibidem a sanctis Caelitibus, ut religio nos docuit, opem etiam praesidiumque imploramus. quare his sive cellis sive aedibus basilicisve inscribas, si libet, *Angelis Custodibus Liberorum Domus Augustae*, *Apostolis Conservatoribus Pontificis Maximi*, *Laurentio Martyri Pollenti Victori*, et similia.

III. Nec vero Vota ipsa sanctis Caelitibus soluta minus recte dicentur. votorum siquidem his nuncupandorum antiquum plane morem apud Christianos declarat Fausti calumnia, quam contudit Augustinus (3): *Idola*, inquit, *vertistis in Martyres, quos votis similibus colitis*. atque horum votorum, quae Martyribus reddebantur, quis non meminit (4)? tabellae votivae, quas Christiani suspendebant, non omnes periere: e quarum una hic descriptus est titulus (5):

SANCTIS · MARTYRIBVS
PAPRO · ET · MAVROLEONI
DOMINIS · VOTVM · REDD · ☧ ·
CAMISIAS · QVI · ET · ASCLEPIVS · ET · VICTORIA

at vota, inquies, Deo fiunt: Deo utique; sed votum qui facit, sic fidem saepe suam obligat Deo, ut si compos voti fiat, non aliter liberare fidem possit, quam si donum Martyri sistat, cui, Deo teste, promiserat. itaque tum et Deo idem et Martyri verissime votum solvere dicitur, quum utrique praestet, quod receperat, promissum Martyri, promissi fidem Deo, quorum utrumque ipsa voti natura conjunctum est.

Nulla igitur de votivae inscriptionis initio controversia esse debet. sed in formulis peccare quis possit; ut, quae vota pro salute Domus Augustae suscepta sint, ea si dicas *pro salute Domus Divinae* suscepta esse, quae adsentatio fuit veterum, his temporibus non ferenda: vel si donum qui dedit voti solvendi caussa, is *Voti Reus* dedisse dicatur; quae quidem formula est Latina et a Virgilio usurpata (6), sed Latinarum tamen inscriptionum indagatoribus ignota, cujus loco passim haec altera occurrit *Voto Suscepto*: item si quae vota civitas pro Principis incolumitate, quinquennio Principatus elapso, in alterum quinquennium nuncupet, ea appellentur *Nova Vota In Quinquennalia Secunda*; quippe *Quinquennalia* longe aliud sunt, quam *Quinquennium*, ut libro primo exposuimus (7). nec vero minus veterum formulis abutatur, qui optimas quasque iis conjungat, quae eruditae aetatis non sunt: quo e numero illas habeto e fornice Constantiniano SIC · X · SIC · XX · SIC · XXX · quique seriam rem agens *Annalia* inducat et *Quinquennalia* et *Decennalia*, quum nulla publice vota nuncupata sint. quam nunc riderent veteres illi studiorum et officiorum magistri, pagellas istas si legerent hominum otiosorum, quae in vulgus saepe sparguntur cum inscriptione *Vota Suscepta*, quae scilicet vota nemo unus novit aut somniavit; tum ea referentes, quae nullo usquam in marmore nulla in tabula legantur aut postea legenda sint: quibus item nulla magistratuum, nulla civitatis accessit auctoritas? atque hi tamen sibi plaudunt, et antiqua jam tempora se reddidisse gloriantur. porro ceteras formulas, quibus Christianorum vota latine religioseque designentur atque exponantur, libro tertio commodius, ut arbitror, afferemus.

(1) v. inscr. 226. lib. 1.
(2) v. inscr. 329. l. 1.
(3) l. 20. contra Faust. c. 4.
(4) v. Euseb. Pr. Ev. l. 13. c. 7. Theodoret. Prudent. Paullin. etc.
(5) Cor. Symb. Flor. t. 4. p. XII. et Iacutius Chr. Antiq. p. 26. v. Grut. p. 1048. n. 1. etc.
(6) Aen. l. 5. v. 237.
(7) ad inscr. 68.

V. Quaeri etiam potest, ea ne inscriptionibus sacris conveniant, quae veteres aliena religione in dedicationibus suis usurparunt (1), epuli, opinor, mentio et sportularum et viscerationis: quum haec tamen ipsa et pie nunc et honeste ac laudabiliter alicubi in templorum dedicationibus aut sacris anniversariis celebrentur. ego vero, haec improbare nemo quum possit, quod fiant; mentionem eorum veteribus formulis in titulo factam cur non probem? praesertim quum eadem ad priscos potius Christianorum ritus trahi possint, quam ad superstitiosas externasque caeremonias. audi, quid Sidonius Apollinaris, ad sacri Baptisterii dedicationem invitatus, scripserit ad Elaphium (2): *Epulum*, inquit, *multiplex, et capacissima lectisternia para plurimis viis, pluribus turbis*. de iisdem epulis, quae et festis Martyrum diebus instaurabantur, haec praeter alios Tertullianus (3): *Cena nostra de nomine rationem sui ostendit; vocatur enim* Αγαπη, *id quod* Dilectio *penes Graecos est. quantiscumque sumptibus constet, lucrum est, pietatis nomine, facere sumptum: siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus*. vix tamen haec in templorum inscriptionibus locum habent, quae breves simplicesque sint, oportet: at monumentis sacrorum maxime conveniunt, quibus supplicationum ritus aut dedicationum leges historice describantur.

Ac cetera etiam de genere hoc, si sententiae res subest, Latinaeque formulae Christianis respondent ritibus, repudianda non sunt: neque enim profanos tum ritus, sed verba tantum, quae saepe communia sunt, in rem nostram transferemus. itaque haud me quisquam, opinor, reprehendet, quod ex particula Gruterianae inscriptionis (4), quam Norisius (5) Mazochiusque (6) germanam esse putarint, item ex Taciti loco, quem videsis ad inscr. LXXVII. libri primi, formulas decerpsi quasdam, quibus indicem conficerem lapidis primi, unde nuper Sacrarii Vaticani inchoata rite constructio est.

PIVS · VI · BRASCHIVS
PONTIFEX · MAXIMVS
XII · KAL · OCT · ANNO · D · N · MDCCLXXVI ·
PONTIF · II ·
DEVM · OPTIMVM · MAXIMVM
PALAM · POPVLO · ROMANO
PRECATVS
VTI · CAEPTA · PROSPERARET
SPATIVM · SACRARIO · NOVO
TEMPLI · VATICANI · EXCITANDO
SOLLEMNIBVS · CAEREMONIIS
DICAVIT
INIECTISQVE · IN FVNDAMENTA · STIPIBVS
AERIS · ARGENTI · AVRI
LAPIDEM · SACRVM · AVSPICALEM
TANTORVM · OPERVM
STATVIT

nihil hic esse puto, unde quisquam possit, quamvis religiosus, offendi: nisi forte primum illum lapidem vocari *Auspicalem* displicet, quasi prisca Romanorum auspicia designet, quae religio nostra detestatur. at *auspicia* veteres saepe ipsa etiam rerum initia, et *se auspicari* dixere, quidquid vel sine ullis auspiciis inchoarent; diesque *auspicales*, aut *auspices* qui primi erant sive anni sive imperii: eodemque sensu *auspicem purpuram*,

(1) v. Plin. l. 4. epist. 1.
(2) lib. 4. epist. 15.
(3) Apolog. c. 39.
(4) p. 39. n. 5.
(5) Cen. Pis. diss. 4. c. 6. p. 485.
(6) in tit. C. A. c. 8. n. ult.

auspicem victoriam et hujusmodi: quae tibi exempla in Latinis scriptoribus passim occurrent.

VI. Quod reliquum est, inscriptiones sacrae non modo carere debent his maculis, quae superstitionem veterem oleant; sed religionem etiam testentur, oportet, dedicantium, votumve solventium: nam religionis indicia si absint, non sacram, sed historicam tantum inscriptionem confeceris: quales esse duxi, quas attuli libro I. ducentesimas vicesimam sextam, sextamque tricesimam. indicia autem erunt religionis ipsa primum nomina Dei immortalis sanctorumque Caelitum praeposita, nisi forte inscriptiones iis prostent in locis, ubi imagines ipsae notaque simulacra se prodant, et quodammodo loquantur. deinde appellationes titulique, quibus eorum sanctitas, virtus, praesentia, beneficentia celebratur. eminebit etiam religio in illis verbis *Consecravit, Dedicavit, Donum Dedit, Votum Solvit Libens Merito*, et hujusmodi. tum si acceptum beneficium aut caussa quaecumque dedicationis votique adscribatur: item si precatio aliqua atque carmen, si vota suscepta, si dies festi, si stata sacrificia, si sollemnes ritus memorentur: quae maxime in monumentis sacrorum locum habent.

Haec fere sunt, quae hoc articulo generatim praemonenda erant, ut cetera facilius expediremus. nunc singulatim, quae cuique parti tribuenda sint, quaeque ratio singularum et quasi textus esse debeat, mihi exponendum est.

§. II.

DE TITVLIS DEI IMMORTALIS CAELITVMQVE SANCTORVM

I. Ab exemplis, quae libro primo protulimus, ab aliis etiam, quae, ne immodice liber excresceret, eodem congeri non oportuit, praecepta singulorum capitum desumpta sunt, quae hoc libro tradentur: eaque, quod semel admonuisse sit satis, simplicem maxime et ornatam dictionem aeque complectentur; quum utraque dictio, adjuncta alterius ornatumque si demas, eundem verborum ordinem, eandem formam structuramque sequatur. at in eorum deinde gratiam, qui singulari dictione delectati, communem hanc aequalemque adspernantur, de illa quid sentiam, eo potissimum capite exponam, quod de inscriptionum figuris partitioni tertiae inseretur.

II. Titulus sacer una Dei appellatione aut solis Caelitum nominibus et appositis constare fortasse potest. nam exemplo est prima libri primi inscriptio: qua etiam brevior haec altera (1):

MINERVAE
CVSTODI

cui similes item aliquot Gruteri tibi et aliorum volumina exhibebunt. verum tituli hujusmodi aut minutorum opusculorum fuerunt, aut integri fortasse non exstant, quod nomina eorum, qui opus dedicarant, vel infra vel ad latera monumentorum inscripta essent: quemadmodum in marmoreis aris et basibus, quae exstant integrae, saepe videre licet. quare pro exemplis eos proponere vix audeam; praesertim de sumptuoso opere si agatur: nisi quod primus ille Vestae titulus plus aliquid habet, quam unum Deae appositum: quippe signum ejus ab Helvidiis dicatum esse, non obscure significatur: quemadmodum et hic alter ostendit titulus, in agro Tiburtino nuper detectus:

(1) Fabr. p. 464. n. XVII.

HERCVLI · DOMESTICO
T · AELI · RVBRI · SVPERSTITIS

quin ipse etiam monumenti locus fari aliquid, et indicare interdum potest, qui posuerint: ut si in ergastulo stetisse dixeris Herculis statuam cum inscriptione illa Gruteriana (1),

DEO · HERCVLI
COMITI · ET
CONSERVATORI
DOMINORVM
NOSTRORVM

servos jam posuisse appareat, ut dominis suis blandirentur.

Iamvero ipsa nomina eorum, quibus aliquid dedicamus, patrio etiam casu si efferas, non id contra veterum praescripta fiet; dummodo a dativo casu exordiare. exemplo sit hic titulus (2):

PRAESENTIAE
MATRIS · DEVM
P · SEPTIMIVS
FELIX
OB · CORONAM
MILLESIMI
VRBIS · ANNI

est autem *Praesentia*, si Pontederae adsentimur (3), a *Praes* et *sum*, quasi *Praedis subsidium*: ut, Matre Deûm in ludis suis spondente, coronam Septimius sub Philippis Augg. abstulisse videatur. similes huic alii, quorum initia sunt *Numini Mercurii* (4), *Sanctitati Iovis Et Augusti* (5), *Pietati Fortunae Primigeniae* (6), et quae libro tertio afferentur.

Illud mirum apud veteres, quod tamen in nummis quoque factum animadvertimus (7), nomina interdum omissa esse Deorum, appositis non praetermissis (8): quum alias, si nomina desint, fere desiderentur (9).

DEO · AMABILI
SACR ·
AELIA · EHORTE
FECIT

ita in arulae fronte inscriptum, et in ejus superficie KYRI · XAIPE: hunc autem *Deum Amabilem* quidam Antinoum fuisse putant (10). sed quicumque fuerit, nisi nomen in proximae statuae basi incisum putes, ita forsitan nota Dei illius facies habitusque erat, ut nomine appellandus non videretur, Graecorum artificum more, qui suum potius Deorum statuis adscribebant (11).

Enimvero communis ea consuetudo fuit, quae tenenda est, ut inscriptionem nomina distinguerent, haec vero appositis etiam et laude aliqua ornarentur: quemadmodum et multa libri primi exempla passim declarant, et plura libro tertio prolata demonstrabunt. ac primum Caelites iis prognatos, quibus caelestes item honores decreti sint, parentum etiam nominibus designare licebit: quo pacto Trajanus Titum inter Divos relatum nominavit (12):

(1) p. 45. n. 7.
(2) Grut. p. 28. n. 4.
(3) epist. 2. p. 16.
(4) Grut. p. 54. n. 12.
(5) id. p. 10. n. 1.
(6) id. p. 76. n. 8.
(7) ad inscr. 383. lib. 1.
(8) Grut. p. 88. n. 12. Don. cl. 1. n. 123.
(9) v. inscr. 18. 49. 51. lib. 1.
(10) Auct. Antiq. sac. et civil. p. 40. in Πρελ.
(11) v. inscr. 18. l. 1.
(12) Donat. de V. R. l. 3. c. 4.

D · TITO
D · VESPASIANI · F · AVGVSTO
IMP · CAESAR · D · NERVAE · F · NERVA · TRAIANVS · AVG ·
GERMANICVS · DACICVS · PONT · MAX · TRIB · POT · COS ·
P · P · FECIT

et his autem et ceteris omnibus pleraque appositorum convenient, quae veteres usurparunt. cur enim non dixeris exempli caussa VIRGINI · REDVCI, MARIAE · SOSPITAE · SALVTIFERAE, VIRGINI · MATRI · MVNIFICAE · EXORATAE, vel PETRO · ET · PAVLLO · MAGNIS · APOSTOLIS · CVSTODIBVS · PROPVGNATORIBVS, THERESIAE · LEGIFERAE · SANCTISSIMAE, STEPHANO · SANCTO · POLLENTI · VICTORI? *Victor* nempe appellatus aliquando etiam qui opem vita periclitanti attulisset: nam de M. Octavio Herennio, qui ex tubicine mercator, quum navigaret, a praedonibus circumventus fortissime repugnaverat, victorque recesserat, haec tradidit Macrobius (1): *Hunc in somnis Hercules docuit sua opera servatum: cui Octavius impetrato a magistratibus loco aedem sacravit et signum, Victoremque litteris incisis appellavit.*

Mitto nunc cetera, quae suo loco afferentur (2): illud tamen non omittendum, apposita fere omnia ita inscriptionum initiis idonea esse, ut verborum sedibus rite variatis, iisdem ea nominibus non incommode in media aut extrema oratione adhaereant: sive illa simul omnia, sive etiam divisa adscribantur. exemplo tibi sint inscriptio tertia libri primi, et quas hic exhibeo (3):

DEO
INVICTO
SERAPI
SERVATORI
D · IVNIVS · D · F · PAPIR · (4)
VAERGVLENVS
AENEATOR · LEG · VII ·
CL · GEM · P · (5) FIDEL ·
NVMINI · SVO · VOTO
SVSCEPTO · D · D ·

(6)
SACRVM · SILVANO
P · AELIVS · PHILETVS
ET · P · AELIVS · PHILETIANVS
CONSERVAT · (7) LARVM · PENATIVM
D · D ·

nec similes harum inscriptiones desunt aliae, in quibus illud maxime appositum sub finem collocari animadvertes, quo monumenti aut donarii caussa et praesens Deorum auxilium significari videatur. quaedam tamen ex appositis praeponere ipsis nominibus veteres solebant: itaque dixere *Virgini Dianae, Sancto Sanco, Sanctissimo Herculi*, uti libro primo videre licet. item sic (8):

DIS · MAGNIS
MATRI · DEVM . ET · ATTIDI
SESTILIVS · AGESILAVS

Appositorum autem rationem sequuntur cognomina quaedam aut externa nomina, quae veterum exemplo usurpare possis ad loci discrimen, vel ad monumenti caussam aut ejus auctorem designandum: cujusmodi sunt, quae hisce in titulis leges (9):

LICINIA · LICINIA · OCTAVA
QVINTA · PVRPVRIS · SATVRNIN ·
IOVI · OPTIMO · MAXIMO
PVRPVRIONI

Purpurio scilicet appellatus Iupiter de nomine *Liciniae Purpuridis*, quae signum ejus una cum sororibus dedicarat: ut Dii alii aliorum nominibus (10) cognominati sunt.

(1) Saturn. l. 3. c. 6.
(2) lib. 3. p. 1. c. v. p. 1. §. 1. et 2.
(3) Grut. p. 85. n. 8.
(4) *Papiria tribu*.
(5) *Claudiae Geminae Piae*.
(6) Murat. p. 67. n. 4.
(7) *Conservatori*.
(8) Murat. p. 30. n. 7.
(9) Oderic. syll. p. 183. n. 6.
(10) v. insc. 39. lib. 1. et Fabr. de Col. Tr. c. 8. p. 247.

(1)
NVM · DOM · AVG · (2)
SACRVM
GENIO · CONSERVATO
RI . HORREORVM · GAL
BIANORVM
M · LORINVS
FORTVNATVS
MAGISTER
S · P · (3) D · D .

(4)
IOVI · REGI
GENIO · DOMVS
ISIDORI
LARINATIS
ARAM
EX · VOTO
L . CASTOR
D · D ·

sic a locis, quae in Deorum tutela esse putabantur; *Dianam Tifatinam, Iunonem Lanuvinam* dixerunt, et *Venerem Hortorum Sallustianorum* et *Silvanum Flaviorum* et *Herculem Conservatorem Domus Vlpiorum* et *Iovem Conservatorem Possessionum Rosciorum*. quare a loco etiam vel urbe denominare sanctos Caelites, et ab eorum cultoribus vario nomine distinguere saepe liceat.

Haec demum et cetera apposita consequitur plerumque dedicatio illa SACRVM, a quo fere verbo oratio reliqua non pendet: idque aliquando praecedit, ut modo in Silvani titulo, et in hoc (5), quo nullus cietur Deus.

SACRVM
POMPEIA · SEX · FIL ·
ELEVTHERIS · ET
SEX · POMPEIVS · SEX · F ·
QVIR · IVSTVS
SOROR · ET · FRATER
DONVM · DEDER ·

sententia vero haec esse videtur, *hoc quodcumque vides, sive ara sive aedes, sive etiam signum vel donum,* SACRVM EST, vel SACRVM ESTO · deinde narratio incipit, qua saepe vota et dedicationum caussae exponuntur, auctores monumentorum indicantur, tota, si libet, rei historia pertexitur.

III. Hactenus ea tantum, quae ad communia fere titulorum initia pertinent, exposuimus. alia enim praeterea sunt, unde illustrium praesertim inscriptionum exordium recte ducas: primumque veteres, si Principis nomen usurpare initio possent, haud temere omisere. legimus sane in praeclara inscriptione, quae Tarracinae est, in qua et decreti Quindecimvirorum post Principem mentio facta (6):

EX · AVCTORITATE · IMP · CAES ·
M · AVRELII · ANTONINI · PII · FELIC ·
AVG · PARTHIC · MAX · BRIT · MAX ·
PONT · MAX · ET · DECRETO · COLL ·
XV · SAC · FAC · SERVIVS · CALPVRNIVS
DOMITIVS · DEXTER · PROMAGIST · ARAM
CIRCES · SANCTISSIMAE · RESTITVIT
DEDICAT · XVII · K · IVL · IMP . ANTONINO
AVG · IIII · BALBINO · II · COS ·

enim vero idoneum etiam inscriptionis initium jure habetur nota aliqua temporis; quod Romae pari Consulum (7) aut uno saltem adscripto (8), significabant: item sacerdotio aut magisterio eorum notato, qui sacris praeerant (9). ad quorum hodie exemplar non modo annus Christianus, sed etiam Principum atque Antistitum nomina apposite inscri-

(1) Grut. p. 75. n. 1.
(2) *Numini Domus Augustae*.
(3) *Sua Pecunia*.
(4) Grut. p. 1065. n. 3.
(5) Grut. p. 1076. n. 6.
(6) Don. cl. 1. n. 31.
(7) v. inscr. 39. lib. 1.
(8) v. insc. 40 et 41. l. 1.
(9) v. inscr. 41. l. 1. et Don. cl. 1. n. 133.

bentur: quamquam sic initiis olim haec convenire visa, ut post nomina quoque Deorum, atque ad calcem inscriptionis probata esse videas (1). ipsa etiam vota (2) aliaque dedicationum additamenta initio indicata sunt (3): interdum et qui locum monumento adtribuissent, ut est in exemplo Maffejano (4):

LOCO · PVBLIC · DAT · D · D ·
PARCIS · AVG · SACR ·
L · CASSIVS · VERVICI · F ·
NIGRINVS · VI · VIR · AVG · V · S · L · M ·

Sed insignium inscriptionum, quas in magnorum operum frontibus veteres incidebant, ea maxime ratio valuit, ut ab auctorum nominibus eorumque rebus gestis inchoarentur. Pompeii hoc inscriptio demonstrat Minervae posita (5), cujus ille persimiles etiam in Pyrenaei tropaeis inscripsisse videtur, in quibus testatum esse, scripsit Plinius (6), *octingenta quadraginta sex oppida ab Alpibus ad fines Hispaniae ulterioris in ditionem a se esse redacta*. similia in obeliscis suis inscripsit Augustus (7): idemque et Hannibal fecerat Poenus in templo Iunonis Laciniae, in quo aram, teste Livio (8), condiderat dedicaveratque *cum ingenti rerum ab se gestarum titulo Punicis Graecisque litteris insculpto*. neque vero id arrogantius elatiusve factum dixeris, quam ut imitari nos deceat: sic enim res gestae recensentur, ut eas Diis suis acceptas referre videantur; eamque sibi caussam fuisse ostendant monumenti dedicandi, quod in bellis gerendis praesentem Deorum opem se expertos esse putarent. id certe Pompejus illis verbis *Merito Minervae* haud obscure significavit, quum delubrum ei Deae tamquam voti reum se dicasse professus sit.

Ceteri autem, qui res gestas enumerare vel nollent vel non possent, curationes fere magistratusque et quos gesserant et quos gerebant, proferre soliti, ne iis quidem neglectis, quae parvi fierent (9):

CN · OCTAVIVS · TITINIVS · CAPITO
PRAEF · COHORTIS · TRIB · MILIT · DONAT ·
HASTA · PVRA · CORONA · VALLARI · PROC · AB
EPISTVLIS · ET · A · PATRIMONIO · ITERVM · AB
EPISTVLIS · DIVI · NERVAE · EODEM · AVCTORE
EX · S . C · PRAETORIIS · ORNAMENTIS · AB · EPISTVL ·
TERTIO · IMP · NERVAE · CAESAR · TRAIANI · AVG · GER ·
PRAEF · VIGILVM · VOLCANO · D · D ·

nimirum praeclaram illam ἀποσιώπησιν ignorabant, quae videlicet digna proximis temporibus formula est, ET CETERA ET CETERA.

Hic vero de honoribus mihi et muneribus dicendum esset, quo tandem ordine ex veterum praescripto numeranda sint. quia tamen eadem in omnibus monumentis est ratio, semel id capite sequenti fusius exponam. illud tantum hoc loco in memoriam revocabo, claros aliquando viros exstitisse, qui amplissimis honoribus usi, magistratus tamen suos in titulis commemorari vel nollent, vel susque deque ferrent: de quibus dixi ad inscr. CCXXXV. quamquam plerique hominum vel ex infima conditione, atque in exiguis etiam monumentis, munus suum curationemve, quaecumque esset, quam diligentissime adnotarunt: quod tute multis in exemplis videre potuisti. quin servos ipsum quoque Domini sui nomen praesetulisse, quum alia exempla, tum hoc declarat (10):

(1) v. inscript. 38. 40. 41.
(2) v. inscr. 30.
(3) v. inscr. 47.
(4) Mus. Ver. p. 87. n. 1. Grut. p. 97. n. 10.
(5) v. inscr. 32.
(6) H. N. l. 3. c. 3. n. 4.
(7) v. inscr. 33.
(8) lib. 28. c. 26. n. 46.
(9) Grut. p. 61. n. 4.
(10) Gor. Inscr. t. 3. p. 8. n. 4.

HEDONE
M · CRASSI · ANCILLA
FERONIAE · V · S · L · M·

at patriam, quae nunc semper adscribitur, nomini subjungere veteres non solebant, nisi quum is, qui dedicabat, ex ea urbe non esset, in qua dedicatio celebraretur. itaque hanc in militum titulis, quod procul a patria mererent, saepe leges: qui etiam centuriam suam fere adnotabant, communi primum appellatione nominibus ipsis praeposita, post haec stipendiis etiam, quae fecissent, adscriptis (1):

MILITES · COH · XII · VRB ·
A · APONIVS · SABINIANVS · TVDER · (2)
Ↄ · VERI · (3) STIP · XVIIII · (4) C · AVRELIVS
ALEXANDER · DYRR (5) · Ↄ · TREBI · STIP ·
VIIII · L · AELIVS · DONATVS · BENEV · (6)
Ↄ · TREBI · STIP · XIIII · IMAGINES · DOMINO
RVM · N · N · ET . AEDICVLAM · ET · ARAM · DE
SVO · FECERVNT · DEDICAVERVNT
VII · KAL · OCTOB · DVOB · AVGG · SEVE
RO · III · ET . ANTONINO · PIO · COS (7)·

porro ubi plures nominandi essent, veteres quoque primo loco, qui primi dignitate essent, scribere solebant. quare, quum haud procul theatro Marcelli Livia Augusta effigiem Divo Augusto dicasset, Tiberiique nomen suo postscripsisset, *id ille credebatur*, inquit Tacitus (8), *ut inferius majestate Principis, gravi et dissimulata offensione abdidisse*.

Iam et in sacris inscriptionibus locus aliquando datus patronis, propinquis, amicis, ut qui aliquid Diis dedicassent, id se vel eorum etiam nomine, vel in eorundem honorem aut memoriam Diis tribuisse profiterentur. exemplis (9), quae attulimus, adde monumentum hoc Saluti Aquilejensi Sacrum (10):

S · A · S ·
IN · HONOR ·
L · VALERI
NYMPHODOT ·
VI · VIR · ET · D · D · AVG · (11)
ET · C · STATI · PRIMIG ·
ET
IN · MEMORIAM
C · STATI . HEVRET·
VI · VIR · ET · D · D · AVG ·
ALYPVS
LIB ·

ac laudem praeterea addere aliquam iis, quos honoris caussa nominarent, minime veteres absurdum aut a re alienum existimarunt: ut Cn. ille Octavius apud Maffejum (12), qui *nomine Clementis et Staberi Optumorum Fratrum Vdisnam Augustam Loco Privato Arusnatibus Dedit*. animadverti autem, qui se aliquid aliorum nomine fecisse testantur, eos nomen suum fere praeposuisse: contra qui in aliorum honorem aut memoriam, extremis versibus inscripsisse.

At ne illud quidem apud veteres novum, ut non modo affinium omnium, sed etiam auctorum ipsorum nomina omitterent: sic tamen, ut eos generatim, senatus puta

(1) Fabr. p. 130. n. XIV.
(2) *domo Tudere*.
(3) *centuria Veri*.
(4) *stipendiorum* 19.
(5) *domo Dyrrhachio*.
(6) *domo Benevento*.
(7) *anno Varr.* 955.
(8) Ann. I. 3. c. 64.
(9) v. inscr. 12. 13.
(10) Bert. A. A. p. 62. n. 37.
(11) *Decurionum Decreto Augustalis*.
(12) Mus. Ver. p. 89. n. 3.

aut populi aut collegii sodalitatisve appellatione comprehenderent (1). itaque mihi etiam nuper fas esse putavi, quum inscriptionem, quae Tibure in aedibus Coccanariorum figeretur, conderem, sic unius gentis progeniem designare:

SANCTO · IGNATIO
LOIOLAEO
PATRI · LEGIFERO
CONFESSORI
CONCLAVE · QVO · MAIORES
HOSPITEM · ACCEPERE
NEPOTES · SACRAVERVNT
PATRONO · CAELESTI

enimvero, si quando ipsa auctorum nomina proferri non possint, formulas tibi non paucas ex hoc genere liber tertius opportune suppeditabit (2): ibidemque permultas etiam reperies, quibus ea, quae publice facta sint, aptissime designentur: ejusmodi sunt, quae in hac (3) aliisve inscriptionibus occurrunt (4).

IVNONI · AVG ·
SACRVM
PRO · SALVTE · IMP ·
CAES · T · AELI · ANT ·
PII · PVBLICE
D · D · (5)

verum illud expeditissimum, si dictione singulari utaris: quam nuper rationem mihi item amplectendam duxi, ut morem iis gererem, qui praeconium sui nullum, nullamque nominis mentionem in titulo fieri paterentur (6):

HONORI
SANCTI · NICOLAI · MAGNI
AEDES · A · SOLO · INCHOATA · XVII · KAL · OCTOBR · AN · M · DCC · LII ·
LAPIDEM · AVSPICALEM · STATVENTE · FRANC · TORQVATO · SIMEONIO · ARCHIPRESB ·
ABSOLVTA · ET · RITE · EXPIATA · VII · KAL · IVL · AN · M · DCC · LXVIIII ·
EANDEM · AVCTORE · V · E · HIERONYMO · SPINOLA · CARD · EPISC ·
HIERONYMVS · VOLPIVS · V · C · DOMO · BARIO · ARCHIEP · NEOCAESAR ·
INLATIS · ALTARI · MAXIMO · CINERIBVS · MARTYRR · SANCTISS ·
IVSTINI · ZOSIMI · VALERII · LVPERCI
CONSECRAVIT · DEDICAVITQVE · XVI · KAL · SEPT · AN · M · DCC · LXXVII ·
CVIVS · DIEI · SACRVM · ANNIVERSARIVM · IN · FASTOS
AD · DOMINICVM · MENSIS · OCTOBRIS · TERTIVM · RELATVM · EST

III. Sequitur ut ipsa dedicationis caussa atque ratio declaretur: cujus expositio, quum simplex est ac dilucida, inscriptionis auget dignitatem. ea autem quando attingenda videatur, nolim, id ante facias, quam nomen protuleris vel ejus, qui caussam dederit, vel ejus, qui caussam habuerit, id est vel Dei immortalis Caelitumve, a quibus beneficium collatum sit, vel dedicantium, qui beneficium acceperint. sic in libri primi exemplis post Deorum nomina legimus (7), PRO · SALVTE · ITV · AC · REDITV · DD · NN · · · · · et (8) QVOD · IS · SCELERATISSIMI · SERVI · PVBLICI · INFANDO . LATROCINIO · DEFIXA · MO-

(1) v. inscr. 2. 15. 23. 27. 37. etc.
(2) part. 1. c. 7. part. 7.
(3) Don. Cl. 1. n. 12.
(4) v. inscr. 15. 16. 37. etc.
(5) *Decurionum Decreto*.
(6) in vico agr. Praenest.
(7) v. inscr. 43.
(8) v. inscr. 47.

NVMENTIS · ORDINIS · DECVRIONVM · NOMINA · NVMINE · SVO · ERVIT · · · · tum ibidem post nomina dedicantium , sic (1) , AEGVPTO · IN · POTESTATEM · POPVLI · ROMANI · REDACTA · · · et (2) PRO · REDITV · FELICISSIMO · EX · AFRICA · VIBI · FRATRIS · · · · id nimirum ad perspicuitatem orationis haud parum conferre, manifestum est . illud vero non minus commode fiat, necessitas licet nulla compellat, ut nomina utrorumque praeponas, quemadmodum hoc titulo scripta sunt (3):

BONAE · DEAE · SANCTISSIMAE
CAELESTI · L · PAQVEDIVS · FESTVS
REDEMPTOR · OPERVM · CAESAR ·
ET · PVBLICORVM · AEDEM · DIRVTAM
REFECIT · QVOD · ADIVTORIO · EIVS
RIVOM · AQVAE · CLAVDIAE · AVGVST ·
SVB · MONTE · AEFLIANO · CONSVMMA
VIT · IMP · DOMIT · CAES · AVG · GERM · XIIII · COS ·
V · NON · IVL ·

enimvero quibus formulis dedicationis caussa efferri possit, libro tertio pluribus exemplis indicabimus: itaque ad alia veniamus. nonnullas interdum adtributiones antiqui nobis tituli exhibent, quas item novi haud respuant. adjectum exempli caussa est, unde Diis donum missum esset, quod nempe religionem ejus, qui misisset, maxime testaretur (4):

DIS · DEA
BVSQ ·
VRBISALVI
ENSIBVS
T · FLAVIVS
MAXIMVS
PROC · AVG ·
AB · ORIENT ·
DONVM
MISIT

nec praetermissum, si quis ab ipso numine, ut sibi videbatur, admonitus, aram illi signumve dedicasset (5), tum ex voto si quid Diis datum dicatumque esset, vix unquam in titulis omissam arbitror formulam, quae id significaret. exempla undique praesto sunt, quae inter hoc numeres (6):

IOVI · CONSERVATORI · SACRVM
C · IVLIVS · C · F · QVIR · ARRIANVS · V · S ·
DON · DED · XVI · KAL · MART ·
CN · ACERRONIO · ET · PONTIO · NIGRINO · COS · (7)

addidere interdum, ubi votum susceptum, et ubi persolutum esset (8):

(1) v. inscr. 33.
(2) v. inscr. 40.
(3) Don. Cl. 1. n. 121. v. inscr. 47.
(4) rep. in pariet. Vrbisalv. an. 1776.
(5) v. inscr. 7. 8.
(6) Grut. p. 18. n. 8.
(7) An. Varr. 790.
(8) Grut. p. 36. n. 15.

BELENO
AVG . SACR ·
L · CORNELIVS
L · FIL · VELL . (1)
SECVNDINVS
AQVIL · (2)
EVOC · AVG · N .
QVOD · IN · VRB ·
DONVM · VOV ·
AQVIL · (3)
PERLATVM
LIBENS · POSVIT
L · D · D · D ·

cui titulo similis alter ignoti viri (4), qui Neptuno *Votum In Siculo Freto Susceptum Solvit*. votum autem pro honesta missione Genio Centuriae nuncupatum sic miles voti compos expressit (5):

C · MARCIVS · C · F ·
SERG · SALVIANVS
NORBA
GENIO · CENTVRIAE
COH · X · PR · 7 · MARI · BASSI
IN · QVA · MILITAVIT · AN · XIIX ·
VOTO · SVSCEPTO
MISSVS · HONESTA · MISSIONE
PRID · NON · IANVAR ·
Q · FABIO · CATVLLINO · M · FLAVIO
APRO · COS · (6)
ANIMO · LIBENS · ARAM · SVA · PECVNIA
POSVIT

quia vero vota non iidem semper solvebant, qui susceperant, ne hoc quidem negligendum docuerunt. itaque votum gentis Munatiae a Q. Munatio solutum hoc pacto explicatum est (7):

MERCVRIO
CAELESTI · FATALI
Q · MVNATIVS · TRICHORVS
EX · VOT ·
MVNATIORVM
ARAM · SVA · PECVNIA
P · L · M ·

at qui alteri mandata dederat, ut per eum fidem Iovi obligatam liberaret, hunc incidi titulum jussit (8):

I · O · M · FVLM · FVL ·
SACR ·
FL · VERVS · METROBAL
ANVS · PROC · AVG · N · PRAE
POS · VECT · FERR · (9) PER
ASCLEPIADEM
ARK · STAT · SISC · (10)
V · S · L · M ·

Raro omissum est, unde sumptus operi faciundo suppeditati: nec si qui aliorum pecunia Diis aliquid posuissent, id illi, laudis praeripiendae caussa, siluerunt (11):

(1) *Velina tribu*.
(2) *Aquileja*.
(3) *Aquilejam*.
(4) Grut. p. 62. n. 6.
(5) Grut. p. 108. n. 6.
(6) An. Varr. 883.
(7) Grut. p. 54. n. 4.
(8) Donat. p. 1. n. 8.
(9) *Praepositus Vectigalium Ferrariarum*.
(10) *Arcariam Stationis Sisciae*.
(11) Nov. Fior. an. 1740. p. 335. Maff. M. V. p. 413. n. 2. v. inscr. 34. 36. 45.

VICTORIAE
AVG ·
M · VALERIVS
SEVERVS · PONTIF ·
EX · STIPE
VELA · ET · ARAM
· · · · · · · · ·

adnotatum etiam, si qui aliorum opera usi essent (1):

IOVI
IMP · VESPASIANVS
AVG ·
PER · COLLEGIVM · PONTIFICVM
FECIT

nisi forte Pontifices, quod sponte ipsi fecerant, Vespasiano tamquam Pontifici Maximo honoris caussa adtribuisse dicendi sunt. ii certe, qui jussi aliquid dedicabant, eum qui jusserat, patrio fere casu efferebant (2):

LARIBVS · AVG ·
REG · I ·
VICO · III · ARARVM
IVSSV
PONTI · FAVSTINI
GRANIANI · PR ·
MAG · FECERVNT
VALERIVS · ONESIMVS
L · POMPEIVS · EVPHROSYNVS
Q · GRANIVS · AVGVSTINVS
TI · CLAVDIVS · HERMES

Quid si, non de opere ab inchoato exstructo, sed de restituto agetur, ejus ne etiam nomen inscriptioni addemus, qui primus fecerit? id equidem perraro antiquis in titulis legi; sed legi tamen, quum is conditor fuisset, cujus nomen et operi et restitutori famam facere, ipsamque operis originem et vetustatem cuique prodere videretur: ut in Tiburtina inscriptione (3):

IOVI · PRAESTITI
HERCVLES · VICTOR · DICAVIT
BLANDVS · PR · RESTITVIT

ceterum notati aliquando sunt, qui in operum restitutorum titulis nullam conditoris, quicumque ille fuisset, mentionem fieri passi essent. sic Svetonius, quum scripsisset, opera a Domitiano plurima et amplissima, quae incendio absumpta fuerant, esse restituta, adjecit, *sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria* (4).

Quae res Diis datae, dicatae essent, eas fere in titulo, qui rebus ipsis inhaerebat, vix indicatas reperio. eminebant enim prodebantque se intuentibus. at si quid ex illis latere, nec plane a quolibet agnosci poterat, tum vero diserte explicabant. sic Iulius Caesar, ut est apud Plinium (5), Thoracem, quèm Veneri Genetrici in templo ejus dicavit, *ex Britannicis margaritis factum voluit intelligi*: sive, ut Solinus exposuit (6), *e Britanicis margaritis factum, subjecta inscriptione testatus est*: quod nimirum genus illud margaritarum dispicere oculis non poterant, qui donum sine monstratore con-

(1) Grut. p. 13. n. 11.
(2) Fabr. p. 672. n. 8. v. inscr. 49. l. 1.
(3) Grut. p. 1065. n. 2.
(4) in Domit. c. 5. n. 1.
(5) H. N. l. 9. c. 35. n. 57.
(6) Polyhist. c. 76.

templabantur. sic etiam, quum simulacra duo Fortunae Praenestinae dicata essent e marmore Corolitico, sive, ut Plinius appellat (1), *Coralitico*, quod *candore proximo ebori et quadam similitudine erat*, idemque quo majoris mensurae esset, eo majore in pretio esse debebat, quum *non ultra bina cubita* inveniri soleret; idcirco adscriptum, ea simulacra e Corolitico esse, quod fortasse, qua facie esset, pauci norant (2);

FORTVNAE
PRIMIGENIAE
TI · CLAVDIVS
THERMODON · ET
METIA · M · F ·
LOCHIAS · EIVS
SIMVLACRA · DVO
SPEI
COROLITICA D · D ·

eadem de caussa nec tacendum duxerunt, si quid ad alterius operis exemplum factum esset (3):

C · TORANIVS · SACERDOS
HERCVLIS . LVCI · MONTANI
ARAM · CVM · BASI · MARMOREA
DIS · MAGNIS
QVALIS · EST · IN · AVENTINO
TEST · P · C ·

designabant autem res singulas propriis vocabulis: nisi quod statuas Deorum ipsa numinum appellatione interdum indicare maluerunt (4):

P· CORNELIVS · FAVSTVS
SILVANVM
. CVM · BASE
D · D ·
DEDICAVIT
IDIBVS · APRILIB ·
IMP · CAES · M · AVRELIO
ANTONINO III · IMP · VERO
AVGVSTO · COS · II · (5)

si rerum dedicatarum nomina praetermissa sint, dedicationis etiam verbum plerumque desideratur: praesertim quum Deorum nomina extremo versu leguntur (6). sed bina etiam tibi ac plura eodem in titulo occurrent verba, ubi res diversae requirere videantur (7). quo loco animadvertendum est, male aliquando consociari verba, quae diversis vel rebus respondent vel casibus. haeremus enim, quum legimus, nec sententiam statim arripimus. quare minus mihi probatur inscriptio haec, Romae quae prostat (8):

SANCTO · ELIGIO · TEMPLVM
PICTVRIS · SIGNIS · VALVIS · MARMORE
ATQVE · OMNI · ORNAMENTO
CORPVS · AVRIFICVM · FECIT · ET · EXORNAVIT

V. Denique et illae nobis formulae considerandae sunt, quas saepe inscriptionibus subjectas, aut ad latera incisas videmus; quamquam earum exempla libro tertio exponentur. hujusmodi sunt precationes opem a diis implorantium (9):

(1) H. N. l. 36. c. 8. n. 13.
(2) Grut. p. 76. n. 9. v. Caryoph. de marmor. antiq. p. 28. ult. edit.
(3) Grut. p. 1063. n. 5.
(4) id. p. 63. n. 3. v. inscr. 41.
(5) An. Varr. 914.
(6) v. inscr. 32. 34.
(7) v. inscr. 36. 38.
(8) Gallet. Inscr. Rom. t. 2. Cl. 15. n. 376.
(9) Grut. p. 72. n. 4.

IN · H · D · D · (1)
T · ALBANIVS
PRINCIPIA
NVS · EVOK ·
AVG · N ·

SALVOS IRE

SALVOS · VENIRE

quo etiam pertinet titulus ille pedi fictili inscriptus in Passeri Museo, FAVSTOS · REDIRE (2).

Subnotatum aliquando, quo die sacrum numini faciendum esset (3):

CERERI · AVGVST ·
MATRI · AGR · (4)
L · BENNIVS · PRIMVS
MAG · PAGI
BENNIA · PRIMIGENIA
MAGISTRA · FECER ·
GERMANICO · CAESARE · II·
L · SEIO · TVBERONE · COS · (5)
DIES · SACRIFICI · XIII · K · MAI

saepe autem dies dedicationis adscriptus (6), item epuli eodem die dati mentio interdum facta est (7):

SILVANO · SACRVM · SODAL · (8)
EIVS . ET · LARVM · DONVM
POSVIT . TI · CLAVDIVS · AVG ·
LIB · FORTVNATVS · A
CVRA · AMICORVM
IDEMQ · DEDICAVIT
ET · EPVLVM · DEDIT
DECVRIS · N · IIII ·
K · AVGVSTIS · C · MINI
CIO · FVNDANO . ET
C · VETTENNIO · SE
VERO · COS · (9)

fuere etiam, qui et inchoati et absoluti operis tempora designare voluerunt (10):

SILVANO · FLAVIORVM
CASSIANVS · T · FLAVI · AVG · LIB ·
CELADI · LIBERTVS · FECIT · VNA
CVM · FLAVIS · CASSIANO · ET
AMANDO . FILIS · INCHOATA
ANTONINO · AVG · PIO · P · P ·
DEDICATA · XV · KAL · APRIL·
SCIPIONE · ORPHITO · ET
SOSIO · PRISCO · COS · (11)

delubrum, opinor, Silvano exstrui coeptum dicitur, quo anno Antoninus Pius a senatu *Pater Patriae* appellatus est, de quo haec a Capitolino accepimus (12): *Patris Patriae nomen delatum a senatu, quod primo distulerat, cum ingenti gratiarum actione suscepit*, hanc vero consuetudinem tum maxime imitemur, oportet, quum inscriptio magno in opere ac plane regio eminere debeat, quod, urgente propositum pietate, annorum paucorum spatio perfectum sit. inde enim major erit operis commendatio, et auctori ab ipsa etiam celeritate laus tribuetur. quidam vero id etiam referre putaverunt,

(1) *Honorem Domus Divinae*.
(2) Lucern. t. 2. tab. 73.
(3) Grut. p. 26. n. 9. v. Almelov. Fast. in praef. p. 29.
(4) *Matri Agrorum*.
(5) An. Varr. 771.
(6) v. inscr. 38. 44.
(7) Grut. p. 63. n. 1.
(8) *Sodalis*.
(9) Cos. Suff. an. Varr. 804. secundum Almelov., sed Marin. Fr. Arv. p. 142. probat, hos suffectos processisse an. Varr. 855.
(10) Fabr. p. 173. n. XXIII.
(11) An. Varr. 902.
(12) in Ant. Pio c. 6.

si in sacrarum aedium titulis indicarent, quot illae annos post primi templi constitutionem dedicatae essent: ut Cn. ille Flavius, qui fastos dies primus publicavit. is enim, ut auctor est Plinius (1), aediculae aereae, quam fecerat in Graecostasi, tabellam addidit, in qua inciderat, *Eam Aedem centum quatuor annis post Capitolinam dedicatam*.

Datum quoque aliquid municipalibus magistratibus, et praeter Romanos consules, duumviri etiam aliquando subjecti sunt, quem quidem morem si revoces, perjucundum, opinor, iis accidet, qui nunc quoque in municipiis magisterio aut praefectura funguntur, raro tamen nomina sua in monumentis inscripta legunt. exemplum e lapide descriptum est, qui Brixiae repertus, Veronam ad Maffejum est missus (2):

L · VIBIVS · VISCI · L · NYMPHODOTVS
BERGIMO · VOTVM
C · ASINIO · GALLO · C · MARCIO · CENSOR ·
COS · (3)
L · SALVIO · APRO · C · POSTVMIO · COSTA
II · VIRIS · QVINQVENNALIBVS

neque hic semper finis fuit: praeter magistratus, separatim adscripti interdum, qui monumentum fieri aut collocari curaverant (4): et qui opus a redemptoribus absolutum probarant (5), aut locum operi exstruendo concesserant (6): nec omissa nomina clarorum virorum, quibus forte, honoris caussa, aedis sacrae dedicatio data esset:

(7)
CONCORDANTIAE · AGRIGENTI
NORVM · SACRVM
RESPVBLICA · LILYBITANO
RVM · DEDICANTIBVS
M · HATERIO · CANDIDO · PROCOS ·
ET · L · CORNELIO · MARCELLO · Q · (8)
PR · PR · (9)

quidam etiam, quum signum Deo alicui in delubro ejus ita dicarent, ut id ad sodales Dei ejusdem pertinere vellent, a quibus potissimum coleretur, adscripsere infra, cui donum darent:

(10)
FORTVNAE · PRAETORIAE
SACRVM
L · MVCIVS · NICEPHOR ·
MAG · HERCVL · AVG ·
CN · COPONIVS · EPAGATHVS
CVRATORES · PRIMI · D · S · P ·
CVLTORIBVS · D · D ·

Huc referas additamenta alia, quae ad inscriptionis sacrae argumentum vix pertinent: commode tamen, occasione arrepta, subjiciuntur (11):

(1) H. N. l. 33. c. 1. n. 6.
(2) Maff. M. V. p. 109. n. 1. v. inscr. 38. et 44.
(3) An. Varr. 746.
(4) v. inscr. 44.
(5) v. inscr. 38.
(6) v. inscr. 46.
(7) Zaccar. Inst. Lapid. l. 2. c. 11. p. 336.
(8) *Quaestore*.
(9) *Primae Provinciae*.
(10) v. Inscr. Sic. Cl. 1. n. 27. Don. Cl. 1. p. 48.
(11) Fabr. p. 744. n. 528.

NYMPHIS · GEMINIS
SACRVM
C · FVFIVS · GEMINI · F ·
POLITICVS
IDEM · AQVAM · PERDVXIT

fontem, credo, deducta aqua, exstruxerat Fufius, et Nymphis dedicaturus, quas de patris cognomine *Geminas* appellavit, earum signis ornaverat. utrumque una potius, quam binis inscriptionibus complecti voluit. hoc pacto multa interdum haud levi compendio congerere in unum fas erit, siquidem res ejusmodi tractentur, quae societate aliqua conjunctae sint. quod nuper ipse etiam feci, rogatus inscriptionem condere, qua partem aliquam attingerem munificentiae immortalis viri Alexandri Albani Cardinalis, quae etiam in sacris aedibus qua restituendis qua ornandis semper enituit (1):

SANCTO · LAVRENTIO
MARTYRI · INVICTO
SOSPITATORI
SACR ·
ALEXANDER · HORATI · F · ALBANVS
PROTODIAC · CARDINALIS
ABBAS
ANNO · M · D · C · C · LXXVI ·
TEMPLVM · VETVSTATE · CORRVPTVM
SVA · IMPENSA · RESTITVENDVM · ORNANDVMQVE
ALTARE · MARMOREVM · SACRARIA · TVRRIM
AB · INCHOATO · EXSTRVENDA · CVRAVIT
ITEM · DITIONEM · VETEREM · AGRVMQVE · VECTIGALEM
CASTRI · LEONIS · ET · MIRABELLI
QVAE · NEGLIGENTIA · SVPERIORVM · TEMPORVM
AMISSA · FVERANT
DIVTVRNA · CVRA · ET · FORENSI · ACTIONE · VINDICATA
EX · AVCTORITATE · PONTIFICIS · MAXIMI
SIBI · ET · SVCCESSORIBVS · POSTERISQ · EORVM
RECEPIT

Haec fere sunt, quae tiro si teneat, ad sacros titulos perscribendos accedere possit audentius, expeditiore tamen utetur stilo, ubi formularum ordines, quas libro tertio proferam, saepe perlegerit.

(1) ad S. Laurent. in Campo.

§. III.

DE MONVMENTIS SACRORVM

Partis hujus tres articulos quum fecerimus libro primo, prope eadem tamen primi ratio est, quae secundi; quippe utriusque exempla historicas inscriptiones maxime imitantur: tertii vero propriae quaedam regulae sunt.

I. Ac de legibus quidem dedicationum vix aliud praecipiendum est, quam ut rem propositam latine dilucideque exponas; simplici autem utaris dictione, quae imitatrix sit ejus, qua plebiscita olim et leges populi Romani scribebantur. harum enim usus hic erit, ut templorum parietibus affixae non modo de locorum religione commoneant, et sacrum a profano secernant, sed stata etiam sacra sollemnesque ritus recenseant, et alia fieri vetent, alia singulis diebus aut mensibus aut annis praestari jubeant. quam in rem non inutiles tibi fore arbitror eas juris formulas, quas liber tertius suppeditabit (1).

Porro initium, unde libet, sumito: variant enim, quae supersunt, exempla. nomina tamen eorum, qui dedicationem celebraverint, sub initium recte ponentur, nisi a numinis invocatione exordium ducatur, uti apud Livium (2):

IVPITER · FERETRI
HAEC · TIBI
VICTOR · ROMVLVS · REX
REGIA · ARMA · FERO
TEMPLVMQVE · IIS . REGIONIBVS
QVAS · MODO · ANIMO · METATVS · SVM
DEDICO
SEDEM · OPIMIS · SPOLIIS
QVAE · REGIBVS · .
DVCIBVSQVE · HOSTIVM · CAESIS
ME · AVCTOREM · SEQVENTES
POSTERI · FERENT

nota fere addita est, quae dedicationis annum designaret, eaque vel primo vel extremo versu perscripta. sed hanc praestat omittere, quotiescumque in ipso initio ad numen sermo convertitur: praesertim si tempus ab ipsa dedicantis persona satis significetur. quin ne tum quidem opus temporis nota, quum inscriptio publice posita est, ut de loci tantum religione hospites admoneat, animadversionemve violatoribus comminetur: cujusmodi est, quae in sacrario Deae Opeconsivae fuisse dicitur (3):

HOC · PRAETER · VIRGINES · VESTALES
ET · SACERDOTEM · PVBLICVM
INTROIRE · NEFAS · ESTO
IS · CVM · INTROIERIT · SVFFIBVLVM · HABETO

et quae ad Silvani in introitu fuisse videtur (4):

EXTRA · HOC · LIMEN · ALIQVID · DE · SACRO
SILVANI · EFFERRE · FAS · NON · EST

qua nempe lege cavebatur, ne quod Deo semel dicatum esset, ulla unquam de caussa

(1) c. 8. part. 10. 12. 13.
(2) lib. 1. c. 5. n. 10.
(3) Fabr. de Col. Tr. p. 168. F. Scal. Conject. in Varr. l. 4. de L. L. c. 3.
(4) Inscr. Capit. t. 1. n. 35.

exportari alio posset. utar vero et exemplo, si datur, quod olim Caesaris fere verbis (1) a me expressum est:

ADYTA · SACROSANCTA
QVO · NEMINI · PRAETER · SACERDOTES
ADIRE · FAS · EST
QVI · SCIENS · PEDEM · INTVLERIT · HVIC · SACRIFICIIS
INTERDICTVM · ESTO
AB · EOQVE · OMNES · DECEDVNTO
ET · ADITVM · EIVS
SERMONEMQVE · DEFVGIVNTO

Comminationes autem hujusmodi, item conditiones separatim etiam, et tamquam clausulae subjiciebantur: quo e genere sunt Gruterianae illae (2),

SI · QVIS · FVRAVERIT (3)
PROINDE
OBLIGATVS · ERIT
AC · SI · SACRILEGIVM
COMMISERIT

(4)
SI · QVI · CLIPEVM · PONERE · VOLET
DABIT · ARCAE · HS · II · N ·

at elegantiae accedet non parum, siquidem in ipsam dedicationis narrationem precatio aliqua interponetur, qualem tibi exhibet inscriptio LXII· vel etiam, ni fallor, si, narratione absoluta, seorsum dedicantis nomine subscribetur: quod veteri exemplo non caret (5). atque id mihi etiam adrisisse olim memini, inscriptionem condenti, quam subjiciam:

(1) lib. 3. B. C. c. 32. n. 105. l. 6. B. G. c. 5. n. 13.
(2) Grut. p. 1076. n. 10.
(3) *Furo* pro *Furor* apud Plaut. Rud. 1. 2. 23. et Trin. 4. 2. 22.
(4) Grut. p. 1072. n. 3.
(5) Insc. nov. Fr. Arval. Marin. Grut. p. 83. n. 15. etc.

ALOISIO · (1) GONZAGAE · ET · STANISLAO · KOSTKAE
PATRONIS · CAELESTIBVS · SALVTARIBVS
CVLTORES · EORVM
CLYPEA · EX · AERE · INAVRATA
NOSTRA · IMPENSA · POSVIMVS
ET · HAC · LEGE · DEDICAVIMVS
VT · NE · CVI · AMOVERE . TOLLERE
ALIOVE · EA · LOCO
ADFIGERE · LICEAT
VTIQVE · DIE · NATALI · VTRIVSQVE
FLORIBVS . ORNENTVR · AMBO
ET · CEREI · BILIBRES · DVO · AD · EA
ACCENSI · IN · DIEM · LVCEANT
VOS · CAELITES · SANCTI · NOVENSILES
QVI · HANC . VRBEM · HAS · SEDES · INCOLVISTIS
PRECAMVR · QVAESVMVSQVE
VT · ITA · NOBIS · VOLENTES · PROPITII
ADSITIS
RESQVE · NOSTRAS · BENE · IVVETIS
SI · OPIS · VESTRAE
NON · ALIENAE · LAVDIS · PROMERENDAE · CAVSSA
HOC · VOBIS · DEDIMVS
DONVM

primum nempe oratio ad eos convertitur, qui ad monumentum visendi caussa accedant, ne ignorent, quinam quibusve legibus dedicarint: deinde caelestes patronos, ut dedicantibus propitii sint. neque vero huic monumentorum generi indecorum aut inconveniens videtur esse, si auctores ipsi loquentes inducantur, quemadmodum in temporariis quoque inscriptionibus olim factitatum est.

Sed tamen si ea proponere debeas, quae publice constituta sint, graviore tibi sermone utendum existimo; nec alia fere enuncianda, quam quae in ipsis decretorum rescriptorumque verbis continentur: ut nuper ego etiam praestiti, quum Canonicorum Fabrianensium rogatu inscriptionem confeci hujusmodi, quae in porticu aedis s. Nicolai Magni figeretur:

EX · AVCTORITATE
PII · VI · PONT · MAX ·
A · D · PR · IDVS · APRILES
ANNO · M · DCC · LXXVIIII ·

SODALIBVS · BONAE · MORTI · APPETENDAE
QVORVM · SEDES · AD · S · IGNATII · AEDEM · PERDIV · FVIT
TEMPLVM · S · NICOLAI · MAGNI · DATVM · ADSIGNATVM · EST
IN · QVOD · STATIS · DIEBVS · IPSI · LIBERI · POSTERIQ · EORVM
AD · SACRA · AD · CONCIONEM · AD · SOLLEMNES · PRECATIONES
VETERI · IVRE · CONVENIANT

(1) Aloisio *sine* Y *scribebat Aldus senior.*

ITEM · CETERIS · CIVIBVS · INCOLISQVE · QVICVMQVE
TEMPLVM · RELIGIONIS · PIETATISQVE · CAVSSA
CVM · SODALIBVS · ISDEM · ADIERINT · CELEBRARINT
TRIBVTVM · VTI · EODEM · IVRE · DE · ADMISSIS · SVIS
PACEM · A · DEO · VENIAMQVE · AD · PONTIFICALIS
INDVLGENTIAE · MODVM · SINGVLI · IMPETRENT
VTIQVE · DEFVNCTORVM · ERRATA · ETIAM · ET · POENAS
EXPIARE · IDEM · SVPPLICANDO · POSSINT

Huc referas, velim, eos quoque titulos, qui sacri diem designant: sunt enim veluti leges atque appendices dedicationum, rituumque sacrorum. exemplum hujusmodi antiquo in epistylio legitur, quod in insula Tiberina effossum est (1):

VICI · CENSORI · LVSTRATIO · ERIT · IDIBVS · SEPTEMBR ·

eodemque non immerito pertinere dixeris particulam illam ex Actis Fratrum Arvalium apud Fabrettum (2):

QVOD · BONVM · FAVSTVM · FELIX · FORTVNATVM · SALVTAREQVE · SIT
IMP · CAESARI · DOMITIANO · AVG · GERMANICO · PONTIF · MAXIMO
ET · DOMITIAE · AVGVSTAE · CONIVGI · EIVS · TOTIQVE · DOMVI · EORVM
POPVLO · ROMANO · QVIRITIBVS · FRATRIBVSQVE · ARVALIBVS · MIHIQVE
SACRIFICIVM · DEAE · DIAE · HOC · ANNO · ERIT · A · D · XVI · K · IVN · DOMO
A · D · XIIII · K · IVNIAS · IN · LVCO · ET · DOMO · A · D · XIII · K · IVN · DOMO

II· Iam ad alterum quod spectat articulum, qui veteribus indices erant ludorum votorumque publicorum, nobis erunt supplicationum votorumque sollemnium. neque enim ludos nunc veterum more facimus, qui religionis caussa atque ad Deos placandos edere solebant. at supplicationes vel ad opem implorandam vel ad gratias agendas saepe constituuntur, quarum monumentum exstare aliquod maxime convenit: nec minus votorum publicorum, ut periculis divinitus amotis, et accepti beneficii et liberatae fidei memoria posteritati prodatur.

Indices autem hujusmodi aut anaglyphis tabulisve pictis subjiciuntur, aut soli prostare solent. veteres imitari qui cupiat, indices picturis ac signis breves admodum simplicesque subscribat: effigies enim ipsae multa loquuntur, quae verbis exponenda veteres non putabant. sed tamen Pontificum nomina et magistratuum praetermittenda non videntur, nec tacenda supplicationum aut votorum caussa; nisi forte ex inscriptione nota sint totius operis, ad quod signa picturaeve pertineant: nam haec quidem si deest, vix ea ullo sculptoris aut pictoris indicari artificio possunt. itaque si proposita tabula esset, quae pompam eam referret, quam nostra aetate Clemens XIII· Pontifex Maximus ad templum Liberianum rite deduxit, supplicatione ob impendentes calamitates decreta; equidem plura his subscribenda vix putarem:

CLEMENS · XIII · P · M ·
CVM · PATRIBVS · POPVLOQVE
PLACANDI · NVMINIS
CAVSSA

quid, si populum sculptor fecisset vota Virgini Matri Dei nuncupantem, quum ille

(1) Fabr. p. 672. n. 7. v. et Gell. N. A. l. 10. c. 24.

(2) p. 444. n. 51. et Marin. Frat. Arv. Inscr. Tav. XXIV.

idem Pontifex repentino primum est morbo tentatus? non aliud plane indicis loco adscriberem, quam haec aut similia:

PRO · SALVTE · CLEMENTIS · XIII · P · M ·
OPTIMI · PRINCIPIS

reliqua nempe ipso in marmore oculis quisque legeret suis, sculptoris arte descripta: quam ob caussam, fortasse etiam ob titulum longiorem in fronte operis positum, paucioribus plane verbis conceptae eae sunt inscriptiones, quas attuli libro primo (1).

At si monumenta unis constare litteris debeant, nec rerum series nisi oratione in marmore exponenda sit; tum vero ex veterum penu multa promere, et totos si velis columnarum scapos implere liceat: praesertim si res magnae agantur, quae extra ordinem ac perraro fieri soleant. exemplum autem petendum maxime ex Ara Narbonensi, ut ut pulcherrimi monumenti particula aliqua, vetustate absumpta, perierit (2). haec in Arae fronte inscripta legimus:

T · STATILIO · TAV*RO*
L · CASSIO · LONGINO (3)
COS · X · K · OCTOBR ·
NVMINI · AVGVSTI · VOTVM
SVSCEPTVM · A · PLEBE · NARBONENSIVM · IN . PERPETVOM

QVOD · BONVM · FAVSTVM · FELIXQVE · SIT · IMP · CAESARI · DIVI F · AVGVSTO · P · P · PONTIFICI · MAXIMO · TRIB · POTEST · XXXIIII · CONIVGI · LIBERIS · GENTIQVE · EIVS · SENATVI · POPVLOQVE ROMANO · ET · COLONIS · INCOLISQVE · C · I · P · N · M · (4) QVI SE · NVMINI · EIVS · IN · PERPETVVM · COLENDO · OBLIGAVERVNT PLEBS · NARBONENSIVM · ARAM · NARBONE · IN · FORO · POSVIT AD · QVAM · QVOT · ANNIS · VIIII · K · OCTOBR · QVA · DIE · EVM SAECVLI · FELICITAS · ORBI · TERRARVM · RECTOREM · EDIDIT · TRES EQVITES · ROMANI · A · PLEBE · ET · TRES · LIBERTINI · HOSTIAS SINGVLAS · INMOLENT · ET · COLONIS · ET · INCOLIS · AD SVPPLICANDVM · NVMINI · EIVS · THVS · ET · VINVM · DE · SVO EA . DIE · PRAESTENT · ET · VIII · K · OCTOBR · THVS · VINVM COLONIS · ET · INCOLIS · ITEM · PRAESTENT · K · QVOQVE · IANVAR. THVS · ET · VINVM · COLONIS · ET · INCOLIS · PRAESTENT · VII · QVOQ · IDVS · IANVAR · QVA · DIE · PRIMVM · IMPERIVM · ORBIS TERRARVM · AVSPICATVS · EST · THVRE · VINO · SVPPLICENT · ET HOSTIAS · SINGVL · INMOLENT · ET · COLONIS · INCOLISQVE · THVS VINVM · EA · DIE · PRAESTENT

ET · PRIDIE · K · IVNIAS · QVOD · EA · DIE . T · STATILIO · TAVRO M · AEMILIO · LEPIDO · COS · IVDICIA · PLEBIS · DECVRIONIBVS CONIVNXIT · HOSTIAS · SINGVL · INMOLENT · ET · THVS · ET · VINVM AD · SVPPLICANDVM · NVMINI · EIVS · COLONIS · ET · INCOLIS PRAESTENT

EXQVE · IIS · TRIBVS · EQVITIBVS · ROM · LIBERTINIS · VNVS · · ·

verba hic aliquot deleta puto, quibus significabatur, quid praeterea eo die ab uno e libertinis equitibus praestandum esset, exempli caussa MVLSVM · ET · CRVSTVLA · PLEBI · DET, aut similia.

Ad arae autem latus adjecta est dedicationis formula, cujus quidem initium. desi-

(1) v. inscr. 66.
(2) Grut. p. 229.
(3) An. Varr. 764.
(4) *Coloniae Iuliae Paternae Narbonis Martii.*

deratur, sed litterae tamen, quae supersunt, indicio mihi sunt, Pontificem aut Flaminem in primo versu scriptum, qui *Nomine Plebis*

NARBONENSIS · *ARAM* · NVMINIS · AVGVSTI · *DEDI*CAVIT

LEGIBVS · IIS · Q · I · S · S · (1)

NVMEN · CAESARIS · AVG · P · P · QVANDO · TIBI · HODIE · HANC . ARAM DABO · DEDICABOQVE · HIS · LEGIBVS · HISQVE · REGIONIBVS DABO · DEDICABOQVE · QVAS · HIC · HODIE · PALAM · DIXERO VTI · INFIMVM · SOLVM · HVIVSQVE · ARAE · TITVLORVMQVE · EST SIQVIS · TERGERE · ORNARE · REFICERE · VOLET · QVOD · BENEFICII CAVSA · FIAT · IVS · FASQVE · ESTO · SIVE · QVIS · HOSTIA SACRVM · FAXIT · QVI · MAGMENTVM · NEC · PROTOLLAT · IDCIRCO TAMEN · PROBE · FACTVM · ESTO · SI · QVIS · HVIC · ARAE · DONVM DARE · AVGEREQVE · VOLET · LICETO · EADEMQ · LEX · EI · DONO ESTO · QVAE · ARAE · EST · CETERAE · LEGES · HVIC · ARAE TITVLISQ · EAEDEM · SVNTO · QVAE · SVNT · ARAE · DIANAE · IN AVENTINO · HISCE · LEGIBVS · HISQVE · REGIONIBVS · SIC · VTI DIXI · HANC · TIBI · ARAM · PRO · IMP · CAESARE · AVG · P· P· PONTIFICE · MAXIMO · TRIBVNICIA · POTESTATE · XXXV · CONIVGE LIBERIS · GENTEQVE · EIVS · SENATV · POPVLOQVE · R · COLONIS INCOLISQVE · COL · IVL· PATERN · NARB · MART · QVI · SE · NVMINI EIVS · IN · PERPETVVM · COLENDO · OBLIGAVERVNT · DOQVE DEDICOQVE · VTI · SIES · VOLENS · PROPITIVS

formula haec sollemnis fuisse, atque e libris pontificalibus sumpta esse videtur, quum sit ejus persimilis, quam habet ara Salonitana (2). hoc porro in exemplo quaedam tibi veluti norma praesto est, ad quam nonnulla aevi nostri monumenta referas: ea, opinor, maxime, quae posteros monere debeant de civitatis decreto, quo quis e sanctis Caelitibus inter caelestes urbis patronos adnumeratus sit. utramque enim, si libeat, inscriptionis partem imitari facile poteris; ut primum decretum, deinde votum adjecta precatione exponatur.

Quia vero contingit interdum, ut templa simul aut altaria excitentur, et religionis caussa multi fiant sumptus: haec etiam litteris consignanda sunt, describendaeque aedificii partes, et quae in unumquodque opus erogata pecunia, quamque stipem sacerdotum collegia aut sodalitates aut populus contulerint: quo etiam anno inchoata, quo absoluta opera sint. antiquus hic plane mos, quem barbari etiam aliquando tenuerunt. columnas memorat Strabo (3) aereas octo cubitorum, quae erant Gadibus in Herculis delubro, sumptum in templi exaedificationem factum referentes. Romae vero nomina quoque incisa aliquando eorum omnium, qui pecuniam contulissent: praeter alia exemplum est apud Gruterum hoc initio (4):

IMP · CAESARE · T · AELIO · HADRIANO · ANTONINO · AVG ·

PIO · P · P · III · M · AELIO · AVRELIO · CAESARE · COS ·

ORDO · CORPORATOR · QVI · PECVNIAM · AD · AMPLIAND · TEMPLVM · CONTVLER ·

quae post verba distributi in classes leguntur singuli, a quibus pecunia collata fuerat: primum ejus ordinis *Patroni*, deinde *Quinquennales Perpetui*, e quibus A · EGRILIVS · FAVSTVS · TESTAMENTO · RELIQVIT · HS · IIII · M · N · SVB · EA · CONDICIONE · VTI · EX · VSVRIS · S · S · S · V · KAL · DEC · OMNIBVS · ANNIS · EPVLENTVR: tum reliqui sodales eo ordine, quo in collegium venerant.

(1) *Quae Infra Scriptae Sunt*.
(2) v. inscr. 63.
(3) l. 3. p. 170. A.
(4) Grut. p. 126. v. Fabr. p. 340. n. 514. p. 448. n. XII. p. 601. n. 21. etc.

Quod reliquum est, si nil aliud, quam sacra aut supplicationes recensendae sint, quae ex voto aliquo aut decreto quotannis fiant, imitari liceat annales illos feriarum Latinarum, quos ex fragmentis in summo Albani montis, ubi celebrabantur, jugo repertis, Gaspar Odericius vir doctissimus descripsit illustravitque (1): sunt autem lapides tres, sed litterae primi et secundi corruptae, in tertio hi versus prope integri:

C · MINICIO · FVNDANO
C · VETTENNIO · SEVERO C . . . .
LAT · FVER · PR · IDV · AVG ·
P · AELIO · HADRIANO
M · TREBATIO · PRISC · C
LAT · FVER · (2) · · K · IVL ·
P · CALVISIO · TVLLO
L · ANNIO · LARGO
LAT · FVER · · · ·

sed plura aliquando dabit (*a*) Cajetanus Marinius vir eruditissimus, cujus in mancipio lapides ipsi sunt. vides, opinor, scribi nihil posse simplicius: consules cientur ad indicium annorum, iique suffecti, quod eae feriae in vernum fere aestivumve tempus edicerentur: et quia conceptivae erant, non stativae, dies etiam adscribitur, quo sacrum in monte rite perpetratum. tu vero in ejusmodi monumentis vel annum scribito Dionysianae supputationis, vel regnum, si libet, pontificatum, magisterium eorum, sub quibus aut supplicatio instituta, aut sacrum singulis annis peractum est: diem item, nisi status hic sollemnisque sit: tum quae res acta fuerit: nec jam plura opus erunt.

III. Quae demum Kalendariorum forma et distributio esse debeat, ipsa, quae libro primo exhibita sunt, exemplaria satis demonstrant. nulla ibi exornatio est, nullus verborum ambitus: res quaeque ipsis tantummodo, quae necessaria essent, vocabulis expedita: omnia vero distincta notis litterisve, atque eodem semper ordine ac ratione digesta. sunt tamen priscorum Kalendariorum quaedam reliquiae, unde constet, veteres in his etiam monumentis longiore aliquando oratione usos esse, in primisque Verrium Flaccum, quod ex Fastis ejus Praenestinis uberius nuper didicimus: atque id factum maxime, ut caussas originesque feriarum ac festorum dierum exponerent. exempla hujusmodi multa congeram in librum tertium (3): unum hic describam, quod particulam esse e Verrii Kalendario desectam, non ambigitur: Praeneste enim lapis repertus est (4).

NON · N · (5) CONCORDIAE · IN · ARCE · FERIAE · EX · S · C · QVOD · EO
DIE · IMPERATOR · CAESAR · PONTIFEX · MAXIMVS
TRIB · POTESTAT · XXI · COS · XIII · (6) A · S · P · Q · (7) ROMANO
PATER · PATRIAE · APPELLATVS

atque illud etiam animadvertas, velim, quae Kalendaria in municipiis dedicarentur, in his quoque Romanas ferias festosque urbis dies esse descriptos: quod non Praenestini solum, sed etiam Antiatini (8) atque Amerini Kalendarii (9) reliquiae declarant: cujus consuetudinis non ea solum fuisse ratio videtur, quod municipales feriae et sacra sollemnia rariora essent; sed haec etiam, ne ignorarent municipes Itali, quo maxime tempore ludorum spectandorum caussa, in urbem itare praestaret. at plura etiam licentiusque ab iis congesta et descripta constat, qui Kalendaria privata condebant: quale Theodosii et Valentiniani Augustorum temporibus (10) sibi fecit Polemeus ille Silvius, qui et natalem suum Idibus Iuniis adscripsit hoc modo, NATALIS · MEVS · hi nimirum

(1) Syll. vet. Inscr. p. 231. n. 84. v. Grut. p. 234. n. 1.
(2) *feriae Latinae Fuerunt.*
(*a*) Et reapse dedit Frat. Arv. p. 129. unde fragmentum istud ab Odericio haud emendate editum deprompsi.
(3) part. 1. c. 8. p. 2. §. 1.
(4) Grut. p. 136. n. 2.
(5) *Nonis* nempe Februarii, *Nefastus* h. e. dies.
(6) An. Varr. 752.
(7) *A Senatu Populoque.*
(8) Tab. Antiat. Vulpii.
(9) Murat. p. 150. n. 1.
(10) Bolland. Act. Ss. Ian. t. 1. in praef. §. 3.

voluptatem sibi atque laudem ab eruditione quaerebant: simul memoriae subsidium sibi bellissimum parabant, ut quae cuique diei adtributa essent, uno adspectu perviderent.

Quamquam autem in antiquis ejusmodi monumentis multa sunt, quae nostra in Kalendaria derivare non licet, quaedam praeterea, quae paullulum inflectenda sint; antiquorum tamen ordinem nos textumque imitari, plerisque etiam formulis uti fas est et convenit. ac primum non calendarum dies solum et nonarum atque iduum adscribentur, quemadmodum eos refert Kalendarium libri primi, exsuccum sane atque simplex; sed ceteri quoque addentur dies, ut in Praenestino inscriptos fuisse liquet, sic nempe, ut post calendas singulorum mensium numeri tantum adnotentur dierum ad nonas, III. II. Pridie, idemque fiat deinceps post nonas, idem post idus. porro dierum notis praeponas, licet, perpetuas litteras septem, quae pro octonis illis sint, quas vetera Kalendaria praeferunt: ut iisdem recurrentibus dierum hebdomas significetur, altera alteri perpetuo succedens.

Dies autem Comitiales atque Endotercisos non est caussa, cur recipias, quippe nobis inauditi sunt: sed Fasti contra et Nefasti dies, quique Nefasti priore appellantur, ubi jus praetores dicunt, recte apponentur. item si Kalendarium in Lyceo prostare debeat, non omittenda dierum eorum nota, quibus in ludum conveniendum sit: eaque hujusmodi esse potest, L. P. id est *Ludi Patent*, quemadmodum in Kalendario Praenestino Verrius scripsit ORACLVM · PATET: atque ubi mane ferias esse indicandum fuerit, adscribere poteris, L. P. A. MERIDIE, si contra sit, scribes L. P. FERIAE A. MERIDIE. addendae vero diebus suis non feriae solum, sed annua etiam Caelitum sanctorum festa; expressis dativo casu nominibus singulorum, quibus hic aut ille dies sacer est. quae tamen de stativis festis dicta sint: nam quae conceptiva sunt, aut caelestes conversiones sequuntur, ea locum non habent, nisi in his Kalendariis, quae nova quotannis proponantur.

Quid ni vero et jejunia instituenda, ac si quae fuerint statae supplicationes pompaeque sollennes, recte adjungantur? esto quaedam etiam non in municipio tuo, sed in urbe fiant: id enim veteribus quoque placuisse indicavimus. quidquid demum apud cives tuos quotannis fieri celebrarique publice solet, ludi potissimum opportune inserentur: qui si stati sollennesque sunt, ubi alia desint nomina, a numero diei, quo edentur, appellari possint: nam de Quinquatribus haec Festus tradit (1): *Forma vocabuli ejus exemplo multorum populorum Italicorum enuntiata est, quod post diem quintum Iduum* (Martiarum) *est is dies festus: ut apud Tusculanos* Triatrus *et* Sexatrus, *et* Septenatrus, *et Faliscos* Decimatrus. nec improbandus, qui et nundinas addiderit, sive ea in municipio, sive in finitimis fiant oppidis: nam et hae olim in Kalendariis interdum designatae: ut in veteri fragmento apud Gruterum (2):

NVNDINAE · AQVINI · IN · VICO · INTERAMN · MINTVRN ·
ROMAE · CAPVAE · CASINI · FABRATER ·

Haec fere sunt, e quibus Kalendarium exsistere possit utile plane atque elegans. quidam et cardinem temporum atque ortum occasumque siderum interponenda putaverunt: quae tu, si libeat, a mathematicis petes. Kalendarium hujusmodi, satis lepidum, scripsit olim vulgavitque Novidius Fraccus Ferentinas: quod Fastis sacris praeposuit, iis quos Ovidii more compositos, Paullo III. Pontifici Maximo dedicavit (3). ceterum liber hic, qui perrarus est, ad manum si venerit, Kalendariumque illud ob oculos habueris, voluptatem quidem legendo capies non mediocrem, et scripta quaedam apposite, et quae imiteris, invenies: at non pauca etiam offendent; ac modo latinam dictionem, modo rerum delectum aut scriptoris judicium desiderabis.

(1) *V. Quinquatrus.* (2) p. 136. n. 1. (3) edit. Romae 1547.

CAPVT II.

De inscriptionibus honorariis

§. I.

DE RATIONE GENERIS VNIVERSA

I. Plana quidem omnia et certa esse videntur, quae huic inscriptionum generi apprime conveniant; nec aliud fortasse reperitur, cujus exempla tam parum ordine inter se textuque discrepent. raro tamen id temporis honoraria occurret inscriptio, non tam quae probis veritatis inusta sit notis, qua de re alio loco dicendum est, quam quae mendo careat, antiquisque exemplis respondeat. vidi olim, et risi, initium honorariae inscriptionis factum ab illis litteris D · O · M·, in alia subscriptam formulam LIBENTES · MERITO, item in alia S · P · Q · R· VOTA NVNCVPAT: quae singula inscriptionum sacrarum formulae sunt. nulla vero in honorariis inscriptionibus frequentior hac aetate clausula, quam tria illa D · D · D· sive *Dant Donant Dedicant:* quae unde petita sint, nescio (*a*): nam tria quidem D · D · D· saepe vidi in antiquis monumentis: sed ea sic legebam *Datum Decreto Decurionum:* nec si duo tantum incisa essent, aliud significari audieram, quam in sacris *Donum Dedit*, in ceteris *Decreto Decurionum:* in honorariis autem si scriptum esset DEDIC· ad statuae jam ab artifice absolutae destinationem atque ἀπόδειξιν referendum esse didiceram (1). haud desunt tamen, qui tria illa D · D · D. respuant, deprecentur: sed iidem subscribere solent MONVMENTVM · POSVERVNT, quod utique claris viris, quos honorant, omen jam proximae mortis esse possit.

Rursus inscriptionis initium quidam ducunt ab apposito aliquo atque laude: qui tamen quo se lare tueantur, vix reperio. exstant profecto inscriptiones aliquot his exordiis (2). sed quae erudita aetate non prodierunt. at eos fortasse binae Puteolanorum inscriptiones in fraudem induxerunt, quarum alteram Fabrettus edidit (3), alteram Muratorius (4). nempe initium primae est MAGNO · IMP · CAES · M · AVRELIO · ANTONINO: quid tamen? appositum illud MAGNO inter praenomina aut cognomina numerandum erat, ut illud alterum Augustorum commune IMP· nam Caracallam, cui ea posita inscriptio fuit, tamquam Pompejum alterum, vel post mortem *Magnum* esse appellatum, declarat nummus vultu ejus signatus cum titulo (5) DIVO · ANTONINO · MAGNO, in cujus fronte aversa rogus et titulus CONSECRATIO. en vero inscriptionem alteram:

MAGNO · ET · INVICTO
IMP · CAES·
DIVI · TRAIANI · PARTHICI · F · DIVI · NERVAE · NEPOTI
TRAIANO · HADRIANO · AVG · PONT · MAX·
TR · POT · V · COS · III · OPTIMO · MAXIMOQ · PRINC·
P · DECRETO · DECVRIONVM · ET · POPVLI
CONSENSV

nihil quidem ad hanc inscriptionem Saxius adnotavit (6), sed primum illum versum

(*a*) Fortasse ex Cic. Act. 2. in Verr. l. 4. c. 29. n. 67. ubi rex Antiochus candelabrum, licet a Verre sibi ablatum, tamen in foro Syracusano se DARE, DONARE, DICARE, consecrare Iovi optimo maximo clamavit.

(1) v. inscr. 38.

(2) Maff. M. V. p. 213. n. 1. p. 459. n. 3. Fabr. p. 720. n. 419. Don. Cl. 2. n. 175. etc.

(3) Fabr. p. 685. n. 88.

(4) Murat. p. 233. n. 2.

(5) Vaill. t. 1. p. 121.

(6) in Peric. Animadv. ad Thesaur. Murator.

insititium ut credam, aevoque inductum recentiore, faciunt verba, quae infra sunt, OPTIMO · MAXIMOQ · PRINC · ob quae locus primis esse non videtur. adde, musquam eam formulam aliis in titulis apparere, et Imperatores multo serius *Invictos* appellari coeptos. quare antiquo exemplo carere dixerim, qui ante nomina et quae cum his congruunt cohaerentque, praepropera laude communes titulos et apposita illa γενικα usurpant.

II. Antiquae contra eae formulae *Divi Filio, Divi Filiae*; at nobis quidem profanae, neque probare eos possum, qui Rege aut Imperatore natos eo titulo honestari posse putaverunt, simul atque parentes eorum decessissent: multoque minus eos, qui proavorum nostrorum memoria Principes ipsos Pontificesque Maximos, quum in vita essent, *Divos* appellaverunt. scio equidem, id vocabulum post Constantini Magni tempora tritum sermone factum esse, significationemque ejus fortasse atque vim imminutam: ut non solum Christianis Imperatoribus adtributum sit, sed a Christianis etiam hominibus aliquando usurpatum. nota enim illa inscriptio, cujus initium est DIVO · VALENTI (1): et a Symmacho scriptum constat (2), *Sollemne est Divo nostro Theodosio*: in Christianis autem epitaphiis legimus (3) bis DIVO · IOVIANO · AVG · *et Varroniano Coss.* quem Iovianum etsi Eutropius (4) inter Divos relatum scribit, Ammianus tamen (5) nullam de eo αποθεωσιν commemorat, conditumque *inter Augustorum reliquias* tradit: quod Zonaras sic explicat: εν τῳ των Αποστολων εταφη ναῳ. verum apud quos unquam, qui latine scribere vellent, temporum horum auctoritas aut interpretatio valuit? quis vero inscriptionum formulas ab eorundem temporum exemplis desumendas putavit, quum ea quisque lingua uti se profiteatur, quae et Latinorum fuerit, et erudita aetate probata sit? quo sane tempore nemo *Divus* unquam dictus, nemo latine dici posse creditus, nisi qui Deus haberetur: ut ut Servius *Divos* dici *ex hominibus factos* scripserit (6), *quasi qui diem obierint*. ad summam vocabulum id quum offendimus, stomachari plerique et moleste ferre solemus, vel quod minus religiose, vel quod putide nimis et adsentatorie usurpari videatur: et est sane indigna res atque intoleranda, homines adhuc inveniri, qui ea nunc probari putent posse, quae olim ipsae Imp. Tiberii aures respuerunt: de quo tradit Tacitus (7), acerbe increpuisse eos, qui de ipso loquentes *Divinas Occupationes* dixerant, quos et verba mutare jussos, scripsit Svetonius (8).

Quid jam de numerosa illa conclusione dicam, quae nunc in deliciis est, DEVOTI NOMINI · MAIESTATIQVE · EIVS? dicebant olim NVMINI, totaque ea formula circa Severi tempora, aut sub extremum Commodi Principatum inducta est. nam inscriptio illa Tarraconensis, quae apud Gruterum (9) Trajani (*a*) nomen praefert, et si quae aliae ejus aetatis existimantur, meo quidem judicio falsae et commentitiae sunt. hisce autem verbis usi veteres mihi videntur, ut ex iis se esse ostenderent, qui vitam suam pro gloria et salute Principis Genio ejus devovissent. *Devotos* sane apud Caesarem (10) fuisse video, quos Galli Soldurios vocabant, homines paratos, cui fidem suam sacramento obstrinxissent, ejusdem ferre casum, aut sibi mortem consciscere. atque his persimiles in Hispania fuere: quorum more Sex. Pacuvium Romae in senatu Caesari Augusto se consecrasse, tradit Dio, ejusque exemplo Romanos se Imperatori *Devotos* dicere coepisse (11): Αφ᾽ ουπερ και νυν προτρεπομενοι τον κρατουντα, λεγειν ειωθαμεν, οτι σοι καθωσιωμεθα.

(1) Antiq. Benev. t. 1. p. 148.
(2) epist. 8. l. 3.
(3) Mus. Ver. p. 252. n. 2.
(4) lib. 10. c. ult.
(5) l. 26. c. 1.
(6) ad Aeneid. l. 5. v. 45.
(7) Ann. l. 2. c. 87.
(8) in Tib. c. 27. n. 3.
(9) p. 258. n. 6.
(*a*) At cit. inscriptio non Trajani, sed M. Antonini Veri nomen praefert, quo tamen non imperatorem M. Aurelium, sed Caracallam indicari compertum est ex iis, quae attulit Ios. Finestres in Syllog. Inscr. Rom. p. 47. licet Veri cognomen huic imperatori minime conveniat.
(10) B. G. l. 3. c. 14. n. 22.
(11) l. 53. p. 715. C. ex quo nunc etiam a Principe discedentes dicere solemus, ei nos esse devotos.

num igitur quispiam ut olim *Devotus Numini*, ita nunc *Devotus Nomini* recte dicetur? id Grammatici, opinor, aegre laturi sunt: nullam enim esse ajunt, aut excogitari posse voti sponsionem, quae cujuspiam nomini fiat: nam veteres quidem, qui se *Devotos* dicerent *Numini* et *Majestati* Principis, Genium ejus intellexisse, per quem et jurabant, ipsamque *Majestatem* in Dearum habuisse numero; de qua Ovidius multa cecinit (1): nihil vero suffragari vulgatum Horatii versum (2),

Iurandasque tuum per nomen ponimus aras:

in quo NVMEN legendum esse, jam ostendit Bentlejus. at contendes fortasse, leniori etiam sensu *Devotos* se dixisse veteres, ut fide nempe ac voluntate addictos se Principi deditosque significarent. ita plane, non repugno: expungi tamen illud *Nomini* longe praestat, primum quod et minus proprium et sine exemplo sit: deinde quod Christianorum Principum caussa veteres, repudiato *Numine*, aliis plane vocabulis usi sint (3):

DOMINAE · NOSTRAE · FLAVIAE · AVGVSTAE
HELENAE · DIVI · CONSTANTI · CASTISSIMAE
CONIVGI · PROCREATRICI · D · N · CONSTANTINI
MAXIMI · PIISSIMI · AC · VICTORIS · AVGVSTI
AVIAE · DOMINORVM · NOSTRORVM · FL·
CONSTANTINI · ET · CONSTANTI · BEATISSI
MORVM · AC · FELICIVM · CAESARVM
ALPINVS · MAGNVS · V · C · CORR · LVCANIAE
ET · BRITTIORVM · STATVIT · DEVOTVS · EXCELLEN
TIAE · PIETATIQVE · EIVS

ceterum quum *Majestatem* veteres pro ipsa etiam amplitudine ac dignitate Augustorum usurpaverint, justa etiam tibi formula esse potest, DEVOTI · MAIESTATI · EIVS, exemplo ex inscriptione Beneventanae coloniae (4) petito, quae se DEVOTAM · MAIESTATI · AVGG. esse gloriatur: ac si de Pontifice Maximo agetur, subscribere etiam liceat, DEVOTVS · SANCTITATI MAIESTATIQVE · EIVS ·

III. Sacerdotia quidam et honores post nomen designant, quo loco veteres tribum scribebant, deinde cognomen addunt, hoc pacto: *Petro Cardinali Bembo, M. Antonio Canonico Boldetto, Aloysiò Ferdinando Comiti Marsilio*: sane insulse; quid enim hoc sapit? exemplum utique habent unum, quod proferant, sed tamen Hispalense (5): cujus auctoritatem singula prope elevant verba: ut Fabretto (6) nihil suboluisse, magnopere mirer. at in epitaphiis, inquies, muneris artisve nomen aliquando ante viri cognomen legimus: est enim a Fabretto id exempli (7):

DIS · MANIBVS
M · LATINIVS · M · L·
MEDICVS
OCVLARIVS
HERMES · VIXIT · ANNOS
XXXX·

ita sane: quin imo in altero ejusdem epitaphio *Regis* appellatio ante cognomen item usurpata (8):

(1) Fast. l. 5. v. 25.
(2) l. 2. epist. 1. v. 16.
(3) Murat. p. 261. n. 1.
(4) v. inscr. 117.
(5) Grut. p. 380. n. 7.
(6) p. 300. n. 278. v. Maff. Art. C. L. l. 3. c. 4. p. 327.
(7) Fabr. p. 300. n. 277.
(8) id. p. 439. n. 44.

IVLIA · TYNDARIS
C · IVLI · REGIS
RHOEMETALCIS · L ·
FECIT · SIBI · ET · SVIS · ET
LIBERTIS · LIBERTABVS
POSTERISQVE · EORVM
IN · FR · P · XII · IN · AGRO · P · XII ·

quid tamen? volsellis pugnas, non gladio: stat enim, vel hoc ipsum semel iterumque nequaquam sine caussa esse factum: quippe Hermes ille M. Latinii non libertus tantum, sed etiam Medicus ocularius erat: Rhoemetalces vero, cui honoris caussa praenomen nomenque suum Augustus concesserat, ita plane appellandus fuerat, ne, si scripsissent *Regis C. Iulii Rhoemetalcis*, Romanae id aures respuerent, Latinum Regem laturae neminem, nedum hunc Thracem.

Nec vero minus inepte faciunt, qui sacerdotiorum et dignitatum vocabula, quae composita sunt, dividunt, ut appositum interjiciant. nam verbi gratia, quum Pontificem Maximum pulcherrimo Trajani cognomine ornare velint, *Pontificem Optimum Maximum* appellant: sic eum, qui *Pontifex Maximus* erat, formula distracta, in Pontificum minorum numerum detrudunt: quemadmodum de eo, qui Etruriae imperitat, si scribas *Magno Et Invicto Duci*, titulum plane eripis, quo gaudet, ut *Magnus Dux* appelletur: quippe nil jam aliud et *Maximus* et *Magnus* ob illam τμῆσιν esse incipiunt, quam apposita mera; dignitatisque nomina *Pontifex* et *Dux* sola remanent, ac pristina jam potestate excidisse plane videntur. at in exemplis, inquies, tuis (1) Septimius Severus dicitur *Pontifex* et *Parthicus Maximus*. memini equidem, atque unicum esse exemplum puto, quod afferri possit: nec tamen ejusmodi, ut ea, quae tradidi, infirmet. hoc enim loco *Parthicus* non est appositum, quo *Pontifex* ornetur, sed alterum veluti substantivum, cui tum idem appositum *Maximus*, ut vocabuli unius instar essent, jungebatur: Severus scilicet, ut ante ipsum M. Aurelius, et Pontifex Maximus erat et *Parthicus Maximus* appellabatur (2): ceterum quod in ea inscriptione semel euphoniae gratia omissum est, in altera quater leges (3), in qua Antoninus Severi filius appellatur *Parthicus Max.*, *Britannicus Max.*, *Germanicus Max.*, *Pontifex Max.*

Sunt et alii, qui sub ipsum inscriptionis initium magistratus efferre nullos solent sine illustri apposito, quum nemo tamen apud veteres aut *Consul Amplissimus*, aut *Censor Aequissimus*, aut *Aedilis Diligentissimus* dictus sit: quod illi servabant, non tam ne quod uni darent, ceteris quodammodo detrahere viderentur, quam quod eo loco non virtutes cujusque, sed honores tantum recenserent. scio non Trajanum modo *Optimum*, sed Antoninum etiam *Pium* esse dictum, Commodum vero *Nobilissimum* (4), et hunc et reliquos ex Augustis *Pios Felices*, eosdemque a devictis gentibus *Germanicos*, *Dacicos*, *Parthicos*, *Britannicos* et hujusmodi: tum horum filios *Nobiles* aut *Nobilissimos Caesares*, imo et *Beatissimos* vel *Praestantissimos*: at haec omnia Principum Caesarumque agnomina erant, titulique honoris caussa in perpetuum adtributi: quare vel ipsi sibi hos adscribebant usurpabantque, ut historicae passim inscriptiones declarant. e privatorum autem numero Plautianum vidimus appellatum esse *Pontificem Nobilissimum* (5), sed eadem ratione, qua Caesares *Nobilissimi* dicebantur, quod nempe ob filiae nuptias Augustos cognatione attingeret. apposita igitur hujusmodi si exceperis, quae perpetua et propria erant, nescio, an alia e communibus repereris, quae in recensione magistratuum munerumque publicorum singulis eorum nominibus adjuncta

(1) v. inscr. 118.
(2) ibid.
(3) v. inscr. 243.
(4) v. Spanhem. diss. 12. p. 357.
(5) v. inscr. 118.

sint, quum haec sub inscriptionis finem ad designandas virtutes, suo quasi loco veteres addere solerent, quemadmodum articulo sequenti exponemus.

III· Quae hactenus improbata sunt, facile quisque vitaverit, quotiescunque libitum erit. at plusculum est negotii in eligendis vocabulis, quum magistratus aut munera Latinis fere ignota latine tamen efferenda sunt. nihil enim profeceris, nisi quod propositum sit, non modo proprie vereque, sed clare etiam ac perspicue dixeris. id autem non ita cuique semper succedit, ut vel eruditissimos aliquando suspensos incertosque non teneat: sive quod minus videat fere qui legit, quam qui scripsit; sive quod ipsa rerum nomina non rem unam tantummodo, sed plures interdum propter verborum ambiguitatem significent. sed plurimum tamen in his valeat, qui sic antiqua praeoptet, ut nec recentia vocabula rejiciat omnia, et quae e veterum exemplis legit, proprie semper ac suo quaeque in genere usurpet. qua de re libro tertio ad singula prope capita agemus, quum de usu exemplorum et imitatione dicendum erit: rem hic tantum novitio confirmare titulo liceat, qui, dum hosce libros retractamus, in Albanorum praetorio positus est:

FERDINANDO · KAROLO
THERESIAE · AVG · F ·
IMP · CAES · IOSEPHI · AVG · FRATRI
PRAESIDI · PROVINCIAE · AVSTRIACAE · TRANSPADANAE
PRAEFECTO · NVMERORVM · AVGVSTAE
IN · ITALIA · TENDENTIVM
ET · MARIAE · BEATRICI
RINALDI · F · ATESTINAE
CONIVGI · EIVS
OPTIMIS · IOCVNDISSIMISQVE · PRINCIPIBVS
KAROLVS · HOR · F · ALBANVS
PRAEPOS · SACRAE · DOMVS · COMES · OMNIVM · ITINERVM
AD · MEMORIAM · FAVSTI · FELICISQ · DIEI · CONSIGNANDAM
QVI · FVIT · III · IDVS · MARTIAS · AN · M · DCC · LXXX ·
QVO · DIE · FIDEICOMMISSARIAE · SVBVRBANI · HEREDITATIS
VSVCAPIONEM · AB · HOSPITIO · EORVM
AVSPICATVS · EST

Quid vero consilii capiendum putemus, quotiescumque aptam Latini formulam non suppeditant? nam quosdam invenies adeo latinitatis studiosos atque amantes, ut animum inducere nullo modo possint, iis uti vocabulis, quae Latini non usurpaverint: qui si hoc statuunt, nihil cuiquam audendum nunc esse contra consuetudinem Latinorum, his me profiteor suffragari maxime. sed si verba barbarie hac nostra infuscata sic respuunt omnia, ut ne ex eo quidem genere ullum accipiant, cujus generis non pauca Latini scriptis suis celebrarunt; tum vero non possum, quin iis adverser atque repugnem. nam Romani quidem scriptores, quum gentium barbararum magistratus nominare oporteret, nomina eorum Latino more terminata quam parum horruerunt? nonne *Sufetem*, qui summus erat Poenis magistratus, et in Latinis inscriptionibus (1) et apud Livium saepe legimus (2)? nonne apud eundem occurrit Campanorum *Mediastuticus*, sive potius, ut Lipsius emendat (3), *Medixtuticus*: ab Ennio *Summus Medix* dictus (4)? quid Aeduorum *Vergobretus* (5), quid Persarum *Satrapes*, quid Graecorum

(1) v. inscr. 314. et 315.
(2) l. 28. c. 19. n. 37. etc.
(3) Epist. Quaest. l. 1. ep. 19.
(4) Fest. v. *Medix*.
(5) Caes. B. G. l. 1. c. 11. n. 16.

Archon et *Prytanis*? nonne et externa omnia, et a Latinis tamen usurpata nihilominus? itaque istorum puto nimis delicatum esse fastidium, eosdemque quum minime opus est, difficiles ac morosos. eum vero satis commode fecisse judicabo, qui Romanos scriptores imitatus, quidquid offenderit hujus generis, non ancipiti aliquo vocabulo, sed nomine suo, qualecumque id tandem futurum sit, ad Latinam normam deflexo haud multum haesitans appellaverit. Bembum certe numquam imitandum proponam, qui quos *Duces* nunc appellamus, et *Tetrarchas* haud inscite quis nominarit, *Regem Vrbini*, *Regem Mantuae*, *Regem Camertium* dicit (1): neque auctor ero, ut *Toparchas* a Graecia arcessas, qui pro *Marchionibus* sint. Heineccius etiam, qui fere pro Latina lingua pugnat acriter, et Latii fines contra peregrinitatem tuetur; non dubitat tamen, *ubi magna nos urgeat necessitas* (2), vel iis vocibus locum dare, quas Grammatici *hybridas* nominant, cujusmodi quaedam antiquitus receptae sunt, ut *Biclinium* et *Epitogium*: eosque probat, qui Austriae Principes malint *Archiduces* appellare, quam *Magnos* aut *Supremos Duces*; quod neutro scilicet titulo satis vel designentur vel distinguantur.

V. Quaerendum et illud, recte ne his temporibus inscriptiones, quae claris viris publice ponuntur, eas litteras ubique praeferant S · P · Q ·? hanc enim formulam Heineccius (3) sic improbat, ut ludibrium debere putet, illa qui utantur, ubi populo nihil juris est in administranda republica; et ubi umbra potius collegii, quam senatus hoc nomine dignus occurrit. atqui nego, qui populus nihil in republica juris habeat, nullum ei locum esse in inscriptione legitimum. cur enim; si aere collato posita Principi statua est, populi, qui pecuniam contulit, nulla mentio fiet? non haec jubentis populi formula est, sed ei, cui paret, de suo gratificantis. ad senatus appellationem quod spectat, video quae res hominem offendat. quicumque litteris a pueritia dediti fuimus, quum voces illas S · P · Q · R · auribus accipimus, nihil parvum nihil humile cogitare solemus: senatum illum meminimus aram fuisse sociorum, portum omnium gentium: ab eo praesides provinciis impositos, reges nationibus datos, regna adsignata aut adempta: quae omnia de nullo alio senatu praedicari vere possint: quare tota illa formula quasi quodam jure ad Romanos pertinere videtur. sed tamen quum senatus Romae esset, translatoque in eum comitiorum jure, magistratus etiam crearet, et Imperatores liceret; haud magnis in oppidis pauci patres et rara plebs audiebant *Senatus Populusq. Tiburs* (4), *Senatus Populusq. Timiligensis* (5), et hujusmodi: nec intelligo, cur municipia haec impudentiae accusemus; quippe nihil tandem est aliud senatus, nisi summum populi consilium: ut in qua urbe seniores cogi solent, et de re aliqua communi deliberant, in ea senatum merito agnoscamus. si enim is tantum habendus senatus est, qui leges ipse ferat, et pro rege dominoque sit; ne Romae quidem sub regibus senatus fuit, sine quo tamen ne reges quidem, ut ait Tullius (6), esse potuerunt.

Ceterum demus, si libet, aliquid opinioni hominum, nec quae magna putantur, parvis temere rebus aptare audeamus. sunt adhuc in Italia, ~~sunt~~ alibi urbes aliquot, nec primariae, quorum tamen publicum consilium *senatus* vocatur. his tu praeclaram illam appellationem ne invideas: at quae alibi publice facta sunt, ea *Ordo et Plebs* fecisse dicatur: aut aliis utere formulis, quas liber tertius plurifariam exhibebit.

(1) v. Lips. epist. select. cent. 2. ep. 57.
(2) Fund. st. cult. part. 1. c. 2, n. 5.
(3) ibid. part. 2. c. 5. n. 6.
(4) Grut. p. 1025. n. 12.
(5) Reines. Cl. 7. n. 18.
(6) in Pis. c. 10. n. 23.

§. II.

DE INSCRIPTIONIBVS HONORARIIS CLARORVM VIRORVM

I. Inscriptionum, quas veteres Imperatorum, Caesarum, ceterorumque illustrium virorum statuis subdiderunt, non idem semper initium fuisse, multis exemplis manifestum est. ex iis ipsis, quae Augusto positae sunt, quaedam hoc habent exordium IMP · CAESARI, aliae contra hoc S · P · Q · R · (1) nec Senatus solum primo versu legitur, sed aliquando etiam collegia, in his saltem, in quibus de privati hominis honore agatur (2):

COLLEGIA · FABR · ET · CENT ·
L · CORNELIO · PROSODICO
VI · VIR · AVG · BRIXIAE · ET
VERON · SACERD · COLLEG ·
IVVENVM · BRIXIAN ·
PRIMVM · INSTITVTI
OB · MERITA · EIVS
HONORE · CONTENTVS
IMPENDIVM · REMIS ·
DATIS · IN · TVT · COLONIS · H-S ·
N · D ·

in municipiis tamen primo semper versu nomen Imperatoris scripsere, plerumque et patronorum: quod imitari praestat, nisi forte honor a civitate aut provincia iis habeatur, qui nunquam ibidem cum imperio fuerint: horum enim tum nomina infra scribenda arbitror, ne quid de illarum dignitate atque auctoritate detrahere videamur. exemplum e municipio Gallicano petatur, inscriptio nempe Vasiensium Vocontiorum (3):

VASIEN · VOC ·
C · SAPPIO · C · FIL · VOL ·
FLAVO
PRAEFECT · IVLIENSIVM · TRIBVN ·
MILITVM · LEG · XXI · RAPACIS · PRAEF ·
ALAE · THRACVM · HERCVLANIAE · PRAEF ·
RIPAE · FLVMINIS · EVPHRATIS
QVI · HS · |XII| (4) REI · PVBLICAE · IVLIENSIVM
QVOD · AD · HS · |XXXX| (5) VSVRIS · PERDV
CERETVR · TESTAMENTO · RELIQVIT · IDEM
HS · L · (6) AD · PORTICVM · ANTE · THERMAS
MARMORIBVS · ORNANDAM · LEGAVIT

placuit et illud interdum, ut honoratorum nomina patrio casu efferrentur, hoc illis praeposito vocabulo HONORI, de quo dixi ad inscr. LXXXIII. nolim tamen, initium hujusmodi quotiescumque tibi occurrat, inscriptionem statim honorariis adnumeres: quippe inde saepius historicae initium habent, ut suo loco dicemus. alia etiam virtutum nomina aliquando usurparunt, exempli gratia *Providentiae*, *Pietati*, *Clementiae*, eaque Graecorum more, qui, ut ait Tullius (7), virorum fortium memoriam honore Deorum

(1) v. inscr. 72. 88. etc.
(2) Grut. p. 397. n. 1. p. 468. n. 8. p. 469. n. 4. etc.
(3) Fabr. p. 644. n. 378.
(4) *Scutat. numm.* 30000.
(5) *Scutat. numm.* 100000.
(6) *Scutat. numm.* 1250. v. l. 3. c. 10. §. 1.
(7) de nat. Deor. l. 3. c. 19. n. 50.

immortalium consecrabant: itaque non alia fuisse puto initia inscriptionum, quas Q. Tullio Proconsuli Asiatici posuerant: de quibus nempe Marcus frater ad eundem scribens, *Quoniam*, inquit, *in istis urbibus cum summo imperio et potestate versaris, in quibus* Tuas Virtutes *consecratas et in Deorum numero collocatas vides* (1): nec vero displicet quaedam Lipsii emendatio (2) ad Cornelii Nepotis locum in Attici vita (3): *Quamdiu adfuit* (Athenis), *ne qua sibi statua poneretur, restitit: absens prohibere non potuit: itaque aliquot ipsi et Fidei locis sanctissimis posuerunt.* legebant alii *Phidiae*, plane inepte: nec tamen satis apposite Manutius et Lambinus *Piliae*, Attici nempe uxori; nam cur *Fidei T. Pomponii* monumentum Athenienses posuissent, haud obscure protinus explicat Nepos his verbis: *Hunc enim in omni procuratione reipublicae actorem auctoremque habebant*. ceterum initia haec apud Latinos sacrarum inscriptionum propria magis, quam honorariarum esse videntur (4), eaque de caussa non sine delectu usurpanda sunt, ne sensim in veterum superstitionem delabamur.

At communior ea ratio est, ut inscriptiones honorariae ipsa honoratorum nomina primo versu, nec alio casu, quam dativo, referant: nisi quod in iis, quae Augustorum sunt, praenomina illa IMP · CAESARI fere antecedunt: quorum loco tu quoque scribes quidquid principalem majestatem designat: ut nuper a me etiam recte, opinor, in ea inscriptione factum, quam Apuanorum caussa dictavi:

M · D · PETRO · LEOPOLDO · P · F ·
ARCHID · AVSTRIACO
THERESIAE . AVG · FILIO
IMP · CAES · IOSEPHI · II · AVG · FRATRI
DOMINO · OPTIMO
INDVLGENTISSIMO
QVOD · MVNICIPIVM
LEGITIMO · CIVITATIS · IVRE
ET · THRONI · PONTIFICALIS
SPLENDORE · HONESTAVERIT
ORDO · ET · POPVLVS · APVANVS
RESTITVTORI
PRISTINAE · DIGNITATIS

nam et eodem modo in fornice Segusino scriptum est (5) M · IVLIVS · REGIS · DONNI · F; tum Cicero ipse *Regis* appellatione ante nomina fere usus est, cujus illa sunt *Rex Antiochus, Rex Hiero, Rex Ariobarzanes, Rex Dejotarus*. praeterea in aliis inscriptionibus, quae minus antiquae sunt, hoc etiam initium reperies D · N · quo quasi praenomine primi Augustorum appellati videntur Antoninus et Geta (6): atque hac formula Romae utemur apposite in titulis Pontificum Maximorum, quae his jamdiu a majoribus dedicata est.

Iamvero post cujusque nomina, de quorum distributione separatim capite primo partitionis tertiae agetur, iis, quibus summa imperii tradita esset, adscriptum AVG · aut OPTIMO · AVG · aut AVG · PIO, et quae articulo superiore commemoravi: Trajanus autem et AVGVSTVS PERPETVVS (7), in nummis saltem dictus est, ut dein-

(1) l. 1. c. 10.
(2) Elect. l. 1. c. 14.
(3) n. 3.
(4) v. inscr. 2. et 35.
(5) v. inscr. 73.
(6) v. inscr. 43.
(7) Spanhem. diss. 12. p. 383.

de Severus Alexander IMP · PERPETVVS (*a*): at formula illa SEMPER · AVGVSTVS · Diocletiani temporibus inventa esse videtur (*b*). quae porro e tot priscorum Augustorum agnominibus usurpanda nunc sint, tute videris: neque enim is sum, qui definite de his quidquam atque statuere vel possim vel debeam. sed non omittenda certe, quae claris Principibus ad virtutes eorum indicandas imposita sunt, quorum alii, puta, *Iusti*, alii *Boni*, alii *Magni* appellati: nec quae a majoribus suis parta, tamquam haereditaria usurpare adhuc solent. Francorum Reges antiquissimis temporibus *Augustos* quoque appellatos esse, adnotavit jam ex Gregorio Turonensi Spanhemius (1). neque sane hic titulus, ex quo Caesari Octaviano collatus est, ita Imperatorum proprius esse coepit, ut nemo dein alius tulisse putandus sit. mitto uxores sororesque Augustorum, quae fere *Augustae* dictae sunt: Germanicum Caesarem, qui rerum nunquam potitus est, *Augustum* appellavit Quintilianus (2) (*c*): et Lucillam M. Aurelii filiam, quum virgo esset, *Augustam* appellatam vidimus libro superiore (3). quare nostra quoque aetate iis etiam, qui regio nomine non utuntur, recte illi maxime tribuent qui in eorum dominatu sunt: nisi forte in eadem inscriptione Imperatoris Aug. mentio fiat; quippe illa tum appellatio, quum Caesarum ab origine propria sit, minus recte ob comparationem communicari cum aliis videatur. tum eosdem Principes *Pios* etiam et *Felices* et *Parentes Patriae* merito ac multorum exemplo appellaveris. *Tribuniciae* contra *potestatis*, *Consulatuum*, *Censurae* nomina, quae veteres addebant, nobis externa sunt, et regia nunc majestate minora. sed annorum tamen numerandorum caussa subjungas, licet, *Anno Regni V.* aut *Anno Principatus X.* et similia. victorias demum designare qui volet titulo adjecto IMP · III · IMP · VII · is Romanam, opinor, consuetudinem haud tempestive satis inducere videbitur, quam revocare nostrum non est.

11· Reliquae inscriptiones, quae claris viris, sed tamen privatis positae sunt, eae post eorum nomina, curationes protinus, sacerdotia, magistratus referebant: paucas quasdam si exceperis, illi similes, quam in aede Salutis Catoni majori affixam tradit Plutarchus (4), quae facta ejus tantum et virtutes recenseret. hic vero incertus, quam ipse viam sequaris, quaeres de me, quum et nos magistratus cuique suos et munera, quibus functus fuerit, adjungimus, sit ne ex veterum consuetudine primo ea loco recensere, quae prius suscepta, an potius dignitatis habenda sit ratio, et majora minoribus praeponenda? scripsit quidem Fabrettus (5), *tritum esse a prioribus exiguis titulis, prout cursus honorum postulat, semper ad insigniores crescentibus cum aetate meritis inscriptiones procedere*. neque id tute aliquoties non vidisti, quum libri primi inscriptiones perlegeres. sed hoc quoque sine controversia tradi potest, placuisse aliquando veteribus, primum ut minores magistratus omitterent, deinde ut sacerdotia, sive quia perpetua, sive quia sacra, vel maximo magistratui praeponerent, majus item minori, nulla temporis habita ratione. docet haec nos, ut alia exempla mittam, statuae titulus, quam plebs urbana Druso minori statuerat (6):

(*a*) Eckhel. tamen Doctr. N. V. t. 8. p. 358. contendit *Perpetui imperatoris* titulum Probo, et *Perpetui Augusti* Constantino M. primum attributum fuisse in nummis.

(*b*) Ceterum haec formula tribuitur Claudio Gothico in arcu triumphali Firmi apud Reines. cl. 3. n. 42., quin etiam Philippo, si fides marmori, quod Gruterus p. 272. n. 9. ex Camdeno hausit.

(1) Dissert. 12. p. 385.

(2) Inst. l. 10. c. 1.

(*c*) Iamdiu est, quum viderunt viri eruditi in cit. Quintiliani loco sermonem haberi non de Germanico Caesare, sed de imperatore Domitiano, cui Germanici cognomen fuit.

(3) v. inscr. 449.

(4) in Cat. M. p. 347. B.

(5) p. 434. ad inscr. 12. c. 6.

(6) Fabr. p. 395. n. 276.

PLEPS · VRBANA · QVINQVE · ET
TRIGINTA · TRIBVVM
DRVSO · CAESARI · TI · AVG · F ·
DIVI · AVGVSTI · N ·
DIVI · IVLII · PRONEPOTI
PONTIFICI · AVGVRI · SODAL · AVGVSTAL ·
COS · ITERVM · TRIBVNIC · POTEST · ITER ·
AERE · CONLATO

nempe Augustorum filii quasi per gradus ad patrum fastigium ascendebant, ante in minorum, quam in majorum sacerdotum collegia cooptati (1): nec Drusus pontificatum, nisi inauguratus, cepisse putandus est, quum Pontifices a Dionysio (2) Ιερων οἱ διαφανεστατοι appellentur.

Verum enim vero ne haec quidem certa omnia atque fixa, aliis alia probantibus. consulatus potissimum et duumviratus, interdum et gradus honorum militares, perscripti ante sacerdotia: obtinuit et ordo ille Homericus ὑστερον προτερον, ut honores, qui primi omnium fuissent, extremo loco, qui vero ultimi, primo enunciarentur, sacerdotiis nihilominus post consulatum aut duumviratum expressis: cujus moris exemplum esto tibi inscriptio Tiburtina, in qua plures, quam in plerisque aliis, honores cumulatos esse reperies (3):

C · POPILIO · C · F · QVIR · CARO
PEDONI · COS · VII · VIRO · EPVLON ·
SODALI · HADRIANALI · LEGATO
IMP · CAESARIS · ANTONINI · AVG ·
PII · PROPR · GERMANIAE · SVPER · ET · EX
ERCITVS · IN · EA · TENDENTIS · CVRATOR ·
OPER · PVBLICOR · PRAEF · AERAR · SATVR ·
CVRATORI · VIAR · AVRELIAE · VETERIS · ET
NOVAE · CORNELIAE · ET · TRIVMPHALIS
LEGATO · LEG · X · FRETENSIS
A · CVIVS · CVRA · · SE · EXCVSAVIT
PRAETORI · TRIBVNO · PLEBIS · Q · DIVI
HADRIANI · AVG · IN · OMNIBVS
HONORIBVS · CANDIDATO · IMPERATOR ·
TR · LATICLAVIO · LEG · III · CYRENAICAE
DONATO · DONIS · MILITARIBVS · A
DIVO · HADRIANO · OB · IVDAICAM
EXPEDITIONEM · X · VIRO · STLITIBVS
IVDICANDIS · PATRONO · MVNICIPI
CVRATORI · MAXIMI · EXEMPLI
SENATVS · P · Q · TIBVRS
OPTIME · DE · REPVBLICA · MERITO

primum enim Popilius *Decemvir* fuerat *stlitibus judicandis:* quem Decemviratum iis muneribus adnumerabant, quae ante Quaesturam suscipi oportebat, et *vigintiviratus* appellabantur (4), deinde *Tribunus Laticlavius* sive in spem senatoriae dignitatis apud exercitum meruerat. tum *Quaestor Augusti* factus, et in hujus et in ceterorum honorum petitione senatui ab Imperatore commendatus, Tribunatu plebis Praeturaque functus, per alios item honorum gradus ad Consulatum postremo pervenerat, quem gessit cum M. Valerio Messala, anno Varr. DCCCLXVIII.

Quae quum ita sint, vix jam reprehendi jure poterit, quicumque in munerum recensione nec temporis rationem habuerit, nec dignitatis: siquidem hoc unum, ubi opus

(1) v. Svet. in Cajo c. 12. n. 1.
(2) Ant. R. l. 8. p. 510.
(3) Bergier. l. 3. sect. 28. n. 7. Grut. p. 457. n. 6.
(4) v. Lips. ad Tacit. Ann. l. 3. c. 29.

erat, praestiterit, ut sacerdotia conjungeret, reliqua munera, vel a maximis orsus vel a minimis, serie non interrupta contexeret.

III. At fieri nunc potest, ut ei aliquando honoraria inscriptio ponenda sit, cui nulli plane magistratus adscribi possint: quorum potissimum enunciatione Romani illi veteres nobilitatem indicabant: quippe apud eos ii Nobiles habiti, qui jus imaginum haberent, quod utique honorum administratione adipiscebantur. num igitur, si nulli honores commemorari possint, nulla jam praesto erit formula, qua clarorum virorum nobilitas designetur? vix sane probandae, quibus quidam utuntur, *Viro Nobili, Viro Patricio:* quum haec vocabula in antiquis marmoribus alio sensu usurpata sint: nam *Nobiles* quidem Caesares solum ceterique e domo regnatrice dicti; si qui vero *Patricii* appellantur, ii post Constantinum fuere, quum eo nomine Consiliarii Principis vocarentur, quasi *Patres Imperatoris* (1). iis tamen, quorum majores Equites Melitenses fuerint aut Mauritiani aut alio ejusmodi in ordine decuriave censi, recte adscripseris EQVESTRI · NOBILITATE, quae Taciti formula est (2). tum aliae quaedam sunt formulae plane insignes, quas item antiquitas celebravit: primum enim prolatis illustrium majorum nominibus, sic interdum viri nobilitatem veteres demonstrarunt (3),

CN · ASINIO
POLLIONIS · ET · AGRIPPAE · NEPOTI
PVTEOLANI · PATRONO · PVBLICE

itaque et Servius Galba Imp. *statuarum titulis,* ut a Svetonio accepimus (4), *pronepotem se Q. Catuli Capitolini semper* adscripsit; quem locum Maffejus oblitus fuerat, quum Asinii inscriptionem inter suppositas rejecit (5). si cui vero *genus materna superbum nobilitas dabat,* addidere aliquando *Alfia Nato, Vibinnia Nato,* ut est in epitaphiis Maffejanis (6). quod si de homine novo ageretur, qui beneficio Principis aut Decurionum decretis in nobilium gradum pervenissent, formulis utebantur hujusmodi, quae item usui esse possint: *Adlecto In Amplissimum Ordinem Ab Imp. Caes. Hadriano Aug.* (7), *Honorato Splendidissimis Civitatibus Italiae, Ornamentis Decurionalibus Ornato* (8). ceteras tibi liber tertius suppeditabit. quibusdam denique generis novitate obscuris, nec ulla dignitate exornatis, qui tamen a filiorum amplitudine commendari possent, adscriptum reperies, *Patri Equitum Romanorum* (9), *Patri Senatoris* (10) et similia.

Enimvero in Romanis hujus generis inscriptionibus, quum fere senatorum statuis subjectae essent, haud scio, an unquam senatoriae dignitatis caussa adscriptum cuipiam fuerit *Senatori:* quippe magistratus ipsi eum ordinem satis designabant. sed tamen a M. Aurelii Aug. temporibus usurpari in titulis quoque coeptae post senatorum nomina litterae illae V· C· quod eos jam *Viros Clarissimos* nominare instituerant (11). his etiam utendum equidem censeo, quotiescumque viris principibus aut senatoria dignitate exornatis honos habetur. in municipiis autem honoris appellationes largius iis divisae, qui e patribus essent. primum ordinis equestris facta mentio, quod in eum ii solum e Decurionibus adlegebantur, qui censum equestrem haberent (12). deinde inter ceterorum munerum titulos iidem *Decuriones* plane appellati: exemplo sit inscriptio (13) in Ostiae parietinis nuper reperta, nec edita:

(1) l. ult. C. de consul.
(2) in Agric. n. 4.
(3) Fabr. p. 703. n. 245.
(4) in Galb. c. 2. n. 1.
(5) Art. Cr. L. l. 3. c. 4. p. 432. et 460.
(6) Mus. Ver. p. 367. n. 9. 14. v. Cic. pro Cluent. c. 9. n. 27.
(7) Grut. p. 348. n. 1.
(8) id. p. 1024. n. 5.
(9) Fabr. p. 659. n. 497.
(10) Murat. p. 719. n. 3. et inscr. 106.
(11) v. inscr. 50.
(12) v. Plin. l. 1. epist. 19.
(13) nunc in Vill. Alb.

L · LICINIO · L · FIL · PAL ·
HERODI
EQVIT · ROM · DECVRIALI
DECVRIAE · VIATORIAE
EQVESTRIS · COS · DECVRIONI
QVINQVENNALI · DVVMVIRO
SACERDOTI · GENI · COL · FLAM ·
ROM · ET · AVG · CVRAT · OPER · PVBL ·
QVAESTORI · AER · AEDILI · FLAM ·
DIVI · SEVERI · SODALI · ARVLEN · (1)(*a*)
PRAET · PRIM · SACR · VOLK · FACIV ·
ORDO · AVGVSTAL ·
OPTIMO · CIVI · OB · MERITA

tum vero maxime Decurionatus meminere municipes, quum eum honorarent, qui apud alias quoque civitates eundem esset honorem consequutus, designata simul urbe, ut de magistratibus etiam fiebat, in qua quis ea dignitate auctus esset (2):

L · COELIO · VALERIO
VI · VIRO · MEDIOLAN ·
ET · CALPVRNIAE · L · F ·
OPTATILLAE
VXORI · EIVS · ET
M · AEMILIO · COELIO
COELIANO · DECVR ·
MEDIOL · ET · NOVAR ·
ET · LVCILIAE · L · F ·
SABINIANAE · ET
M · AEMILIO · COELIO
CATIANO · FILIIS
COLLEGIVM
CENTONARIOR ·
HONORE · ACCEPTO
IMPEND · REMISER ·
ET · IN · TVTELAM
DEDER · HS · II ·

Comi haec prostabat inscriptio, quo e municipio gens Coelia fortasse fuit, aut certe, ut alia ostendunt marmora (3), ex Insubria. idcirco autem, quia non ibi ille Sevir fuerat, ubi monumentum Centonarii dedicarant, additum est *Mediolan*. nec patria ejus expressa, quod vel Comensis esset, vel tota Insubria notissimus. sic et sacerdotia enunciabantur, quae quis aliis in municipiis inivisset: etiamsi statua ibi posita esset, ubi et sacerdotium mandatum erat (4):

(1) *Sod. Arulen.* id est, opinor, e schola stoica Rustici Aruleni, de quo Plin. l. 1. epist. 5.

(*a*) Cajet. Marinius, qui hanc affert in Iscr. Alb. p. 56., hoc in loco legit ARVLENSI, ideoque putat, Herodem non fuisse e schola Rustici Aruleni, tunc enim legeretur vel ARVLENIANO, vel ARVLENENSI, sed potius hoc nomine intelligendum esse vel numen aliquod, vel collegium Ostiae nobis ignotum.

(2) Grut. p. 393. n. 8.

(3) id. ibid. n. 7. p. 678. n. 6. etc.

(4) Fabr. p. 406. n. 315

L · AVRELIO
L · L · VICTORI
DOMO · AEQVO
AVG · ET · SENIAE
SAC · PRIM · CORP·
AVGVSTALIVM
ORNAT · ORNAM·
DECVRIONALIB·
PLEBS · SENIENSIVM
AERE · CONLATO
CVRANT · AVR · SECVND·

Porro ea dignitatis et laudis insignia tum maxime commemoranda mihi videntur, quum magistratus et publicarum rerum administrationes proferri nequeunt, unde virorum dignitas et generis amplitudo agnoscatur. nec diu haesites, quo tandem nomine eos appelles, qui aliis civitatibus adscripti, publicique consilii participes facti sint. *Decuriones* tu quoque rectissime appellaveris: siquidem manent adhuc plerisque in urbibus ea summi ordinis jura, quae olim fuerant, quum Senatui Romano et Imperatoribus Augustis parebant; quique ex eo sunt ordine, his latine *Decurionibus* nomen est. simul autem ceteros sive honoris sive dominatus titulos appones, qui jamdiu consuetudine in linguam Latinam inducti sunt: nec eum, ubi locus erit, omittes, quo veteres patrocinium urbium aut collegiorum delatum susceptumve declarabant: quo illis bis aliquando in eadem inscriptione usi sunt: nempe ut eo se patrono uti ostenderent, quem jam alii sibi decretis suis patronum optavissent (1):

M · SILIO · EPAPHRODITO · PATRONO
SEVIRVM · AVG·
MAGISTRO · IVVENVM · ITERVM · IVVENES
LVCOFERO
NENSES · PATRONO · OB · MERITA
QVOD · AMPHITHEATRVM
COL · IVL · FELICI · LVCOFER · S · P · F·
DEDICAVITQVE · L · D · D · D·

sunt autem hoc loco *Iuvenes*, qui alibi *Sodales Lusus Iuvenalis* (2) appellantur, collegia nimirum a Nerone instituta (3), de quibus erudite scriptum est ab Odericio (4).

III· His jam post clarorum virorum nomina censis, quae non modo ad honores et munera, sed etiam ad ordinem ac genus cujusque pertinent, quorum formulas in librum tertium rejeci; laus subinde addi potest, quae viri praecipua sit (5):

A · ANTONIO · A · F · POM·
PELAGIANO · IIII · VIRO
EQVITI · ROM · RARISSI
MO · INNOCENTISSIMO
QVE · CVR · R · P · ET · PATRO
NO · DECVRIONES
AVGVSTALES
ET · PLEBS
PETILINORVM
L · D · D · D·

quamquam veteres apposita hujusmodi saepe ad extremum versum reservarunt, credo, ut et numero orationis et dignitati servirent: in Principum certe titulis saepe ultimo legimus versu (6):

(1) Mazoch. Tit. Camp. Amph. c. 3. p. 78.
(2) Maff. M. V. p. 321. n. 2.
(3) Tac. Ann. l. 14. c. 15.
(4) Diss. 5. n. 2. p. 90.
(5) Fabr. p. 118. n. 1.
(6) Grut. p. 248. n. 8.

IMP · CAES · DIVI
TRAIANI · PARTHICI · F·
DIVI · NERVAE · NEP ·
TRAIANO · HADRIANO
AVG · PONT · MAX·
TRIB · POT · III · COS · III·
IMP · II · P · P ·
R H O D A N I C I (1)
INDVLGENTISSIMO · PRINCIPI

quin et eos aliquando, quos *Patronos* habebant, extremo item versu eo nomine appellabant, appositum fere subjicientes, quo virtutem ejus aut merita designarent (2):

L · VARIO · PAPIRIA
PAPIRIANO
II · VIRO · I · D · Q · Q ·
PRAEF · FABR · ROMAE · ET
TERGESTE · FLAM · HADR ·
PONT · AVGVR ·
COLLEGIVM · FABRVM
· PATRONO · MERENTI

sic aliis adscriptum *Optime de republica merito*, vel *Optimo Civi* et similia, vel etiam ipsae virtutes eodem, quo nomen, casu. ut videre licet inscr. cnI.

Quid, si pueris statua posita esset? quum nihil de his proferre possent illustre atque magnificum, post patris avique appellationem, aetatis annos adscripsere (3):

M · AGRIPPAE . M · F ·
AVGVSTI · NEPOTI
ANNOS · NATO · VII ·
A · OCTAVIVS · A · F · LIGVS
M · GENICILIVS · M · F · SABIN ·
II · VIR ·

sub adolescentium autem simulacris, si maturius, quam alii solerent, honores adepti essent, non id praetermittendum videbatur. quamobrem Domitius ille Afer Caii Aug. imaginem quum poneret, inscripsit in basi, ut est apud Dionem (4), ὅτι ἕβδομον και εικοστον αγων ετος, δευτερου ὑπατευει: Cajum scilicet anno aetatis XXVII. alterum jam consulatum gerere: satis tamen inepte, quod et Cajus vidit; neque enim erant ea tempora, quibus illa aetas vel ad quaesturam gerendam in quolibet candidato requirebatur.

Simulacra duorum uno nunc in monumento vix cernas: quod contra apud veteres fuit: crebro enim apud eos gemina spectare aut plura licuit, in fornicibus maxime, quibus bigas quadrigasque, et statuas qua equestres qua pedestres imponebant. neque id Romae solum, sed in provinciis quoque, nec sero tantum, sed ab ipsa Tullii aetate factum, qui de Verre Siciliae praetore scripsit (5): *Hujus fornix in foro Syracusis est, in quo nudus filius stat: ipse autem ex equo nudatam ab se provinciam prospicit.* ergo illi, si una honoris habendi caussa erat, titulis cuique suis adscriptis, communi aliquando appellatione laudem eorum, quos simul honorarent, in fine subtexebant: quemadmodum Nemausi adhuc in templi fronte legitur (6),

C · CAESARI · AVGVSTI · F · COS · L · CAESARI · AVG · F · COS · DESIGNATO
PRINCIPIBVS · IVVENTVTIS

(1) *nautae Rhodani.*
(2) Grut. p. 483. n. 2.
(3) Fabr. p. 623. n. 211.
(4) l. 59. p. 923. E.
(5) Act. 2. l. 2. c. 63. n. 154.
(6) Clariss. mon. Nem. pl. 2.

et in Hadriani et Sabinae titulo, quem infra proferam, subscriptum est *Locupletatoribus Municipii*: quibus adde inscriptionem in Severi et Antonini arcu, e qua Getae nomine sublato, illa addita sunt *Optimis Fortissimisque Principibus* (1).

At verbum, quo honorem a civitate aut collegio delatum enunciarent, plerumque desideratur, in exemplis praesertim antiquae notae. neque enim opus erat apud eos, qui titulorum decus parsimonia verborum minui non putabant. caussa tamen monumenti saepe expressa est vel generatim, ut quum adscribebant *Ob Merita*, aut *Optime De Republica Merito* et similia; vel singillatim, ut quum addebant *Ob Praecipuam Ejus In Edendis Spectaculis Liberalitatem*, aut *Quod Ejus Opera Universum Municipium Ex Summis Periculis Et Difficultatibus Expeditum Et Conservatum Est*: quibus de formulis suo loco agendum erit (2). narrationes autem hujusmodi haud raro extremum occupant locum (3):

C · VESIDIENO · CN · F ·
BASSO · AED ·
IIII · VIR · IVR · DIC ·
IIII · VIR · QVINQ ·
PVBLICE
D · D ·
QVOD · AQVAM · NOVAM
CONQVIRENDAM . ET
IN · MVNICIP · PERDVCEND ·
ET · NYMPHAEVM · FACIEND ·
PEC · PVB · C ·

adde his exempla illa libri primi, quae quum a communi ratione aberrare viderentur, singularibus adnumeravi. ea tibi exempla commonstrant, quo pacto multa saepe et diversa satis scite et commode una possis inscriptione comprehendere. prae ceteris tamen ea potissimum inscriptio imitanda, quae ordine centesima quarta est, Hadriano ab Ostiensibus posita: quod ea rerum distributio neque stili dignitati, neque orationis numero adversetur. idcirco eam inscriptionem, quae in Capitolio nunc legitur, quum non unam sententiam complecti deberet, non aliter mihi efferendam putavi:

PIO · VI · PONT · MAX ·
ANNO · M · DCC · LXXX ·
A · VOLSCORVM · REGIONE · REDVCI
OB · CVIVS · PROVIDENTIAM
ITINERIBVS · COMMVNITIS
ET · AQVIS · PALVDIVM · CORRIVATIS
APPIA · ITALIAE
AGER · POMPTINVS · VRBI · REDDITVS · EST
S · P · Q · R ·
PERFECTVM · AB · OPTIMO · PRINCIPE
GRATVLATVS
QVOD · SAEPE · MAIORES
FRVSTRA · TENTAVERANT

sed tibi interdum ceteris potius exemplis utendum erit, ne quid nempe ex iis, quae praescripta fuerint, omisisse videaris: nihil esse inscriptionem putantibus non paucis, si non omnia et singula perstringat.

(1) v. inscr. 95.
(2) part. 3. cc. 2. 6. et lib. 3. part. 1. c. 8. p. 4. §. 1. 2.
(3) Grut. p. 485. n. 7.

Ceterum, quaecumque inscriptionis sit forma, morosis hominibus indulgendo hoc quoque fiet, ut multa saepe abundent, et quantum verborum addas, tantum detrahas dignitatis. disce hoc ex Beneventanorum inscriptione non longa, eaque satis antiqua, unde tamen, si quinque extremas voces ademeris, exemplum repente exsistet pulcherrimum, in quo nihil sit, quod redundet, nihil, quod necessarium sit, deesse videatur (1).

CLAVDIO · IVLIO
PACATO · V · C · CONS ·
CAMP · OB · AEQVITA
TEM · IVDICIS · ET
PATROCINIA · IAM
PRIVATI · ORDO
B E N E V E N T A N V S
PATRONO · POST
FASCES · DEPOSITOS
CENSVIT · CONLOCANDAM

nimirum si Claudius ille erat *Iam Privatus*, quid opus fuit adscribere *Post Fasces Depositos*? et quum statua ejus jam in basi decreto Ordinis staret, quo pertinebat addere *Censuit Conlocandam*?

V. Ad eos jam veniamus, quorum vel impensa vel decreto honorarium monumentum constituitur: quorum quidem mentio in titulo semper facienda est; sed tamen si quid cuiquam ex privati voluntate post hujus mortem dedicatum sit, non ipse posuisse dicetur, sed id ex ipsius testamento positum esse, adjectis, si libet, quae dedicationis caussa legaverit (2):

TI · CLAVDIO · DRVSI · F ·
CAESARI · AVGVSTO
GERMANICO
PONTIF · MAX · TR · POT · VIII ·
IMP · XVI · COS · II ·
PATRI · PATRIAE CENS ·
EX · TESTAMEN · MESSI · L · F · M · N · SENECAE
MILITIS · COH · XIII · VRBANAE · ET
DEDICATIONI · EIVS · LEGAVIT · MVNICIPIB ·
SINGVLIS · H-S · IIII · N ·

Ceteri, a quibus honor habitus sit, sive nominatim sive generatim exprimendi fuerint, (nam et satis aliquando visum, si subscriberent *Decur. Decr.*) quocumque item inscriptionis versu eos perscribendos duxeris; recto omnes casu efferentur: tum de civitate si agatur, singuli ordines indicandi erunt, quorum maxime intersit (3):

Q · GAVIO · Q · FIL ·
Q · NEP · Q · PRON ·
Q · ABN · Q · ADN · FAL · (4)
FVLVIO · PROCVLO
TRIB · COH · XV · VOL · (5)
TRIB · LEG · VIII · AVG ·
DECVRIONES · ET
AVGVSTAL · ET · POPVL ·
CALATINVS · PATRON ·
MVNIFICENTISSIMO

tres hic ordines cieri vides Romano more, ut aliquando in nummis *Consensu Senatus Et Equestris Ordinis Populique Romani* (6). sed illud etiam plebis caussa explicari

(1) Vit. Ant. Ben. cl. 4. n. 19.
(2) Maff. M. V. p. 350. n. 3. in aere incis.
(3) id. ibid. p. 354. n. 5.
(4) Falerna tribu.
(5) *Coh.* 15. *Voluntariorum.*
(6) Erizz. p. 105. v. Plin. H. N. l. 33. c. 2. n. 8.

interdum necesse fuit, populum fuisse, qui claro viro honorem statuae ab Ordine postulasset (1).

SEX · VENCIO
IVVENTIANO
FLAMINI · DIVI · AVG ·
ITEM · FLAMINI · ET · CVRA
TORI · MVNERIS · GLADI
ATORI · VILLIANI · ADLEC
TO · IN · CVRIAM · LVGVDV
NENSIVM · NOMINE
INCOLATVS · A · SPLEN
DIDISSIMO · ORDINE
EORVM
ORDO · VOCONTIOR ·
EX · CONSENSV · ET · POS
TVLATIONE · POPVLI
OB · PRAECIPVAM
EIVS . IN · EDENDIS
SPECTACVLIS · LI
BERALITATEM

atque hoc loco meminisse oportet, quum Civitas aut Ordo civium nominandus sit, non esse praetermittenda ea apposita, quibus compellari solent: quo pacto in antiquis exemplis occurrunt, *Resp. Municipi Severiani Antoniniani Liberi Thibursicensium* (2), *Colonia Vlp. Trajan. Aug. Dacica Sarmizegetusa* (3), *Ordo Splendidissimus Segunorum* (4), *Ordo Et Populus Splendidissim. Col. Aug. Himeraeorum Termit.* (5), *Corpus Fabrum Navalium Ostiens. Quibus Ex S. C. Coire Licet* (6) et alia hujusmodi bene multa, quae libro tertio reperies.

Quid vero is faciet, cui multae simul eodem in titulo urbes recensendae fuerint? quam primam, quam secundam aut tertiam scribet? tum nempe, quum dignitate fere pares sunt, et de principatu, aequo inter se jure, certant. tu quidem, si arbitrum ages, ut litem praecidas, sic describes, ut eam urbem alteri praeponas, cujus prima nominis littera potiorem in ordine litterarum sibi vindicat locum. hanc enim rationem veteres quoque aliquando sequuti esse videntur (7): qua et percommode uti potuere in ara illa Lugdunensi, quae sexaginta gentium nomina referebat (8). ceterum commentitiis adnumeres Gruterianam inscriptionem Aquiflaviensium (9), in qua decem populi, et Sponianam Fulginatum (10), in qua quindecim cientur, Maffeii jam (11) et Muratorii (12) notis compunctam.

At sodales, sacerdotes, curatores, magistratus, ubi plures una nominandi essent, eo fere loco scripsere veteres, quem cuique aut aetas aut honores aut jus trium liberorum tribuebant: nec illud neglectum puto, quod de albo decurionum praescripsit Vlpianus (13), nomina ante scribi oportere eorum, qui dignitates Principis judicio consequuti essent: plerumque vero, qui nullo honore functi essent, ita descriptos, prout quisque eorum in ordinem collegiumve venisset. sic et in militibus, qui simplares essent, appellandis, nam Duplares et Sesquiplares praecedebant (14), annorum sive stipendiorum habita ratio: nisi quod animadverti, quum tres tantum nominandi essent, primo loco scriptum qui plura stipendia meruisset, secundo qui pauciora, tertio, qui minus a primo distaret (15).

(1) Grut. p. 484. n. 2.
(2) Maff. M. V. p. 458. n. 4.
(3) ibid. p. 242. n. 4.
(4) Grut. p. 275. n. 2.
(5) ibid. p. 433. n. 6.
(6) ibid. p. 437. n. 2.
(7) v. Maff. M. V. p. 425. n. 1. Fabr. p. 720. n. 419.
(8) Strab. l. 4. p. 192. B.
(9) Grut. p. 245. n. 2.
(10) Misc. p. 183. n. 3.
(11) Art. Cr. L. l. 3. c. 4. p. 325.
(12) p. 1800. n. 1.
(13) l. 2. D. de alb. Decur.
(14) v. Aram Corsin. a Rid. Ven. illust. a. 1733.
(15) v. Fabr. p. 130. n. XIV. quam inscript. legesis supra p. 26.

contra vero in centuriis tribulium nomina cujusque secundum litterarum seriem digesta leges: ita sane descriptae centuriae Octo *Tribus Succusanae* sive Suburanae *Iuniorum* in ea ara, quae dedicata dicitur *Paci Aeternae Domus Imp. Vespasiani Caesaris Aug. Liberorumq. Ejus* (1), centuriones dumtaxat excipias, qui ordinis quisque sui primi sunt.

Porro nominibus eorum, qui eodem e collegio sint, communis est appellatio praeponenda (2):

TI · CAISARI · DIVI · AVG · F ·
DIVI · IVLI · N · AVGVSTO
PONT · MAX . COS · V · IMP · VIII · TRIBVN ·
POTEST · XVIII ·
PONTIFICES · ALBANI
Q . IVLIVS · Q · F · FAB · RVFVS
C · IVLIVS · C · F · SCA · BASSVS
TI · IVLIVS · TIB · F · FAB · MERVLA
M · IVLIVS · C · F · FAB · SENICIO

extremo tamen loco appellati hoc altero in exemplo Seviri Augustales, ne scilicet ter *Augustal.* continuis versibus scriptum offenderet (3):

NERONI · CAESARI
GERMANICI · F ·
TI · AVGVSTI · N · DIVI · AVG ·
PRON · FLAMINI · AVGVSTALI
SODALI . AVGVSTALI
Q · NOVANIVS · Q · L · SALVIVS
C · CVLMINIVS · Q · F · FVSCVS
L · FVLVIVS · L · F · DOCIMVS
L · FVLVIVS · L · L · RECTVS
L · POPILLIVS · L · L · APOLLONIVS
L · FVRIVS · L · L · GEMELLVS
VI · VIR · AVGVST ·

Collegia autem hujusmodi, ut post Decuriones, si quid simul dedicarant, scribebantur sic ante plebem urbanam enunciari video, quum ea quoque nominanda esset (4):

L · DENTVSIO · L · F · PAP ·
APPOCVLINO · EQ · P ·
CVRAT · TIF · MET · (5) DA
TO · AB · IMPP · SEVERO · ET · AN
TONINO · AVGG · AED · IIII · VIR ·
FLAM · AVGVRI · PATRONO
COLL · CENT · (6) IIIIII · VIRI · AVG ·
ET . PLEBS · VRB · OB · PLERAQVE
MERITA · EIVS · PATRONO
CVIVS · DEDICATIONE · DEC ·
X · III · SEVIR · ET · PLEB · X · II ·
CVM · PANE · ET · VINO · DEDIT
L · D · D · D ·

Haec jam plana omnia: verum si qua Principi statua a ducibus exercituque omni dicata fuerit, quo tandem pacto auctores monumenti describentur? ne hoc quidem in dubio jam est: nomina utique prima perscribito eorum, qui omnibus praesunt: at du-

(1) Grut. p. 239. n. 3.
(2) Grut. p. 235. n. 8.
(3) Grut. p. 237. n. 1.
(4) Maff. M. V. p. 362. n. 9.
(5) *Tifernatium Metaurensium.*
(6) *Collegii Centonariorum.*

ctores ordinum, cohortes, milites primarios generatim tantum appellato: quemadmodum hoc in exemplo factum esse videmus (1):

M · AVRELIO · CAESARI
IMP · CAESARIS · T · AELI
HADRIANI · ANTONINI · AVG ·
PII · FIL · DIVI · HADRIANI · NEP ·
DIVI · TRAIANI · PRONEP · DIVI
NERVAE · ABNEP · COS ·
PETRONIVS · MAMERTINVS · ET
GAVIVS · MAXIMVS · PR · PR · (2)
TRIBVNI · COHORTIVM · PRAETORIA
RVM · DECEM · ET · VRBANARVM · TRIVM
CENTVRIONES · COHORTIVM
PRAETORIARVM · ET · VRBANARVM
ET · STATORVM · EVOCATI
COHORTES · PRAETORIAE · DECEM
ET · VRBANAE · X · XII · XIIII ·
CENTVRIAE · STATORVM
OPTIMO · AC · PIISSIMO

honorariam tamen inscriptionem edidit Fabrettus, in qua non cohors tantum et Praefectus et Tribunus et Centuriones septem nominatim prolati, sed omnes plane milites in sua quisque centuria: quodque mirum magis, horum nomina vocativo casu enunciata leguntur (3).

Quae jam statuae sumptu publico statuebantur, in earum basi modo additum, modo omissum video, *Publice* eas, sive *Pecunia Publica* constitutas: Collegia item quas in Scholis suis ponebant, nihil iis fere subscriptum de operis impendio, quotiescumque nummi e Collegii arca numerati essent: quippe res erat manifesta cuique, quibus tandem sumptibus ea opera perfici oportuerat. verum si pecuniam Decuriones singuli et ipsa plebs in eam rem contulissent, diserte explicatum est (4):

Q · ASISIENO · Q · F ·
TRO · (5) AGRIPPAE
AED · II · VIRO
PONTIFICI
EX · AERE · CONLATO
DECVRIONES · ET · PLEPS

item, ut par fuit, si Collegia etiam sumptus suppeditassent; idque ex inscriptione discas, quam a Grutero Pisaurensibus adtributam vir ejus municipii nobilissimus et doctissimus Hannibal Olivierus Ariminensibus, quorum erat, ingenue adjudicavit (6):

C · SENTIO · C · F · PAL ·
VALERIO · FAVSTINIANO
II · VIRO · AVGVRI
VICANI · VICORVM · VII ·
COLLEG · FABR · ET · CENTONAR ·
EX · AERE · COLLATO · QVOD · IN
HONORE · II · VIRATVS · INDVSTRIE
ADMINISTRATO · OMNIBVS · PLEBIS
DESIDERIIS · SATISFECIT ·
L · D · D · D ·

(1) Grut. p. 258. n. 8. Fabr. p. 131, n. 68.
(2) *Praefecti Praetorio*.
(3) Fabr. p. 260. n. 91.
(4) Maff. M. V. p. 115. n. 1.
(5) *Tromentina tribu*.
(6) Marm. Pisaur. n. 41. Grut. p. 467. n. 4.

nunquam vero ejus laudi invidere solebant, qui honore accepto, pecunia sua opus perficiendum curasset. id enim ipsum saepe subscriptum esse videmus (1):

DEC · IIIII · VIR · (2)
AVGVST ·
P · OLITIO · APOLLONIO
IIIII · VIR · AVG ·
ET · NAVIC ·
C · I · P · C · N · M · (3)
OB · MERITA
ET · LIBERALITATES
EIVS
QVI · HONORE · DECRETI · VSVS
IMPENDIVM · REMISIT · ET
STATVAM · DE · SVO
POSVIT

Verum desiderabatur adhuc formula, qua uteremur, ubi quis decreti honore accepto, auctor idem fuisset, ut statua, quae decreta esset, non sibi sed alteri poneretur. sed eam nobis jam exhibet Faleriensis inscriptio nuper reperta, cujus exemplum a Michaële Catalano doctissimo viro et amico optimo ad me Firmo transmissum est:

T · CORNASIDIO
T · F · FAB · SABINO · E · M · V · (4)
PROC · AVG · DACIAE · APVLENSIS · PROC ·
ALPIVM · ATRACTIANAR · ET · POENINAR ·
IVR · GLADI · SVBPRAEF · CLASS · PR · RAVEN ·
PRAEF · ALAE · VETER · GALLOR · TRIB · LEG · II ·
AVG · PRAEF · COH · I · MONT · P · C · AVGVRI
LAVR · LAVIN · AED · II · VIR · Q · Q · Q · P · P · (5)
COLLEGIA
FABRVM · CENTON · DENDROPHOR ·
IN · HONOREM
T · CORNASIDI
VESENNI · CLEMENTIS
FILI · EIVS · EQVO · PVBL · LAVR ·
LAVIN · PATRONI · PLEBIS · ET · COL
LEGIORVM · QVI · AB · IPSIS · OBLATVM
SIBI · HONOREM · STATVAE · IN
PATRIS · SVI · NOMEN · MEMO
RIAMQVE · TRANSMISIT

cujus quidem exempli illustrandi non hic locus: itaque vix illud adnotabo, versu septimo legendum mihi videri *Praefecto Cohortis Primae Montanorum Piae Constantis*: jamdiu enim Fabretti labefactata opinio est existimantis, nullam plane cohortem honorario cognomine auctam esse (6). nimirum praeter ea, quae a Blasio indicata sunt (7), longam mihi seriem cohortium ostendit Cajetanus Marinius, quae omnes apposito illustri gaudent, eoque omnibus fere litteris scripto, ut nullus dubitationi locus relictus sit: quem hic contra aliquis esse putet; legi enim posse, *Cohortis Primae Montanae Peditum Cataphractorum*: quippe non equites solum cataphracti, sed pedites quoque fuere, de quibus mentionem fecit Vegetius (8). sed quia cohortes omnes Peditum tantum esse semper intelligebantur, nisi *Equitatae* appellarentur, idcirco nihil opus erat illud P,

(1) Grut. p. 445. n. 6.
(2) *Decreto Sevirum.*
(3) *Coloniae Iuliae Paternae Claudiae Narbonis Martii.*
(4) *Egregiae Memoriae Viro.* v. inscr. 335.
(5) *Quaestori, Quinquennali, Patrono Plebis.*
(6) p. 140. K.
(7) apud Oderic. p. 314. n. 7.
(8) l. 1. c. 20.

siquidem Montana illa cohors, nisi e peditibus, esse non poterat. malo autem *Piae Constantis* legere, quam *Piae Claudiae*; nam et legio quaeque binominis imperatorium agnomen reliquis praeponebat.

Redeo in viam: non haec solum subscripsere veteres; sed quidquid etiam ad ejusdem operis perpetuitatem collatum esset. nempe si quid praeterea tutelae nomine quis dedisset, ne id quidem omittebant: quemadmodum paullo superius (1) in L. Coelii Valerii inscriptione vidimus: quam monumenti tutelam in se conferebant Redemptores ii, qui sarta tecta praestabant: quorum e numero fuit M. ille Aufidius, quem *Tutelae Capitolii Redemptorem* Plinius (2) appellat. *Tutelam* tamen si quis statuae aut basis septum dici contendat, non repugnabo: nam Varro quidem (3) septa, quae tutandi caussa fundi fiant, *Tutelas* vocat; arae vero *Septum Clusum* et *Caulas* in antiquis inscriptionibus legi, jam adnotavimus (4).

Vt ut se res habeat, in appendice hujusmodi mentio aliquando facta est *statuae*: sed si nihil inscriptioni de impensa remissa addendum erat, vetustae consuetudinis fuit, quam erudita aetas diu servavit, ut *statuam* nullo modo nominarent, nisi forte quum in eo honoris monumento laus aliqua lateret, quam posteri sine indice assequuturi non essent. planam exemplo rem faciam (5):

P · ALFIO · P · F · CAM · (6) SEMNIANO
EQVO · PVBLICO
QVAESTORI · II · VIR · QVINQ ·
HVIC · PRIMO · OMNIVM · OB · EXIMIAS
LIBERALITATES · ET · ABVNDANTISSIMAS
IN · EXEMPLVM · LARGITIONES · BIG · POS ·
PLEBS · VRBANA · EX · AERE · CONLATO
DECVR · DECR ·

Alfius Pisauri in municipio suo primus hoc meruerat, ut *Biga* ei poneretur; id erat simulacrum ipsius Alfii bijugo in curru sedentis: quem honorem non utique vulgarem rei novitas augebat, ut majorum merita excessisse Alfius videretur. at ubi eundem honorem alii consequuti essent, nisi hoc titulus admonuisset, unde posteri discere poterant, eum Alfio primum esse delatum?

VI. Quod superest, honorariis inscriptionibus, quae privati honoris indicia sint, si loco publico prostare debeant, subscribendum est, a quibus locus datus, sive quorum permissu statua posita sit. notae autem, quae id designent, formulae, nec varia tibi libro tertio exempla deerunt. contra si solo id factum privato fuerit et jure proprio; recte illud quoque indicaveris: exemplum egregium esto, quod subjiciam (7):

IMP · CAESARI · DIVI · NERVAE · F · NERVAE · TRAIA
NO · AVG · GERM · DACICO · PONTIF · MAX ·
TRIB · POT · XII · IMP · VI · COS · V · P · P · PROPA
GATORI · ORBIS · TERRARVM · LOCVPLETA
TORI · CIVIVM · CVLTORES · LARVM · ET · IMA
GINVM · DOMVS · AVGVSTAE · SOLO · PRIVATO
SVA · PECVNIA · FECERVNT

Temporis, quo veteres statuas suas honoris caussa statuerint, nulla plerumque in titulis facta significatio: saepe enim iis monumenta constituebant, qui tempora ipsi signabant. ceterum Dedicationis et annus et dies haud raro vel infra vel ad latera adscriptus est: quod nunc quoque loco usurpabimus: horum enim monumentorum *De-*

(1) hoc artic. n. 3.
(2) H. N. l. 35. c. 3. n. 4.
(3) de R. R. l. 1. c. 14.
(4) v. inscr. 30.
(5) Don. Cl. 5. n. 16.
(6) *Camilia tribu*.
(7) Fabr. p. 447. n. 57.

dicationes, ut jam monuimus, nil erant aliud, quam apertio novi operis, et quaedam veluti ἐγκαίνια, quae his etiam temporibus sic celebramus, ut eam rem nemo habeat religioni. ceterum pro DEDIC. scribe, si vis, COLL. id est *Collocata:* hoc quoque satis antiquum est (1).

Dedicationi autem junxere aliquando veteres ipsa etiam nomina Curatorum; eaque in utroque basis latere interdum incisa sunt, ut duobus de principe loco altercantibus, semel uterque primus esse posset. tantam litem Tibure olim sic compositam, haec declarat inscriptio (2):

	Q · HORTENSIO Q · F . COL · FAVSTINO ADVOCATO · FIS CI · PRAEF · FABR · PATRONO · MVNICIPI COLLEGIVM · FABRVM TIBVRTIVM . OB MERITA L · D · S · C ·	
CVRANTIBVS M · HELVIO · EXPECTATO C · ALLIANO · TIBVRTINO		CVRANTIBVS C · ALLIANO · TIBVRTINO M · HELVIO · EXPECTATO DEDIC · III · ID · MAI · MAXIMO · ET ORFITO · COS · (3)

consules quoque idcirco in tabulis antiquis atque ipsis in nummis modo primo, modo secundo loco eosdem scriptos esse reperies, ne alter alteri praestare videretur: quod jam ab aliis animadversum est.

Denique quum Dedicationem statuae epulo fere veteres aut sportularum divisione celebrarent, saepe de his etiam facta mentio, et satis quidem ad eam rem apposite: quum omnia ejus impensa fierent, cujus statua dedicabatur, aut certe haeredum, si is jam decessisset (4). haec vero, ubi res postulet, usurpari a nobis, iterumque induci, quis vetat? formulas liber tertius quaerenti exhibebit.

§. III.

DE INSCRIPTIONIBVS HONORARIIS PRIMARIARVM FEMINARVM

I. PAuca jam restant, quae hoc loco exponantur, ut instituti capitis exitum expediamus. nam quae articulo superiore de ordine textuque inscriptionis tradita sunt, ad hunc quoque sic pertinent, ut ad primarias feminas ex veterum praescripto titulis honorandas iisdem prope legibus, atque eadem ratione uti possis.

Primum igitur de inscriptionum initio nihil hic mihi dicendum est, quum antiquis in exemplis unum omnium sit, a nomine scilicet ductum earum, quibus statua posita sit: cui fere adnexum est patris praenomen et *Filiae* appellatio, deinde cognomen; interdum, his omissis, ea tantum addita, quae fastigii earum ac dignitatis apposita putabantur (5):

(1) Grut. p. 311. n. 4.
(2) Grut. p. 419. n. 5. v. Fabr. p. 487. E. v. et Murat. p. 953. n. 4. 5. et iter. Grut. p. 8. n. 3. et p. 1006. n. 5. etc.
(3) An. Varr. 925.
(4) Fabr. p. 486. n. 163.
(5) Don. Cl. 3. n. 46.

IVLIAE · AVG · MATRI · CASTROR·
ET · AVG · D · D · PVBL ·

jamvero Matronis, quae etiamtum in conjugio essent, Viri nomen protinus subjectum legimus, post quod ipsae perraro *Vxores* appellantur, ut jam ad inscr. LI· aduotavimus: sic enim assueverant, nec jam quisquam in legendo haerebat: quippe cetera propinquitatis vocabula post propinquorum nomina nunquam omittebantur; scriptumque passim reperies *Filiae*, *Nurui*, *Matri*, *Sorori*, *Aviae*, *Materterae*. sed tamen et viri nomini, cui adscribendae dignitates essent, saepe praeposuere *Vxori* aut *Conjugi* (1):

FVRIAE · SABINAE · TRANQVILLINAE
SANCTISSIMAE · AVGVSTAE · CONIVGI
D · N · ANTONINI · GORDIANI
PII · FELICIS · INVICTI · AVGVSTI
DECVRIALES · AEDILIVM · PLEB · ET
CERIALIVM
DEVOTI · NVMINI
MAIESTATIQVE
EIVS

sic et patris nomini, cujus item honores recensendi essent, praepositum est (2) *Filiae*, ne turba illa verborum sequentium offenderet, et dictionem obscuritas aliqua infuscaret. tum servatum hoc quoque, ut primo Vir, deinde Pater cieretur. non modo autem et viri et parentis commemoratione ad feminarum dignitatem ac decus prodendum usi sunt; sed filiorum etiam injecta mentio, eorum maxime, qui rerum potiti essent: itaque Iulia Severi multis in monumentis *Mater Aug.* appellatur, ut antea et Livia et Agrippina et Antonia non uno in titulo dictae fuerant. neque id in municipiis neglectum, si quis e matronarum filiis inclaruisset: quorum e numero fuit M. ille Nonius Balbus (3) apud Herculanenses, quem praetura et proconsulatu functum esse constat: hunc nempe titulum Decuriones statuae matris subscripserunt (4):

VICIRIAE · A · F · ARCHADI
MATRI · BALBI
D · D ·

nec mirere, minime hic explicari, uter Balborum Viciria natus esset, praesertim quum ibidem et *Balbo Patri* (5) statuam posuissent: unus jam illis Balbus in ore erat, is nimirum, qui sellam curulem non modo in familiam suam, sed fortasse in municipium etiam illud primus attulerat. ceterum hoc plerumque vel in Augustarum titulis obtinuit, ut Imperatoribus ipsis, quorum illae *Matres* dicerentur, praenomina etiam et cognomina ac reliquas praeterea appellationes adscribendas curarent (6); quibus sane quum ad discrimen opus non esset, uti tamen malebant, quod et Matrum Augustarum amplitudinem illustrarent, et ipsam inscriptionem verborum splendore distinguerent.

Hoc vero etiam plerisque Augustarum tributum est, ut ne de ceteris quidem cognationis gradibus sileretur, quae cuique cum Imperatoribus esset vel demortuis, aut cum eorum uxoribus sororibusque. itaque *Neptes* interdum et *Sorores* et *Nurus* et *Materterae* Augustorum aut Augustarum sunt appellatae (7). atque haec consuetudo in municipia etiam imitandi studio introducta est, nisi forte nobis imposuit Panvinius, a quo inscriptionem hanc Gruterus accepit (8):

(1) Don. cl. 3. n. 49. v. inscr. 118. 119.
(2) v. rursum inscr. 118. 119.
(3) Maff. M. V. p. 350. n. 10.
(4) Gor. Symb. Rom. t. 1. p. 54. Visconti. Iconogr. Rom. P. 1. c. 5. §. 1.
(5) Maff. M. V. p. 350. n. 12.
(6) v. inscr. 113.
(7) v. inscr. 115. et 118. Grut. p. 252. n. 4.
(8) Grut. p. 344. n. 4.

ACILIAE · M' · F ·
MANILIOLAE · C · F · (1)
M' · ACILI · GLABRION ·
SEN · COS · (2) PRONEPTI
M' · ACILI · GLABRIONIS
COS · II · NEPTI
M' · ACILI · FAVSTINI
COS · F ·
ORDO · DECVRION ·

quamquam animadvertendum hic est, in Aciliae hujus titulo cur majorum mentio fieret, caussam fuisse non exiguam. nam Acilii circa Severi Aug. tempora omnium patriciorum nobilissimi ferebantur; itaque de Aciliae avo scripsit Herodianus (3), ην δε ευγενεστατος μεν παντων ευπατριδων· ανεφερε γουν εις Αινειαν της Αφροδιτης και Αγχισου την του γενους διαδοχην· atque haec fere primariis olim feminis pro honoribus et muneribus publicis adscripta reperias, quorum expertes erant; ut quae rebus gestis clarescere non poterant, majorum et propinquorum laudibus eniterent. quo pacto et Tullius olim (4) Caeciliam *Balearici filiam*, *Nepotis sororem* commendavit, a genere potissimum, quo dein privatam feminae virtutem extolleret: *Quae, inquit, quum patrem clarissimum, amplissimos patruos, ornatissimum fratrem haberet; tamen quum esset mulier, virtute perfecit, ut, quanto honore ipsa ex illorum dignitate afficeretur, non minora illis ornamenta ex sua laude redderet.*

II. Habes igitur quae prima feminarum veluti apposita esse debeant. quarum viris, parentibus, filiis, majoribus quonam ordine honores apponendi sint, supervacuum est dicere; quum idem plane esse oporteat, atque is, de quo multa jam articulo superiore disseruimus.

Fuere nihilominus sua et feminis aliquando dignitatis apposita, quibus eas maxime ornatas video, quae minus claris ortae parentibus, nec magnis nuptae viris, decus tamen sibi aliquod virtute peperissent. primum enim quaedam ex his sacerdotia inibant, Flaminicae Divarum Augustarum proditae; id minime in earum inscriptionibus praetermissum est (5);

SAENIAE · CN · FIL ·
BALBILLAE
SACERDOTI · DIVAE
FAVSTINAE · DECVRI
ONES · AERE · COLLA
TO · OB · MERITA · EIVS

aliae vero, quum bene nummatae essent, municipia etiam et colonias largitionibus demerebant. quare his aliquando urbium earum patrocinia deferebantur, unde nova sibi dignitatis et laudis apposita inveniebant (6);

CANTIAE · L · F · SATVR
NINAE · MATRI · COLON ·
FLAMINICAE · DIVAE
PLOTINAE · HIC · (7) ET
FORO · SEMPRONII
D · D · PVBLICE

sic *Coeliae Paternae*, quae forsitan Brixiae Iudaeos fovebat, adscriptum sub statua

(1) *Clarissimae Feminae*.
(2) *Senioris Consulis*.
(3) Hist. l. 2. c. 3.
(4) pro Rosc. Amer. c. 50. n. 147.
(5) Grut. p. 322. n. 5.
(6) id. p. 1088. n. 15.
(7) *Arimini*.

Matri Synagogae Brixianorum (1), sic *Albiae Balbinae*, quae apud conterraneos suos gratia multum et auctoritate valuerat, adjectum est, *Flaminicae Pisauri Et Arimini, Patronae Municipi Pitinatium Pisaurensium* (2): aliae item a collegiis honoris caussa *Matres Numeri Nostri* (3) aut *Honorificentissimae Feminae* (4) appellatae, ne dum *Clarissimae*.

His tamen finibus circumscripta plerumque feminarum laus, aut non multo longius veteres nimio adsentandi studio prolapsi. eas certe laudes, quibus nunc vel infimi homines cumulantur, in antiquis exemplis difficile est invenire. nam quae Vestalium praeconia continent, et a Panvinio fere prodierunt; ut omnia germana sint, ad eruditam aetatem non pertinent: nisi forte Maximinorum temporibus adsignandum id est, quo *Flavia Publicia* celebratur; in quo consulum nomina sic deleta sunt, ut alterum Augustum, alterum Augusti filium fuisse manifesto deprehendas. equidem quibus aliis consulatus iste tribui possit, non invenio; Maximini contra hostes ambo a senatu judicati sunt (5); nec vero utriusque ob eam rem, ut mos erat, erasa e monumentis nomina fuisse, quisquam ambiget. id exemplum quia vidit descripsitque Smetius, libenter e Grutero decerpam (6);

FL · PVBLICIAE · V · V · MAX · (7)
SANCTISSIMAE · ET · PIISSIMAE
AC · SVPER · OMNES · RETRO
RELIGIOSISSIMAE · PVRISSIMAE
CASTISSIMAEQVE
CVIVS · RELIGIOSAM · CVRAM
SACRORVM · ET · MORVM · PRAEDI
CABILEM · DISCIPLINAM
NVMEN · QVOQVE · VESTAE
COMPROBAVIT
Q · VETVRIVS · MEMPHIVS · V · E · (8)
FICTOR · V · V · DIGNATIONIS · ERGA · SE
HONORISQVE · CAVSA · PLVRIMIS
IN · SE · CONLATIS · BENEFICIIS

COLL · (9) V · IDVS · MART ·
IMP · CAES · : : : : : PIO · FELIC · II · ET
: : : : : NOBILISSIMO · CAES · COS ·

sed hoc etiam, et cetera exempla, quae Lipsius in eum librum congessit, qui *de Vesta et Vestalibus* inscriptus est (10), ii demum suspicient, qui Latinae dignitatis gustum non habent. nos quidem antiquum morem retinebimus, et iis utemur formulis, quae pristinam breviloquentiam imitentur; quum vel in longa inscriptione nihil inane, nihil sine caussa, nihil supervacuum esse solebat. etsi vero aliis nunc moribus, aliis vivimus institutis; munera tamen nunc quoque sunt quaedam, sunt dignitatis honorisque tituli, qui Matronis adscribi possint, quarum aliae sodalitatum magistrae sunt, aliae puellarum alimentariarum curationem administrant: quaedam insignibus ornatae nobilium ordinum, aut certe virorum titulis honestatae: quae etiam in regum aulis interdum cum imperio aliquo versantur: haec plane omnia in earum inscriptionibus commemoranda sunt. earundem autem munificentia collegia saepe, vici, oppida vel restituta vel aucta, ut eorum *Matres* atque *Patronae* merito dici possint. sed quae virtutis ap-

(1) Grut. p. 323. n. 3. v. Lup. Ep. Sev. p. 178.
(2) Grut. p. 322. n. 8.
(3) Gor. Inscr. t. 2. p. 208.
(4) Don. Cl. 5. n. 33.
(5) Cap. in Maxim. c. 16. Herod. l. 7. c. 7.
(6) p. 311. n. 1.
(7) *Virgini Vestali Maximae.*
(8) *Vir Egregius.*
(9) *Collocata.*
(10) c. 15. in not.

pellationes sunt, et vitae laudes pie ac puriter actae, earum plerasque in epitaphiis aptius usurpabimus.

II. Caussam deinde, quare honor haberetur, saepe in exemplis afferri videmus: quae interdum externa est, atque e propinquis fere petita; nec tamen, nisi generatim, significatur (1):

MAGIAE · Q · F · SEVERINAE
OB · MERITA · Q · MAGII · SEVERI
PATRIS · EIVS
ORDO · DEC · POPVLVSQ ·
SIPONTINVS
AERE · CONLAT ·

at etiam Matronae ipsius gratia, quae honorabatur, statuam aliquando decretam esse legimus, ut hoc in exemplo, quod *Tricliniares Trebulae Mutuescae* in basi ejus statuae, quam Patronae suae decreverant, incidendum curaverunt. id erat ejus oppidi sive vici (2) *Collegium Tricliniis*, ut arbitror, *Ad Epulum Deorum Parandis:* quod Romae Septemviri Epulones praestabant: neque enim servos Tricliniares hic nominari verisimile est, quorum aliae inscriptiones apud Gruterum (3) et Donium (4) mentionem habent, quippe servis jus decreti faciendi quis tribuat (5)?

AVRELIAE · CRE
SCENTIAE · HONESTISSIMAE
ET · PVDICISSIMAE · FOEMINAE · PATRO
CONIVGI · AVRELI · FELICISSIMI · PROC ·
E · V · (6) PATRONI · MVNICIPII · TREBVLANI
MVT · OB · MERITA · ET · BENEFICIA · SAEPE
IN · SE · CONLATA · STATVAM · PONENDAM
EIDEM · TRICLINIARES · DECREVE
RVNT

DEDICATA · NATALI · DIE · XVI · KAL · FEB ·
ARRIANO ET · PAPO · COS · (7)
L · D · D · D ·

quae vero beneficia, quae merita Patronarum essent, raro diligenti oratione traditum explicatumque reperies. singula enim persequi, saepe, ut arbitror, minus decorum esse ducebant; praesertim si neque nova neque magna beneficia memorare quis posset. tum quae prolata generatim, nec rei demonstratione sed significatione indicata essent, crescere quodammodo, et majus quiddam planeque Romanum sonare videbantur. hujusmodi est inscriptio pulcherrima, quam in Museo Vaticano descripsi, Hadriano et Sabinae Augustis posita:

HADRIANO SABINAE
AVGVSTO · COS · III · P · P · AVGVSTAE
LOCVPLETATORIBVS · MVNICIPII
EX · D · D · PVBLICE

atque hanc plerumque rationem veteres sequuti sunt, dum stili hujus elegantia mansit et modus: ut prope singularia habenda ea exempla sint, in quibus multae minutaeque res exili quadam et concisa narratione exponantur.

Ceterum cave, eam inscriptionis formam repudiandam putes, quae, si res poscat,

(1) Murat. p. 1081. n. 6.
(2) v. Fabr. p. 400. D. et p. 676. n. 29. et 30.
(3) p. 576. n. 6.
(4) Cl. 7. n. 35.
(5) Fabr. p. 699. n. 210.
(6) *Egregii Viri.*
(7) An. Varr. 996.

una veluti periodo et Matronae decora et monumenti caussam diserte nec sine dignitate comprehendat. ea quidem forma clarorum virorum inscriptionibus adtributa videtur, quorum rebus gestis maxime conveniebat: sed ita tamen, ut primarias quoque feminas deceat non minus, quaecumque cum illis clarorum factorum gloria et egregiae virtutis laude certaverit. quamobrem probabilis, opinor, si reliqua constent, inscriptio tibi haec videatur, quam haud ita pridem a me vir clarissimus condi voluit, ut domi, honoris caussa, spectatissimae matronae, filiae suae, simulacro subscriberet (1):

CLARAE · MARIAE · SPINVCCIAE
COMITI · LVSATIAE
QVAE · ANNO · M · D · C · C · LXIIII ·
SERENISS · XAVERI · AVGVSTI · SAXONICI
REGALI · CONIVGIO · DIGNATA
VIRTVTE · PROMERVIT
VT · TERTIO · DECIMO · POST · ANNO
PRIDIE · EID · AVG ·
OMNIA · IVSTAE · VXORIS · IVRA · ATQVE · INSIGNIA
SIBI · AB · REGIO · CONIVCE · IMPERTIRENTVR
IOSEPHVS · SPINVCCIVS · COMES
FILIAE · RARISSIMAE
QVOD
SPINVCCIAM · GENTEM · TANTAE · STIRPI
INSERVERIT

haec quidem, et quidquid praeclare factum sit, injuria praetermiseris; ut ut inscriptiones hujusmodi feminarum caussa perscriptae, in hac tanta exemplorum copia, sequioris omnes aetatis esse videantur. alia forsitan in lucem exempla aliquando prodeant notae melioris, in quibus ut virorum, sic mulierum quoque vel facta vel indolem virtutemque uberiori oratione commendari videamus.

Nam quod tituli nominibus saepe et appositis tantum constare solent, idcirco factum est, quia statuae olim levi etiam de caussa nec magnis semper viris aut feminis ponebantur: ut more potius, quam voluntate expressus honor videretur. sic Ariminenses in eo exemplo, quod subjiciam, nihil aliud adnotarunt, quam sumptum operis remissum: ut intelligas, non Decurionum studio, sed indulgentia statuam Lepidiae cupienti et subornanti esse decretam (2):

LEPIDIAE · L · F ·
PROCVLAE
SACERDOTI · DIVAE
FAVSTINAE
AVG · ET
DIVAE · MATIDIAE
AVG · D · D · P ·
PECVNIA · AB · EA
REMISSA

studii tamen plus aliquid et existimationis decreto suo Aquinates ostenderunt, qui ei statuam decrevere, quae jam obiisset: nisi hoc ipsum propinqui ejus extorserunt (3):

(1) Firmi apud Spinucc. (2) Grut. p. 1088. n. 11. (3) Grut. p. 321. n. 4.

DENTRIAE · L · F · POLLAE
SACERDOTI · DIVAE
AVGVSTAE
POST · MORTEM
D · D ·

quo etiam pertinet Actii liberti titulus in basi statuae, quam patronae suae posuit (1):

IVNONI
IVNIAE · C · SILANI · F ·
TORQVATAE
SACERDOTI · VESTALI
ANNIS · LXIIII ·
CAELESTI · PATRONAE
ACTIVS · L ·

hoc enim indicare Actius voluit, honorem se patronae suae habere, quum jam illa ad plures abiisset: ut id non ejus demerendae, sed honorandae caussa facere videretur (*a*) et inscripsit *Iunoni*, quemadmodum viris *Genio* scribebatur (2), quum decessissent. patronamque caelestem appellavit, quo eam inter Deos collocaret: ut mirer, Maffejo haec in mentem non venisse, qui ne titulum hunc legitimis accenseret, illud etiam addidit (3), *Vestales* Virgines *perpetuo nuncupari, non* Sacerdotes: quum tamen et Livius ipsas virgines Vestae *Sacerdotium* vocet *Alba oriundum* (4), et Tullius Fontejam Vestalem *Sacerdotem* nominet (5), et Gellius demum e libro primo Fabii Pictoris (6) formulam afferat, qua Pontifex Maximus Virginem capiebat, conceptis verbis, quae sunt hujusmodi: *Sacerdotem Vestalem, Quae Sacra Faciat, Quae Ious Siet Sacerdotem Vestalem Facere Pro Populo Romano Quiritium, Vtei Quae Optuma Lege Fouit, Ita Te Amata Capio*. exstat vero ad Museum Vaticanum in porticu haec ipsa inscriptio Actii liberti iis incisa litteris, quas qui viderit, Maffejo minime auscultabit.

III. Statuas feminis ponebant dedicabantque et privati homines, ut vidimus, et collegia; sic tamen ut locum a Decurionibus peterent, et datum esse subscriberent: Matronae etiam dicarunt, ipsae tantum (7): saepius Decuriones et populus. aliquando autem adjectum est, una mulieres cum viris constituisse, ut hic Tufficani testantur, quos Plinius (8) Tifernatium Tiberinorum finitimos facere videtur (9):

CAMVRENAE
C · FIL ·
CELERINAE
FLAM · FERON ·
MVNICIP · ET · INCOLAE
TVFFICI · VTRIVSQ · SEXVS
OB · MERITA · EIVS
H · A · I · R · (10)

De impensa remissa, ac de die annoque dedicationis, quae veteres interdum adnotabant; de epulis item ac de divisione sportularum nihil attinet dicere: quum huc ea ipsa transferre possis, quae de his omnibus articulo superiore prolata sunt.

(1) id. p. 25. n. 10. nunc inter Vatican.
(*a*) Barptolemaeus Borghesi Giorn. Arcad. T. 1. p. 186. putat, hanc inscriptionem positam fuisse Iuniae Torquatae, quum ea adhuc in vivis esset, eo quod hic tantum *Sacerdos Vestalis*, non *Virg. Vest. Maxima* appelletur, quemadmodum legere est in alia inscript. apud eumd. Grut. p. 310. n. 3. eidem Iuniae Torquatae posita.
(2) v. inscr. 12. et 136.
(3) Art. Cr. L. l. 3. c. 4. p. 274.
(4) l. 1. c. 8. n. 20.
(5) pro Font. c. ult. n. 37.
(6) N. A. l. 1. c. 12. quem locum Maff. affert Art. Cr. L. l. 3. c. 3. p. 204.
(7) v. inscr. 116. et Inscr. Sic. Cl. 4. n. 26.
(8) H. N. l. 3. c. 14. n. 19.
(9) Murat. p. 1120. n. 4.
(10) *Honore, Accepto Impensam Remisit*.

CAPVT III.

De epitaphiis

§. I.

DE RATIONE GENERIS VNIVERSA.

I. De iis jam dicere aggredimur, quae nunc quoque ita vulgo usitata sunt et communia, ut ex his, qui latine sciant, invenire possis perpaucos, qui epitaphium aliquando non scripserint. unde accidit perincommode, ut abnormia quaedam et insulsa paullatim irreperent, quae usu jamdiu recepta ne ii quidem audeant rejicere, qui ea nec tuentur nec probant. quare mihi agendum erit confidentius: ut vocem denique et ii mittant, quorum auctoritate vetus ille epitaphiorum nitor et elegantia revocari posse videatur. quum ea autem indicanda esse arbitror, quae maxime repudiari oporteat; tum ne illa quidem praetermittenda, quibus, contra ac fieri solet, minime abstinendum est: ut squalore jam sordibusque detersis, excellentium inscriptionum speciem aliquam sensim formamque adumbremus.

Epitaphiorum veterum, quorum ingens numerus et varia passim exempla exstant, unum plerisque initium est *Diis Manibus*, aut *Dis Manibus Sacrum*: interdum et *Manibus* tantum (1). *Manes* autem, quamquam non una de his fuit sententia veterum, ipsas etiam defunctorum animas apertissime vocaverunt. sic enim exposuit Horatius (2):

. . . . Cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent animas responsa daturas.

idemque Norisius jam (3) et Fabrettus (4) ostendere, quibus et Maffejus assensus est (5). itaque vix audeam improbare, qui mortuorum animas *Manes* appellet: quemadmodum Egizius fecit, sic inscriptionem exorsus (6), *Piis Manibus Ad Expiationem Peccatorum*. nego tamen, ab eo vocabulo recte nobis inchoari epitaphium. corpora nempe defunctorum, non animae tumulantur; et sacra potius esse sepulcra ducimus, quod ea sacro in loco excitamus, in iisque piorum, ut credimus, reliquias componimus; quam quia mortuis ritu aliquo ad veterum morem dicata sint.

Quid vero, inquies, de his sentis, qui majorum exemplo, ac tot ubique lapidibus conclamantibus, eo utuntur exordio, D · O · M · ? scio esse adhuc quosdam, qui hoc putent esse bellissimum: sed Maffejo (7) quidem ridiculum, mihi intempestivum certe atque ατοπον videtur. optimo illud jure praeferunt inscriptiones sacrae, in quibus etiam post eas litteras adscribitur SACR · unde altare aut templum Deo sacrum esse discamus. at sepulcra quamvis operosa ac magnifica, Deo dicari quis dixerit? afferes fortasse titulos quosdam ex Fabretti volumine, qui addubitare me cogant, num eodem prope initio veteres Christiani aliquando in sepulcrorum titulis usi sint. nam illi quidem exordia habent hujusmodi (8):

D · ☧ M . et ☧ D · M · S ·

(1) Grut. p. 470. n. 7.
(2) l. 1. Sat. 8. v. 28.
(3) Cen. Pis. diss. 3. c. 4.
(4) Inscr. p. 79. B.
(5) M. V. p. 170. n. 2.
(6) Inscr. p. 312. n. 3.
(7) Art. Cr. L. l. 3. c. 3. p. 211.
(8) Fabr. p. 564. n. 107. et 108.

verum in hanc rem hoc primum adnoto, lapides hujus generis, urgentibus exsequiis, emptos fortasse a Christianis fuisse (1), quum jam litteras illas D · M · profani lapicidae de more insculpsissent: easque deinde non esse deletas, sed perinde habitas, ac si scriptae non essent, ut nunc quoque cum reliquis legendae omnino non sint: cujus rei exemplum sane luculentum apud Buonarrotum invenies (2). porro ita esse, Antonii Zaccariae fert opinio. quod si in eam Fabretti sententiam veniamus, ut illas litteras a Christianis ipsis vel insculptas, vel certe, si profani inscripserant, ad religiosam significationem traductas putemus; sic eas arbitror legi oportere una cum Graecis duabus, quae του Χριστου initium nominis sunt, ut dicamus *Deus Christus Magnus*, et *Christus Deus Magnus Sanctus*, non utique *Deo* et *Christo*: neque enim dedicationis caussa inscribebant, sed invocationis aut distinctionis tantum: quum nexum illum Graecarum litterarum X P modo in ipso initio cum A et Ω, modo ad latera, modo in fine appositum, et qua simplicem qua geminatum videamus.

Neutra tamen sententia mihi satis arridet, quum non modo apud Gruterum in Christiana inscriptione legitur (3) *Sacratis Manibus*, sed hanc etiam ex veteri Museo Kircheriano Lupius protulerit in Praetextati arenariis inventam, eodemque totam litterarum ductu formaque perscriptam his verbis (4):

DIS · MANIBVS . PRINCI
PIO · FILIO · DVLCISSIMO · SVO · PO
SVIT · QVI · VIXIT · ANNIS · VI · DIES
XXVII · IN . PACAE

cui alteram addo, quae adhuc in eodem Museo est, olim et Christiani et Martyris sepulcro dicatam: quippe in codicillis quibusdam meis, qui Contuccii fuere Praefecti diligentissimi, adscriptum ejus manu est, *Fuit et vas pro sanguine*: nam geminas quidem, quas habet, palmas nil moror: est autem hujusmodi, parva in tabella, litteris unius formae omnibus, nulla Christiani μονογραμματος nota insignis.

D · M ·
CALOTYCE · OCTABIANO · COIV
GI · BENEMERENTI · CVM · QVO · FECIT
AN · XXX · QVI · BIXIT · AN · N · L ·
DECESSIT · V · KAL · SEP ·
OCTABIANO · PACE

quamobrem paene cum Mabillonio (5) fatendum dixeris, *primis illis temporibus, quibus cruda adhuc quorundam in cordibus religio esset*, tirones scilicet nonnullos ac rudes e Christianis *aliquid de paganici ritus superstitione retinuisse*.

II· Nec vero aliam fuisse caussam existimo, cur aliquando in Christianis titulis *Fatorum* facta sit mentio, uti malis in versibus leges apud Fabrettum (6): quare neque Egizius (7) neque Ferrarius (8) arripere ista debebant, quae in veteribus quoque Christianis, quum sunt prolata, improbantur: qui tamen hoc loco, si eos verborum licentia liberiores fuisse argueris, jure quodam proprio se usos dicent; quod poëtice loquuti sint: at illi non adstricti numeris, non modi necessitate coacti, quum optimorum verborum magna copia esset, mala et superstitionis plena vocabula praeoptarunt.

Quid, quod Egizius ita epitaphia exorsus est, *D· O· M· Et Quieti Aeternae* (9), *Memoriae Et Quieti Aeternae* (10), *Cineribus Et Quieti Aeternae?* Latinam utique

(1) v. Inst. Lap. l. 2. c. 7. art. 1.
(2) Vetr. Ant. p. 167.
(3) p. 1058. n. 1.
(4) Lup. ep. Sev. p. 105.
(5) Itin. Ital. p. 73. vel 141. v. et Lup. l. c. p. 108.
(6) p. 112. n. 273.
(7) p. 236. 240. 276. etc.
(8) p. 185. n. 382.
(9) Inscr. p. 244.
(10) p. 272. et 278. etc.

agnosco formulam, cujus vetera exempla saepe legi (1): sed quam religionis pietas deprecatur atque recusat. cur enim Christiani propinquorum cineris atque ossium aeternam esse quietem velint, qui eos revicturos credant, et quidem tali vita sperent, ut nulla beatitati eorum allatura sit finem aetas? propterea Christiani veteres Noëmi, opinor, columbam, item ancoram in sepulcris effingi curabant (2). atqui sepulcrum illi *Domum Aeternam* appellarunt: ecce enim, inquis, e Fabretto exemplum (3):



DOMVS
AETERNA · SEPTI
MINI · ET · CRESCE
NTINES

ita sane; quin alia sunt quaedam, quae proferri possint: haec nempe illi a majoribus acceperant, quorum superstitionem et mores pridem exsuerant: quae optime ad pravam eorum opinionem sectamque quadrabant, sive animum immortalem ducerent, sive una cum corpore exstingui morte putarent. sed quamquam Fabrettus Christianos quoque, hujus formulae caussa, a superstitionis nota vindicare conatus est; non eos tamen ego culpa liberem, qui e tot aevi illius beatissimi bonis haec optent potissimum, quae in nostros mores inducantur.

Illa etiam antiquis, velim, relinquas, *Somno Aeterno, Vale Aeternum, Sit Tibi Terra Levis* et similia: quae religionem scilicet doctrinamque nostram non produnt. itaque parum mihi Polae epitaphium probatur, quod pro filiola confecit, lepidum illud quidem, sed veteris tamen superstitionis affine (4):

HAVE · VALE
ATTILIA · POLA · ANIMVLA · NOSTRA
HEV · QVEM · NVNC · ABIS · IN · LOCVM
PALLIDVLA · RIGIDVLA · NVDVLA
EHEV
O · IOCOS · NON · AMPLIVS · DABIS · TVOS · MELLITVLOS
O · VAGVLA · O · BLANDVLA
VALE · AETERNVM
VIXIT · MENS · III · DIES · IV · HOR · XIIX ·
RHEVMA · MISELLAM · CONFECIT
PARENTES · IAM · NON · PARENTES · MOESTISS ·
P · P ·

noti cuique sunt Hadriani versiculi, quos ille moriens fecisse dicitur (5): ex his Pola multo plura delibavit, quam oporteret. neque enim animulam filiae suae, quae ad superos avolasset, *pallidulam* appellare debebat; neque ei *Vale Aeternum* dicere, quam caelo receptam brevi visurus esset.

III· Quaedam contra apud veteres multis in epitaphiis usurpata reperio, quae nostris in monumentis nusquam apparent; quum iis tamen neque religione vetemur uti, et brevitatis saepe aut elegantiae caussa si utamur, inscriptio jam quodam vetustatis colore ornari videatur. hujusmodi mos ille est veterum, quum sepulcrum pluribus po-

(1) Fabr. p. 53. n. 308. Maff. M. V. p. 244. etc.
(2) v. Lup. Epit. Sev. p. 136. 137. et Buonarr. Vetr. Ant. p. 124.
(3) Fabr. p. 113. n. XIV.
(4) Inscr. p. 436. n. 190.
(5) Spart. in Hadr. c. 25.

snissent, et ex his quidam jam compositi, quidam superstites essent, ut littera apposita vivi a mortuis secernerentur: vivi enim littera V·, mortui Graecorum· Θ designabantur, quod ipsi Graeci ejus rei caussa non adhibebant (1): ac ne quis in legendo haereret, utramque litteram forma fere minore aut majore, quam reliquas, effingi curabant (2):

v · TI · LATINIVS · TI · L · DORI · · · ·
Θ · AGRASIA · T · L · RVFA
HOC · (3) MANSVM · VENI · IIII · K · SEPT·
P · SVLPICIO · C · VALGIO · RVFO
CONSVLIBVS (4)

vel etiam iis, qui obiissent, nihil praefigebatur, ceteris V· aut contra nihil iis, qui viverent, mortuis vero Θ. cujus moris exempla quaedam Gruterus, plura Fabrettus suppeditabit (5). ac Θ quidem annorum etiam numero aliquando apposuerunt (6), ut quo quisque aetatis anno mortuus esset, indicarent, itaque ea mihi littera nuper ad brevitatem perutilis fuit, quum structo iterum pavimento templi Mariani ad Scholam Graecam in gentilis monumenti novo lapide nomina rursum, et tempus signandum esset, quo defunctorum quisque decessisset; nihil sane fieri poterat expeditius;

LOCVS · MONVMENTI
FELICIS · TRVLLI · PRAEF · COH · I · PR ·
Θ · AN · CIↃ · IↃ · C · C · XXXXV ·
ANNAE · MARIAE · MORELLIAE
Θ · AN · CIↃ · IↃ · C · C · LXII ·
MICH · ANGELI · TRVLLI · CANON · BASIL · HVIVS
Θ · AN · CIↃ · IↃ · C · C · LXV ·
NICOLAVS · MARI · F · FELICIS · N · TRVLLIVS
PRAEF · COH · I · PR ·
AVO · ET · AVIAE · ET · PATRVO
BENE · MERENTIBVS
POST · VETERIS · PAVIMENTI · RESTITVTIONEM
TITVLVM · RENOVAVIT
ANNO · CIↃ · IↃ · C · C · LXXVI ·

Vt autem nigrum mortuis theta praefigi, fas jusque est; ita rei non alienum videtur, si veteri more adscribamus, quantum pateat sepulcrum. nam si olim, quum tumulos propter militares vias fere excitarent, quot *in fronte* quot *in agro* pedes loci religiosi essent, in sepulcrali titulo notabant: minime tamen nobis, qui sepulcra nunc per Italiam plerumque in templis habemus, antiquarum formularum nulla restat, qua locum sepulcri caussa emptum datumve designemus, primum enim ea nos uti licet, quae in Rusticeliorum epitaphio est (7), omnium planissima, SEPVLCH · LONG · PED · XXX· LAT · PED · XXX· nec minus ea, quam tibi exhibet inscriptio CCXVIII· litteris scriptam singulariis Q · Q · V · P · L. id est *Quaquaversus pedes quinquaginta*, vel etiam quae apud Fabrettum occurrent (8) L · Q · P · XVI· aut P · Q · XVII· id est *Latum quaquaversus pedes sexdecim:* et *Pedes quaquaversus septemdecim*. item quae desumi hinc facile possit (9):

(1) Hagemb. Ep. Ep. p. 604.
(2) Maff. M.V. p. 108. n. 2. v. et Gor. Inscr. t. 1. p. 156. n. 83.
(3) *Hoc* pro *Huc*.
(4) An. Varr. 742.
(5) a p. 32. ad 35.
(6) Grut. p. 854. n. 9. p. 858. n. 4. etc. Maff. M. V. p. 419. n. 4. etc.
(7) Fabr. p. 240. n 639.
(8) p. 179. n. 371. et 372.
(9) Fabr. p. 179. n. 374.

C · CLODIVS : EVTHEMVS
P · CORNELIO · MAVRO
LOCVM · ARAE · DONAVIT
QVAE · COLLIGIT · IN · SOLO
POSITA · PEDES · QVADRA
TOS · TOT · III ·

pedes nempe *quadratos Totos tres*, sive solidos: non ut Fabrettus a Scaligero dissentiens putabat *Tot numero*: Plauti enim loco (1) abutebatur *Tot*, *Quadraginta minis*; quum ibi Thesprio servus Epidico de captiva, quam Stratippocles dominus emerat, interroganti *Quot minis emit*, respondeat *Tot*, numerum scilicet digitis indicans, deinde explicet apertius, *Quadraginta minis*; non autem, ut ille ajebat, *elegantiae gratia*, *Tot* et *Quadraginta* jungat.

Similia sunt illa apud Gruterum (2), *Huic Titulo Cedunt Quoq. Ped. Q. Bin.* et quae Fabrettus collegit (3), *In Longum*, *In Longitudinem*, *In Partem Posteriorem*, *Retro*, *Retroversus*: quibus nunc singulis pro veteri formula *In Agro* uti licet: addo et aliam ex Maffeii inscriptione (4):

V · F ·
L · CLODIVS · L · L ·
ACTIVS · SIBI · ET
CLODIAI . AMPHALE
CONTVB · ET
CLODIAI · LIBERALI · F ·
IN · F · P · VI · IN · R · P · XV ·

ad quam ille, *Nisi* R·, inquit, pro A· *ex errore subiit*, *legam* IN RECESSV: optime; nam et Quintilianus sic olim loquutus (5): *Grammatica plus habet in Recessu*, *quam in fronte promittit*.

Quia vero sepulcra nunc quoque modo uni tantum fiunt, modo familiae etiam et haeredibus aut toti genti parantur; quid ni, ubi opus est, formulam veterum more subscribemus, unde jura sepulcrorum quae sint, facile posteri discant? dixi autem *ubi opus est*; nam si paterfamilias in novo sepulcro incidi jussit, se fecisse *Sibi Posterisque Suis*; satis jam explicatum est, sepulcrum illud haereditarium esse, sive ad haeredes quoque pertinere quum suos ac necessarios, tum horum posteros ac successores. quare inepte quis addat *Hoc Monumentum Haeredes Sequetur*: quorsum enim haec recidant, nisi ut aliis verbis, quod jam expressum est, iterum designemus. hac certe formula veteres abstinebant, nec Fabrettus in haereditariis monumentis, nisi bis, usurpatam invenit (6). ceterum minus etiam probes, quod Platyna fecit: qui quum in fratris sepulcro (7) scripsisset, se fecisse fratri et sibi et posteris, subjecit protinus, qui sepulti essent, solos esse velle, nec aliis quibuscumque locum esse. sed tamen antiqui leporis epitaphium illud est, neque hoc loco praetermittendum.

(1) Epidic. 1. 1. 50.
(2) p. 823. n. 8.
(3) p. 178. B.
(4) Mus. Ver. p. 153. n. 3.
(5) Inst. l. 1. c. 4.
(6) p. 91. I. et n. 180.
(7) in Basil. Liber.

XYSTI · IIII ·
PONT · MAX ·
AN · VIII ·
STEPHANO · QVI
VIXIT · AN · XXVII ·
MEN · VIIII · D · XII ·
PLATYNA · FRATRI
BENEMERENTI
POSVIT
SIBI · QVE · AC · POSTERIS
QVISQVIS · ES · SI · PIVS · PLATYNAM
ET · SVOS · NE · VEXES · ANGVSTE
IACENT · ET · SOLI · VOLVNT · ESSE
ΘΑΡΣΟΝ · ΑΔΕΛΦΕ · ΚΑΛΩΣ
ΘΝΗΣΚΩΝ · ΠΑΛΙΝ · ΦΥΕΤΑΙ (1)

At si paterfamilias sepulcrum suum familiare tantum esse voluit, ac de nomine suo non exire; tum vero recte addes, *Hoc Monumentum Heredem Non Sequetur*, vel etiam apertius, *Hoc Monumentum Heredem Exterum Non Sequetur*: quibus formulis non absimiles illae, *Hoc Monumentum Ad Heredem Non Pertinet* (2), *Exterae Familiae Aditus Non Datur* (3): quae etiam litteris singulariis scribi possunt.

Nolim tamen, cum his eam quoque formulam revocemus, multorum famosam litibus, quam monumenta habent non pauca, *Sub Ascia Dedicavit* litem equidem a Maffejo diremptam (4) arbitror, nec aliud ea significari, quam *novum intactumque addixit*, sive *Ab Ascia* statim tribuit, adsignavit (5), nam et hoc modo loquuti sunt: idque ipse etiam novo exemplo confirmare possum: legi enim saepe in radula aenea Musei Kircheriani, quam templi donarium fuisse puto, SVB · ASCIA · P · ut si diceres, *instrumentum ante dicatum, quam quisquam uteretur*: unde hoc didici, *Asciam* pro quocumque instrumento accipi, quo opus quodlibet perficiatur. ceterum ea formula nimis exquisita videri possit: deinde antiqua ea quidem est, sed prope peregrina, quam scilicet Galli potissimum celebrarunt: Italica autem omnia, non Gallica pro Romanis se habere Quintilianus ajebat (6).

III. Iam vero quum plerasque veterum formulas nostris aptas epitaphiis esse non dubitem; quaeret quispiam, num etiam Latinas et legitimas ducam ex iis quasdam, quae nusquam, nisi in tumulis Christianorum reperiuntur? sunt autem hujusmodi:

DORMIT · IN · PACE (7)
DORMIENTI · IN · PACE (8)
IN · SOMNO · PACIS (9)
IN · PACE · QVIESCIT (10)
REQVIESCIT · IN · PACE (11)
CVIVS · ANIMA · IN · PACE · REQVIESCAT (12)
TE · IN · PACE · ☧ · FACIAT (13)
TE · IN · PACE (14)
VALE · IN · PACE (15)
BENEMERENTI · IN · PACE (16)
IN · PACE · DEI (17)
RECEPTA · IN · PACE (18)
IN · PACE (19)

ego vero sermonis haec Latini studiosis cur displiceant, aut cur epitaphiis minus con-

(1) *Bono sis animo, frater, Vita functus reviviscit.*
(2) Fabr. p. 95. n. 210.
(3) id. p. 95. n. 212.
(4) M. V. p. 165. n. 1.
(5) ibid. p. 166. n. 1.
(6) Inst. l. 1. c. 5.
(7) Maff. M. V. p. 282. n. 11.
(8) Fabr. p. 553. n. 36.
(9) id. p. 553. n. 40.
(10) Maff. M. V. p. 281. n. 10.
(11) ibid. p. 261. n. 10.
(12) Fabr. p. 567. n. 116.
(13) Giovenazz. invenit.
(14) Fabr. p. 570. n. 135.
(15) Maff. M. V. p. 282. n. 5.
(16) ibid. p. 293. n. 7. 8.
(17) Fabr. p. 557. n. 62.
(18) Maff. M. V. p. 279. n. 8.
(19) ubivis.

venire videantur, causam reperio nullam. nonne mortem Latini Graecique *Somnum* appellavere, et mortuos *dormire* dixerunt? Catulli sunt hi versus (1),

Nobis quum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

noti et illi ex Anthologia (2):

Τῇδε Σάων ὁ Δίκωνος Ἀκάνθιος ἱερὸν ὕπνον
Κοιμᾶται· θνήσκειν μὴ λέγε τοὺς ἀγαθούς.

itaque et Genios in sarcophagis saepe dormientes fecerunt, facibus inversis exstinctisque, ut somnum illum suum *Aeternalem* significarent (3): et ipsos aliquando defunctos in epitaphiis *dormire* jusserunt (4):

DORMI
CLAVDIAE
HERMIONAE
ARCHIMIMAE · SV
I · TEMPORIS · PRI
MAE · HERE
DES

epitaphium minime Christianum leges apud Maffejum (5) hoc initio, PRO · DORMITION· in aliis saepe occurret SOMNO et QVIETI: quae nos eo magis arripere debemus, quod congruentius nihil ac verius eorum sepulcris inscribi possit, quorum aliquando corpora, quasi e somno excitata, ad vitam revocanda esse didicimus.

At dictio illa *In Pace* Christiana est tota: ut jam viri eruditi, quum oculis usurpaverint, nullum aliud requirere vestigium soleant, quo vetus epitaphium inscriptionibus Christianis adnumerent (6). ita sane: quamquam istam mortuorum pacem profanae quoque gentes aliquando agnoverunt (7):

PACI · ET · QVIETI
ET · MEMORIAE · AETERNAE
Q · ARISTIO · CHRESTO
IVN · QVI · VIX · ANN · · · ·
MENS · III · DIEBVS · VII ·
ATERIA · CHRESTE
ET · ARIST · CHRESIME · FRATRI
ET · ARISTIA · HELPIS · FIL ·
DVLCISS · ΕΥΠΛΟΙ · (8)

sed ut Christiana tota sit, non ideo ea formula minus Latina est: nam si hoc Christiani significare voluerunt, quem *In Pace* decessisse scriberent, eum *Deo carum* sive *Deo propitio* obiisse; quid haec aliud sonabant apud Latinos veteres? *Ni tua Pax* (Neptune) *propitia foret praesto* (9): *Divûm Pacem votis adit* (10): *Quo juvenes, sine Pace Deûm* (11)? sin autem *Pacis* nomine eam securitatem intelligi volebant, quam animi immortales apud Deum habent, ipsam etiam animorum tranquillitatem Tullius *Pacem* appellavit: *Temperantia,* inquit, *Pacem animis affert* (12): otium autem et quies publica non alio fere nomine designatur: *In pace fideli* Mysas gentes tenuisse dicitur Flaccus Graecini frater apud Ovidium (13), et *placida compostus pace quiescere* Antenor apud Virgilium (14). quorum autem pax melior, eoque nomine digna magis, quam

(1) carm. 5.
(2) l. 3. c. 1. n. 10.
Ecce Saon heic dormit Acanthius, una Diconis
Spes patris: haud dicas morte perire bonos.
(3) v. Gor. Columb. Liv. p. 51.
(4) Fabr. p. 707. n. 285. Don. Cl. 4. n. 51.
(5) M. V. p. 367. n. 15.
(6) Mabill. de cult. Ss. in App. Lup. Ep. Sev. p. 76.
(7) Murat. p. 1436. n. 1.
(8) *Bene naviget.*
(9) Plaut. Trin. 4. 1. 17.
(10) Lucret. l. 5. v. 1228.
(11) Val. Flacc. l. 4. v. 477.
(12) l. 1. de Fin. c. 14. n. 47.
(13) ex Pont. l. 4. ep. 9. v. 77.
(14) Aen. l. 1. v. 253.

eorum, qui aevo aeterno beatissimi perfruuntur? porro duobus modis Christianos formula illa usos esse video, ut vel mortuos *In Pace receptos esse* affirmarent, vel Deum precarentur, ut eos *In Pace esse faceret*. quorum quidem vel in Latino sermone aliquid aliquando valere debet auctoritas: sunt enim ex eorum etiam monumentis quaedam non modo satis elegantia, sed etiam ab eruditis temporibus non remota, aut quae aliquid certe ex docta aetate olere videantur. exemplo haec sint (1):

☧ DOMINICO · FILIO · INNOCENTISSIMO ☧
ET · DVLCISSIMO · BONO · SAPIENTI
PELAGIO · QVI · VIX · ANN · VI · M · VII · D · XIIII ·
II · VIII · SOCRATIANVS · ET · HYRENE · PARENTES · B · QVES · (2)
IN · PACE

(3)
SOTERIS · MATER · FILIO · LEONI
☧ ☧
QVI · VIXIT · ANNIS · PLVS · MINVS
☧
XX · DORMIT · IN · PACE · DORMIT

(4)
MEMORIAE · VICTO
RINAE · QVAE · VIXIT
ANN · LXXXXV · MENS · III · RVFVS
F · MATRI · KAR ·
B · M · IN · P ·

(5)
SEPTIMIA · ROMANA · QVAE · VIXIT · ANNIS · XIII · VITA
FVNCTA · DVODECIMO · KALENDAS · OCTOBRIS
DIE · NATALI · SVO · VIRGO · POEMENIA · MATER
DOLENS · POSVIT · FILIAE · BENEMERENTI
IN · PACE

His igitur formulis ne utaris, nulla, opinor, caussa est; quamobrem vero utaris, illam habes, quod epitaphia nostra, religionis ergo, aliqua omnino Christianorum nota ornanda esse videantur. at quaeres, num et illam Christianorum veterum formulam probem, quum eum, qui jam elatus esset, non mortuum non sepultum, sed *Depositum* esse dicebant. Ovidius certe non desperatum deploratumque, sed reapse mortuum sic appellasse videtur (6):

Depositum nec me qui fleat, ullus erit.

iterumque (7),

Iam prope depositus, certe jam frigidus aegre
Servatus per te, si modo server, ero.

Sed tamen Christiani veteres non tam ipsam mortem, opinor, quam ductum funus piosque sepulturae ritus eo verbo designare volebant: quod maxime disces ex epitaphio Fabrettino (8) *Pascasii* pueri sexennis, qui quum Baptisma *percepisset* XI. *Kal. Majas*, ut intelligeremus qua in veste elatus esset, octavo post die *Albas Suas Ad Sepulcrum Deposuisse* dicitur *Depositus* IIII. *Kal. Mai.* id est rite conditus: albatus autem esse coeperat, ex veteri more, ipso Baptismatis die Sabbato, quem majores *Sanctum* appellaverunt. quin et apertius significatio illa apparet in epitaphio *Asurii Victoris* apud

(1) Grut. p. 1057. n. 2. Fabr. p. 582. n. 168.
(2) *Bene quiescas*.
(3) Fabr. p. 554. n. 43.
(4) id. p. 562. n. 96.
(5) id. p. 323. n. 483.
(6) l. 3. Trist. el. 3. v. 40.
(7) l. 2. ex Pont. ep. 2. v. 47.
(8) p. 577. n. LXX.

Boldettum (1), in quo quum decessisse ille dicatur XI. Kal. Apr. *Depositio* ejusdem fuisse dicitur X. Kal. Apr. quare nova eo sensu vocabula esse videntur, nec a Latinis veteribus usurpata: multoque rectius scribes *Compositus Est*, *Elatus Est*, aut *Decessit*, *Excessit* et similia, mortem tamen ipsam, si ita libet, δυσφημίας vitandae caussa (2), ne appelles. ut veterum scilicet humanitatem, non ut superstitionem imitere, addes vero et diem ipsum sive funeris sive mortis, nedum annum: quae sane illi etiam ante Christianum nomen non raro incidenda curabant, qui et diem aliquando addidere absoluti sepulcri, sive arae tumulo impositae, hoc modo. *Ossa Posita Sunt VI. Idus Novembres Crispino Et Aeliano Cos. Ara XV. Kal. Ianuar. Isdem Cos.* (3) sed illum deinde morem studiosius pietas Christiana celebravit, quo anniversarii mortis dies retinerentur, ac statae preces et sacra instaurari quotannis rite possent.

V. Ad compositionem autem structuramque epitaphii quod pertinet, quum ex eruditorum numero multi sint, qui rogati epitaphia scribant; pace eorum dixerim, sunt tamen perpauci, in quorum titulis veterum simplicitatem, breviloquentiam, verique similitudinem, non dicam expressam, sed adumbratam videamus. quotus enim quisque est, qui non profuso quodam orationis genere delectetur, nec alienis unquam laudibus, aut poëtarum pigmentis abutatur? dico haec jamdiu in multis expertus, nec raro accidit, ut quae ego epitaphia clarorum virorum satis benigne pertexuissem, ea alii fucarent, comerent: idest inania fere verba quasi complementa numerorum inculcarent. et exstant in urbe phalerata ejusmodi epitaphia multis in templis, quae adeo longa, ut qui minime morosus est, vix ad dimidium legat, ceteri, ubi nomen primum oculis usurpaverint, addant gradum. sic verba et ornamenta consectando, hoc tandem nactus videare, ut res etiam et facta ignorentur. at equidem in alia semper sententia fui, jejunumque epitaphium a me scriptum dici malui, quam verbosum: nempe Gellianum illud saepe reputans (4), unumquodque genus dicendi, quum caste pudiceque ornatur, fieri illustrius; quum fucatur atque praelinitur, fieri praestigiosum.

Quidam etiam sunt, quos non epitaphium scribere, sed vitam plane et historiam voluisse dixeris: adeo minuta quaeque persequuti sunt, indictumque nihil, nihil illaudatum esse voluerunt. qui tamen, si res postulasset, sine ulla reprehensione ea, quae in epitaphia congesserunt, proferre omnia separatim potuissent, fastos scilicet imitati, quos Augustus in Mausoleo suo prostare voluit, omnia his complexus, quae ab anno undevicesimo domi militiaeque gesserat. vel etiam exemplo esse poterat Mausolei Plautiorum inscriptio via Tiburtina ad pontem Lucanum (5), quae Ti. Plautii Silvani egregia facta haud brevi narratione comprehendit. ceterum quae epitaphia sepulcris, ut nunc fiunt, nec magnis nec operosis incidenda essent, eorum certus adhibendus erat modus, ad mediocritatemque revocandus: ut quae in operis sumptu parsimonia fuisset, ea in tituli etiam verbis esse videretur: exempla, opinor, legisti, quae attuli libro primo: quem ego librum epitaphiis, quam fieri potuit, et optimis et longissimis locupletavi: nihil enim hac aetate jucundius accidere iis posse intelligebam, qui novum hoc genus epitaphiorum induxerunt: videsne vero in his, non modo ut omnia fere attenuate pressеque dicta sint, ac nihil ut sonet grandius pleniusque, quam aequalis lenisque orationis ratio ferat; sed etiam ut plerisque eorum posthabitis, quae nunc singula diligentissime referri solent, clarorum quidem virorum honores ac munera recenseantur, at de factis deque virtutibus pauca admodum et praestantissima delibentur?

Ergo istam scribendi formam quum ipsi nobis Latini veteres expresserint, quorum

(1) l. 2. c. 6. p. 398. n. 8.
(2) v. inscr. 166.
(3) Grut. p. 575. n. 3.
(4) N. A. l. 7. c. 14.
(5) Grut. p. 453. n. 1.

lingua epitaphia scribimus; ille nobis est modus retinendus, illorum apud omnes et ratio et auctoritas valere debet. qui vel ingenio nimis vel consuetudini indulserit, is in aliorum regno plus ausus videatur, quam aut leges sinerent, aut verecundia pateretur.

§· II·

DE EPITAPHIIS VIRORVM

I· Quod Horatius de temporum suorum poëtis notavit (1),

Scribimus indocti doctique poëmata passim,

idem omnino et ille et qui consequuti sunt viri eruditi, de epitaphiorum scriptoribus queri poterant. tam multa enim vel optimarum aetatum exstant adhuc epitaphia mendis deformata magnis, et textu etiam nimis et compositione inter se discrepantia, ut quilibet saepe paterfamilias, quilibet libertus aut servus epigrammata lapicidis dictasse, et carorum suorum sepulcris quem voluit aut potuit titulum inscripsisse videatur. quo fit, ut si exempla singula ponderis aliquid apud nos habere debeant, nihil prope relinquatur, quod epitaphii scriptor quum effuderit, non aliquo jam exemplo tueri possit. sed neque exempla habenda esse quis dixerit, quae olim ab imperito et inepto profecta sint; neque difficile admodum fuit ex eorum numero illa secernere, unde regulas nobis et praecepta hauriremus.

Iamvero quia horum etiam non exiguus est numerus, et quot epitaphia, totidem fere scriptores fuerunt, nec una omnes aetate aut eadem in urbe floruere; idcirco, quamquam in eodem scribendi genere nec valde dissimili in argumento versabantur, tamen non unam semper viam rationemque sequuti sunt: itaque alia aliis aliquando placuisse videmus. quorum nos auctoritate si hoc statuimus, aliquam nobis etiam in epitaphii structura permissam esse licentiam; non haec tamen ita dissoluta paullatim atque impudens fieri debet, omnia ut sibi licere quisque putet.

Quaedam primum optimae notae epitaphia plane integra offendimus (2), quae nullum de monumenti auctore verbum habent (3):

C · VEDIVS
PHILOMVSVS
CVM · AVTRONIA
SVA · FELICE
HIC · EST

OSSA
C · IVLI · LICINI
L · TIRENI
ET · DONATAE
LIBERTAE

sed hi, opinor, ut alii plerique, sepulcrum ipsi sibi tantum construxerant; vel etiam in familiae monumento, cujus in fronte communis eminebat inscriptio, utriusque cineres olla una capiebat. epitaphium autem hujusmodi, quod introrsus in familiae monumento legi debeat, nunc quoque omnes probabunt. at si eorum caussa feceris, qui sibi monumentum, quum in vita essent, ipsi pararunt, in eo veterum formulam non immerito requirent (4):

(1) epist. I. v. 117. l. 2.
(2) v. inscr. 122.
(3) Maff. M. V. p. 262. n. 12. Grut. p. 979. n. 9. v. inscr. 129. 141. l. 1.
(4) Nov. Fior. 1758. p. 170.

D · M · V · F · (1)
SEX · SAMMIVS
SEX · F · VVLTIN ·
APER · DOMO · NEMAVSO
IIII · VIR · IVRE · DICVNDO
PONTIFEX · PVBLICORVM
SACRIFICIORVM
PRAEFECT · VIGILVM
ET · ARMORVM

ceterum si sepulcra, non ii, qui conditi sunt, sed filii, fratres, haeredes aut amici excitarunt; vel ipsa eorum nomina adscribenda, vel certe communi aliqua appellatione designandi sunt (2). video autem id quoque obtinuisse, ut si monumentorum auctores dignitate praestarent, eorum nomina non raro prima scriberentur (3):

A · PLAVTIVS · CELADVS
HERMETI · LIB·
PIISSIMO
EPITYNCHANVS · SER·
FACIVNDVM · CVRAVIT

quin et plerosque infimorum, si sepulcrum sua impensa et sibi et aliis fecerint, primo item versu scriptos invenies (4):

Q · CLODIVS · Q · L · NIGER
MEDICVS · OCVLAR · SIBI · ET
Q · CLODIO · Q · L · SALVIO · PATRONO
Q · CLODIO · FRONTONI · CONLIB ·
Q · CLODIO · CLEMENTI · CONLIB ·
HIGINO · L · TESTAM · FIERI · IVSSIT

Communem tamen epitaphii formam exprimes, si cujus gratia sepulcrum exstructum apertumque fuerit, nomen ejus primum inscribes: quod sane ne iis quidem, qui epitaphium legent, incommode accidet, id fere primum scire cupientibus, quis in sepulcro conditus fuerit. sed casu nomina veteres extulere non uno: nam recto interdum efferre placuit (5):

P · CAECILIVS
PP · L · (6) FELIX
VIX · ANN · LVII·
ZETHVS · SERVVS · MERENTI
DOMINO · FECIT

et patrio etiam casu aliquando delectati sunt, quod nempe recto ipsum sepulcrum subaudiretur (7):

L . AEMILI · L · F ·
IN · FRON · PED ·
XIIX · IN · AGR ·
PED · XX·

quo quidem casu, aut certe recto utendum tibi etiam est, si sepulcrum solitarium esse debeat, et auctor monumenti nomen suum in titulo incidi nolit. quippe si defuncti nomen dativo efferas casu, jure cives hospitesve requirere possint, *Quis posuit?* in ejusmodi autem titulis patrio interdum casui sic rectum veteres praeponebant, *Corpus T. Baebii, Ossa Ti. Clodii.* jam in ceteris epitaphiis, quae auctoris nomen habent, aut

(1) *Vivus fecit.*
(2) v. inscr. 123. et 124. et l. 3. part. 1. c. 7. p. 7.
(3) Grut. p. 951. n. 1. v. inscr. 133.
(4) Fabr. p. 300. n. 275. at hic emendatior ex Trinagio Vicent. Inscr. p. 49.
(5) Fabr. p. 360. n. x.
(6) *Publiorum duorum libertus.*
(7) Fabr. p. 176. n. 349.

quae in communi familiae sepulcro legebantur, patrium fere casum illa praecedunt *Dis Manibus*, *Diis Propitiis*, *Quieti*, *Memoriae*, *Cineribus* et similia: quae in unum congesta libro tertio proferentur. saepius autem dativo usi sunt nominum casu, et dedicationem illam suam D · M · aut D · M · S · ab ipsis nominibus sejunxerunt (1).

DIIS · MANIBVS
T · VALERIO · T · F ·
VEL · VICTORI
DECVRIONI · SVTRI
II · VIR · I · D · ITERVM
QVINQVENNALI
CVRATORI · PECVNIAE
PVBLICAE · PONTIFICI
PATVLCIA · EXOCHE
CONIVNX
FECIT

II. Porro nominibus non secus, atque in honorariis inscriptionibus fiebat, honores, sacerdotia, munera adscripta esse videas: quae quidem in municipalium magistratuum epitaphiis saepe leges, rarius in Romanorum; quod ea jam in statuarum suarum basibus, nec uno in loco legerentur. ex his tamen est exemplum, quod in Gruteri volumine (2) mendosum quum sit, hic tibi expiatum tersumque propono:

SEX · TADIVS · SEX · F · VOL · LVSIVS · NEPOS · PAVLLINVS · PROCOS ·
SORTITVS · PROV · CRET · CYR · LEG · PRO · PR · PROV · AFRIC ·
PRAEF · FR · D · LEG · PR · PR · PROV · ASIAE · LEG · PR · PR · PROV · MAC ·
PRAET · CAND · AED · CVR · Q · PROV · PONT · ET · BIT · TR · MIL · LEG ·
IIII · F · F · X · VIR · STLIT · IVD · VIII · VIR · II · Q · Q ·
MVLVIA · C · F · PLACIDA · MARITO · OPTIMO · ET · SIBI

atque hoc loco animadvertas, in defunctorum item honoribus enumerandis non temporis semper rationem habitam, sed aliquando etiam dignitatis: nempe ab honorum postremo, qui et summus fuerat, instituta hic quoque recensio est. nam *Sex.* hic *Tadius*, affinis fortasse *Lusii Quieti*, qui novissimo Trajani principatu inclaruit, et *Lusius* quoque vel ob adoptionem vel ob haereditatem dictus, in colonia, opinor, Reatina, quum haud procul Reate conditus fuerit, *Quinquennalis* in adolescentia fuerat, atque *Octovir* iterum, qui summus forsitan in patria magistratus habebatur. deinde Romae in republica versari coepit, creatus *Decemvir stlitibus judicandis*, unde alios etiam honorum suorum curriculum auspicatos esse videmus. militavit postea *Tribunus Legionis quartae Flaviae Felicis*. tum sago deposito, iterum togam sumpsit, ut *Quaestor* fieret *Provinciae Ponti et Bithyniae*. quaestura administrata, *Aedilis Curulis* designatus est, ac post aedilitatem *Praetor Candidatus*, eum scilicet honorem Imperatoris suffragio consequutus (3). hinc jam in provincias Caesaris mitti coeptus. primum enim *Legatus pro praetore* fuit *provinciae Macedoniae*, deinde *Legatus pro praetore provinciae Asiae*: quumque Romae post haec *Praefectus frumento dando* fuisset, iterum ab urbe discessit, *Legatus pro praetore provinciae Africae*: ac demum, provincia ei a senatu decreta, *Proconsul*, qui honorum ejus maximus fuit, *provinciam Creticam Cyrenaicam* sortitus est: Creta enim et Cyrenae jam a Tullii aetate (4) una provincia erat.

At saepius utique honores, quo quisque ordine consequutus esset, eodem perscri-

(1) Manut. Orth. p. 267.
(2) p. 471. n. 6. hic ex autograph.
(3) v. inscr. Murat. p. 1103. n. 7.
(4) v. or. pro Planc. c. 5. n. 13. et c. 34. n. 85. Svet. in Vesp. c. 2. n. 7. Strab. l. 17. p. 837. C.

ptos reperias. quam nuper rationem mihi etiam servandam putavi, epitaphium scripturus viri clarissimi, quem omnes boni amissum lugent:

IOANNI · BERNARDINI · F · POTENTIANO · V · C ·
DOMO · REATE
PRAEF · TIFERNATIVM · TIBER · PRAEF · AESINATIVM
PRAEF · CAMERTIVM · PRAEF · LAVRETANORVM
SVMMO · MAGISTRO · COLLEGI · SANCTI · SPIRITVS
MAGISTRO · ADMISSIONVM · CLEMENTIS · XIIII · P · M ·
PRAEFECTO · VRBIS · PER · INTERREGNVM
CVNCTIS · SVFFRAGIIS · PATRVM · CARDINALIVM · FACTO
ET · REFECTO A · PIO · VI · PONT · MAX ·
PRAESIDI · PROVIDENTISSIMO
ET · CVM · SVMMA · BENIGNITATE · IVSTISSIMO
QVI · VIX · ANN · LXI · M · VI · D · IIII ·
DECESSIT · IN · MAGISTRATV
XI · KAL · DECEMBR · ANNO · SACRO · M · DCC · LXXV ·
PROXIMVS · FASTIGIO · HONORVM
FECERVNT · FRANCISCVS · EQVES · MELITENSIS
PRAEPOS · PRAESIDIAR · CASTRI · VRBANIANI
FRATRI · KARISSIMO
ET · ANTONIVS · MARCHIO · PATRVO · BENEMERENTI
PIETATIS · CAVSSA

Militibus autem ille tantum gradus interdum adscriptus, quem ultimum adscendissent (1):

Q · NVMENIO · Q · F · Q · N · OVF ·
CALVO · LATINO
PRIMOPILO · LEG · MINER ·
MILIT · ANN · XXVI ·
VIX · ANN · XLII ·
NVMENIA · VIVANIA
MAT · F · C ·
IN · FR · PED · XIIS ·
IN · AGR · PED · XIIX ·

puer enim annorum sexdecim militare hic coeperat, ut ceteri fere tirones: militem quippe castris pubescere, scripsit Silius (2). at vero in aliis exemplis gradus singuli descripti, et quot in singulis annos meruerint (3):

C · ANINIVS · C · F · POM · GALLVS
DOMO · ARRETIO · C · LEG · IIII ·
SCYTH · MILITAVIT · IN
PR · AN · XVII ·
EVOC · AN · II ·
C · IN · LEG · IIII · SCYTH ·
AN · XVIIII · VIXIT
AN · LX · MERV · AN · XXXVIIII ·
H · S · E · ATIMETVS · L ·
EX · TESTAMENTO · F · C ·

quod annos triginta novem meruisse Gallus dicatur, quum in praetoria cohorte militaverit annos septemdecim, duos Evocatus fuerit, et undeviginti Centurio, qui sunt anni

(1) Fabr. p. 178. n. 366. (2) l. 2. v. 318. (3) Grut. p. 520. n. 5.

triginta octo tantum; noli mirari: militiae menses reliquos si colliges, quos singulis annorum numeris Atimetus non adjunxit, annus tibi tricesimus nonus exsistet·

Cetera etiam munera, quae in honorariis inscriptionibus vix leges, in epitaphiis olim addita passim (1):

T · FLAVIO · AVG · LIB ·
EVSCHEMONI
QVI · FVIT · AB · EPISTVLIS
ITEM · PROCVRATOR
AD · CAPITVLARIA
IVDAEORVM
FECIT
FLAVIA · APHRODISIA
PATRONO · ET · CONIVGI
BENEMERENTI

Capitularia iste exegerat, tributum scilicet drachmarum duarum in capita, quod Vespasiani jussu Iudaei quotannis Capitolino Iovi pendere cogebantur, quemadmodum in templum Hierosolymorum undique antea mittebant (2). enimvero multas hujusmodi appellationes, quae muneribus hisce nostris et publicis et privatis aptari possint, libro tertio reperies: quamquam eae minus nunc usui esse solent, quod plerique jam sine tituli honore in communia sepulcra inferantur; minusque nunc de liberorum atque ingenuorum fama laboremus, quam olim plerisque memoria servorum et vicariorum cordi fuit.

Patriam porro, quae iis semper adscribenda est, qui solo peregrino defuncti humatique sint; quo pacto enunciari oporteat, capite primo partitionis tertiae trademus.

III· Iam et de laudibus defunctorum dicendum est, quae hodie epitaphia implent, olim uno fere aut altero apposito constabant (3).

DIS · MANIBVS
TI · CLAVDI · AVG · LIB ·
ZOSIMI · PROCVRAT ·
PRAEGVSTATORVM
CLAVDIA · ENTOLE · CONIVNX
VIRO · BENEMERENTI
ET · CLAVDIA · EVSTACHIS · FILIA
PATRI · PIENTISSIMO

(4)
L · SITTIO · OPTATO
EQ · R · DOCTO · IVVENI
QVI · VIXIT · ANN · XXIII · M · II·
D · V · L · SITTIVS · DIO
NYSIVS · PATRO
NO · INCOMPARA
BILI

plus aliquid tamen sibi mater sumpsit ad pietatem filii declarandam (5):

(1) Oderic. Syll. inscr. p. 33.
(2) Ios. B. I. l. 7. c. 6. Cic. pro Flacc. c. 28. n. 67.
(3) Manut. Orth. p. 269. Grut. p. 581. n. 13.
(4) Fabr. p. 647. n. 402.
(5) Grut. p. 409. n. 1.

L · FADIO · L · F ·
CAEDIANO · EQVITI
ROMANO · PIETATIS
RARISSIMAE · FILIO
CAEDIA · FESTA · MATER
INFELICISSIMA
MONVM · ET · ARAM · FECIT
VIX · ANNIS · XXV ·
MENS · V · DIEB · IIII ·

nec raro gemina aut terna junguntur apposita, quae egregios defuncti mores extollant. sed nulla fortasse occurrent, quibus disciplinarum aut artium cognitio celebretur, siquidem uno scientiae artisve nomine designari potuerit (1):

TI · CLAVDIO · HERMAE
RHET ·
CLAVDIA · MAGNA · VXOR
ITEM · TI · CLAVDIVS
TROPHIMVS · ET · APOLAVSTVS
CAESARIS · N · SER · FRATRES
OPTIMO · PIISSIMO

atque ut hic Hermas *Rhetor* tantum appellatur, sic Curtianus quidam in lapide, qui nuper sub Praeneste inventus, vel ab amico *Medicus* sine ullo apposito dictus est:

D · M ·
P · AELIO · PIO
CVRTIANO
MEDICO · AMICO
BENE · MERITO
A · CVRTIVS · CRISPINVS
ARRVNTIANVS

quique nunc acutissimus aut praestantissimus philosophorum appellaretur, *Philosophus* tantum et ob sectam *Stoicus* hoc in exemplo dictus est (2):

DIS · MANIBVS
M · TIBILI · M · L · AETLI
PHILOSOP · STOICI
Q · TIBILIVS · M · F · MASSI
CVS · FR · KAR · F · C ·

itaque nuper in epitaphio viri doctissimi, qui haec dum scribimus, omnibus bonis moerentibus, Viterbii diem suum obivit, munerum ejus appellationes nullo auxi apposito, ut ut pauci numerentur, in quibus tantum fuerit doctrinarum:

(1) Grut. p. 619. n. 3.

(2) Gud. p. 224. n. 2.

A ☧ Ω

CINERIBVS · ET · MEMORIAE
IOANNIS · BAPTISTAE · FAVRAE
DOMO · ROMA
PRESBYTERI · DOCTORIS · THEOLOGI
DOCTORIS · SACRARVM · LITTERARVM
SCRIPTORIS · OPERVM · PLVRIMORVM
VIRI · FRVGI · INTEGERRIMI · PIENTISSIMI
CVIVS · ERVDITIO · MAGNIS . IN · CONTENTIONIBVS
VIRTVS · ADVERSIS · IN · REBVS · ENITVIT
VIX · ANN . LXXVI · M · VI ·
IN · SOC · IES · QVOADVSQVE · EA · MANSIT
ANNOS · XXXXV ·
DECESSIT . VII . K · MAIAS · AN · MDCCLXXVIIII ·
PRIDEM · DE · RE · PVBLICA · VITERBIENSI
OB · VETVSTAE · ORIGINIS · DIGNITATEM
BINIS · VOLVMINIBVS · VINDICATAM
OPTIME · MERITVS
HVIC · ORDO · VITERBIENSIS · HONOREM · DECVRIONATVS
IMAGINEM · IN · CVRIA · FVNVS · PVBLICVM
LAVDATIONEM
LOCVM · SEPVLTVRAE · DECREVIT

neque vero exempla desunt, in quibus nullum omnino laudis appositum, nulla appareat virtutis significatio: quod sane vel quodam veritatis studio factum dixeris, vel etiam ex veteri simultate, quae cum mortuo etiam exerceretur (1):

DIS · MANIBVS
M · VLPIO · AVG · LIB·
GRESIANO · AN · XXXXV·
TABVLARIO · XX · (2) · HERE
DITATIVM · ITEM · TABV
LARIO · PROVINCIAE · LVGV
DVNENSIS · ET · AQVITANI
CAE · ITEM · TABVLARIO · PRO
VINCIAE · LVSITANIAE
H · S · E · S · T · T · L · VLPIA · PIA
CONIVGI · F · C ·

sed amorem saltem suum erga viros pleraeque uxores testari solebant (3):

DIIS · MAN · SACR ·
PACHINO · DOMITIANI
AVGVS · SERVO · A · BAL · PRIVAT ·
RHODIA · CONIVGI · DELICIO
SVO · FECIT

quidam etiam iis appellationibus usi, quae ad defunctorum pueritiam referendae essent, ut in Tribuni militum epitaphio longaevus nutritor qui illum *Infantem* etiamtum vocat (4):

(1) Don. Cl. 5. n. 126. Fabr. p. 178. n. 366. etc.

(2) *Vicesimae*.

(3) Don. Cl. 7. n. 142.

(4) id. Cl. 6. n. 58.

C · IVLIO
INGENVO
C · F ·
TRIB · LEG · III · ITAL ·
TRIB · COH · · VICTOR
INFANTI · BENIGN ·
PLVRA · DE · SE
MERENTI

rectius sane *Alumno* scripsisset, quo nomine ii quoque apte appellantur, qui jam adoleverunt.

Narrationes, quibus defunctorum vita aut res gestae describantur, non modo breves omnino in epitaphiis sunt, sed etiam rarae. neque enim quod quisque gessisset, sed si quid pie a quoquam vel liberaliter vel fortiter gestum esset, quod et magnum videretur, nec fere de aliis praedicari posset; id veteres commemoratione ac praeconio dignum putabant. sic Vrbinus ille, apud Macrobium (1), in agro Reatino olim latitans, quem occidi jussum servus ut morti eriperet, anulo ipsius et veste insignitus militibus cubiculum domini ingredientibus cervicem praebuerat; jure utique, monumentum conservatori suo fecisse dicitur, *Titulo scriptionis adjecto, qui tantum meritum loqueretur*. sic etiam, exempli gratia, in Archigalli Salonitani tumulo adnotatum est, sacra ab eo Matri Deûm Berecynthiae confecta annis septendecim in ipsa senectute, id est ab anno quinquagesimo octavo ad annum septuagesimum integrum: quod rarum aut singulare videbatur (2);

D · M ·
L · BARBVNTEIO
DEMETRIO · ARCHIG ·
SALONITANO · QVI
ANNIS · XVII · VSQ · AD
ANN · LXXV · INTEGR ·
SACRA · CONFECIT
BARBVNTEIA · THALLV
SA · C · L · ISTERA · PATRONO
PIENTISS · POSVIT

haec tamen continua, ut vides, oratione exposita sunt: ut altero item in exemplo, in quo multa sane comprehensa: est autem M. Lupi epitaphium, ejus, quem Commodus Aug. interemit: *Anitium Lupum* Lampridii libri editi habent, quum jam Salmasius (3) in Palatino Codice legisset *Antium Lupum* (4):

D · M ·
M · ANTONII · ANTII · LVPI · PR ·
PATRICII · AVGVRIS · QVAEST · SODAL · TITII · TRIB ·
MIL · LEG · II · ADIVTR · PIAE · FIDEL · X · VIR · STL · IVD · PRAEF · FER ·
LAT · CVIVS · MEMORIA · PER · VIM · OPPRESSI · IN
INTEGRVM · SECVNDVM · AMPLISSIMI · ORDINIS
CONSVLTVM · RESTITVTA · EST · SEPVLCRVM · AB · EO · COEPTVM
CLAVDIAE · REGILLAE · VXORI · ET · ANTIAE · MARCELLINAE · FIL ·
PIETATIS · SVAE · ERGA · EVM · TESTIFICANDAE · GRATIA · ET
NOMINIS · EIVS · IN · PERPETVVM · CELEBRANDI · PERFECERVNT · ATFINES
M · VALERIVS · BRADVA · MAVRICVS · PONTIF · ET · ANTONIA · VITELLIA
AMICI
Q · FABIVS · HONORATVS · T · ANNAEVS · PLACIDVS

(1) Saturn. l. 1. c. 11.
(2) Fabr. p. 347. n. 10.
(3) in Comm. c. 7.
(4) Grut. p. 356. n. 1.

In militum tamen sepulcris narratiunculae etiam leguntur quaedam intermediae, quamquam nec ornatae nec uberes; sunt enim fere hujusmodi (1):

D · M ·
AVREL · MVCIANO
MIL · COH · V · PR · 7.
BARBATI · (2) MILITA
RE · COEPIT · POMPE
IANO · ET · AVITO · COS · (3)
ANN · XV · VIXIT · ANN ·
XLV · NATVS · TREM
ONTIAE · (4) CL · PAVLINA
CONIVGI · KARISSIMO
EX · TESTAMENTO
FECIT

praeter militares autem titulos nescio, an epitaphium occurret aliud accuratius perscriptum, quam hoc hominis libertini, multa plane de eodem varie complectens (5):

M · VLPIO · AVG · LIB · PHAEDIMO
DIVI · TRAIANI · AVG · A · POTIONE
ITEM · A · LAGVNA · ET · TRICLINIARCH ·
LICTORI · PROXIMO · ET · A · COMMENT ·
BENEFICIORVM · VIXIT · ANN · XXVIII ·
ABSCESSIT · SELINVNTE · PRI · IDVS · AVGVS ·
NIGRO · ET · APRONIANO · COS · (6)
RELIQVIAE · TRAIECTAE · EIVS
III · NONAS · FEBR · EX · PERMISSV
COLLEGII · PONTIFIC · PIACVLO · FACTO
CATVLLINO · ET · APRO · COS · (7)
DVLCISSIMAE · MEMORIAE · EIVS
VALENS · AVG · LIB · PHAEDIMIANVS
A · VESTE · BEN · MER · FECIT

obiit autem Phaedimus ea in urbe, in qua et patronus ejus Trajanus decessit (8): item consulibus iisdem, ac tertio fortasse post die, quam ille obiisset (9), moerore, ut Tristanus opinabatur (10), ac desiderio patroni sui.

Enimvero epitaphiorum, quorum uberior materia sit, alia quaedam exempla habes libro superiore (11): nec jam plura quaerenda: frustra enim, dico expertus, veterum inscriptionum libros pervolutabis: nisi forte singularis dictionis exempla quaeras, aut vulgarium sepulcrorum titulis insignes quasdam mausoleorum inscriptiones adnumerare libeat. eae maxime sunt, quarum superius memini, monumentum scilicet Ancyranum Augusti et Tiburtinum Plautii Silvani. sed neutrum tamen in epitaphiorum numero habendum esse mihi videtur. nam Ancyranum quidem, quod nullam habet formulam sepulcralem, diserte a Svetonio (12) *Index rerum ab Augusto gestarum* appellatur, quem ille incidi voluit in aeneis tabulis, quae ante Mausoleum statuerentur: ut *Fasti* potius aut *Annales Augusti* dicendi sint: praesertim quum et tempora ad singulas res adscriptis consulatibus designentur. Tiburtinum autem, in quo res a Plautio in Moesia gestae describuntur, honorariam plane inscriptionem initio imitatur: credo, quod ejus potissimum caussa Mausoleum exstructum esset. at in eo nullum item verbum de manibus,

(1) Don. Cl. 6. n. 155. v. et Maff. M. V. p. 461. n. 2. et Fabr. p. 394. n. 274.
(2) *Centuria Barbati*.
(3) An. Varr. 962.
(4) Thraciae oppid.
(5) Grut. p. 578. n. 1. Fabr. de Col. Tr. p. 185.
(6) An. Varr. 870.
(7) An. Varr. 883.
(8) Dio l. 68. p. 1147. C.
(9) v. Tillem. Hist. des Emper. t. 2. p. 205.
(10) comm. Histor. t. 1. p. 376.
(11) Inscr. 136. 139. 141.
(12) in Aug. c. 101. n. 7.

de vitae annis, de sepultura, de loci religiosi dimensione, de monumenti auctore: ut, quemadmodum in mausoleorum structura consulto veteres sepulcri similitudinem effugiebant (1), sic dedita opera in hanc inscriptionem nulla epitaphii formula recepta esse videatur. atque id in Planci etiam monumento animadvertas, licet, cujus ego inscriptionem jam inter ellogia recensui (2).

Ceterum exemplorum illorum utrumque usui nobis esse potest, si quid ejusmodi aliquando in regum aut pontificum maximorum mausoleis inscribendum sit. nempe in ipsa molis fronte epitaphium incidetur brevissimum; ad latera autem in pilis fasti inscribentur quamvis longi: et defunctum, si libet, ipsum facta sua narrantem induces, quemadmodum Augustus in monumento suo ipse loquitur (3):

ANNOS · VNDEVIGINTI · NATVS · EXERCITVM · PRIVATO
CONSILIO · ET · PRIVATA · IMPENSA · COMPARAVI
. . . .

plerasque vero ejusdem monumenti formulas liber tertius dabit: nam ne totum describam, faciunt tot illae liturae lacunaeque hiantes, nec pauca adhuc loca post ipsas Cossonii Gronoviique curas obscura. sed in fastis hisce condendis cavendum est maxime, ne quem res suas narrantem induxeris, eum ita sibi indulgentem facias, ut idem et praeco laudum suarum esse videatur.

Quod si res gestae in primo totius operis titulo exponendae fuerint, auctoribus monumenti vel infra vel ad latera inscriptis, a defuncti nomine exordium duces, et Plautianae inscriptionis (4), quam subjiciam, exemplo post honoris appellationes, pronominibus usus demonstrativis aut relativis, narrationem subtexes.

TI · PLAVTIO · M . F · · · · ·
SILVANO · AELIANO
PONTIF · SODAL · AVG ·
III · VIR · A · A · A · F · F · Q · (5) TI · CAESARIS
LEGAT · LEG · V · IN · GERMANIA
PR · VRB · LEGAT · ET · COMITI · CLAVD · CAESARIS · IN · BRITANNIA
CONSVLI · PROCOS · ASIAE · LEGAT · PROPRAET · MOESIAE
IN · QVA · PLVRA · QVAM · CENTVM · MILL · EX · NVMERO
TRANSDANVVIANOR · AD · PRAESTANDA · TRIBVTA · CVM · CONIVGIB ·
AC · LIBERIS · ET · PRINCIPIB · AVT · REGIBVS · SVIS · TRANSDVXIT
MOTVM · ORIENTEM · SARMATAR · COMPRESSIT · QVAMVIS · PARTE
MAGNA · EXERCITVS · AD · EXPEDITIONEM · IN · ARMENIAM · MISISSET
IGNOTOS · ANTE · AVT · INFENSOS · P · R · REGES · SIGNA · ROMANA
ADORATVROS · IN · RIPAM · QVAM · TVEBATVR · PERDVXIT · REGIBVS
BASTARNARVM · ET · RHOXOLANORVM · FILIOS · DACORVM · FRATRVM
CAPTOS · AVT · HOSTIBVS · EREPTOS · REMISIT · AB · ALIQVIS
EORVM · OPSIDES · ACCEPIT · PER · QVEM · PACEM · PROVINCIAE
ET · CONFIRMAVIT · ET · PROTVLIT · SCYTHARVM · QVOQVE · REGEM
A · CHERRONENSI · QVAE · EST · VLTRA · BORVSTHENEM · OPSIDIONE
SVMMOTO · PRIMVS · EX · EA · PROVINCIA · MAGNO · TRITICI · MODO
ANNONAM · P · R · ADLEVAVIT · HVNC · LEGATVM · IN · HISPANIAM
AD · PRAEFECTVR · VRBIS · REMISSVM · SENATVS · IN · PRAEFECTVRA
TRIVMPHALIBVS · ORNAMENTIS · HONORAVIT · AVCTORE · IMP ·
CAESARE · AVGVSTO · VESPASIANO · VERBIS · EX · ORATIONE · EIVS
Q · I · S · S ·
MOESIAE · ITA · PRAEFVIT · VT · NON · DEBVERIT · IN · ME · DIFFERRI

(1) v. inscr. 145. et Cic. ad Attic. l. 12. ep. 35. 36. 37. 41. etc.
(2) v. inscr. 294.
(3) Grut. p. 230.
(4) id. p. 453. at nunc emendatior ex Dominici de Sanctis Dissert. de Plautiis tab. 2.
(5) *Triumviro Auro Argento Aeri Flando Feriundo, Quaestori* etc.

HONOR · TRIVMPHALIVM · EIVS · ORNAMENTORVM · NISI · QVOD
LATIOR · EI · CONTIGIT · MORA · TITVLVS · PRAEFECTO · VRBIS
HVNC · IN · EADEM · PRAEFECTVRA · VRBIS · IMP · CAESAR · AVG ·
VESPASIANVS · ITERVM · COS · FECIT

ad versum XVII. ne haereas: ὑπερβατον sive trajectio verborum est Graeco more, idemque ac si scriberes, *Summoto quoque rege Scytharum a Chersonensi, quae in Taurica Chersoneso urbs est, obsidione, per quem regem Scytharum summotum pacem provinciae et confirmavit et protulit.*

Inscriptiones alias eodem in mausoleo fuisse, quibus praestantissimus quisque e gente Plautia celebraretur, parietinae ejus et loculamenta demonstrant. quam tamen Gruterus affert (1) *P. Plautii Pulcri*, eam cum Maffejo (2) fictam puto, Smetii etiam judicio adductus, qui neglexit. haec contra sine dubio germana est: quae tamen justi epitaphii mensuram vix implet (3):

M · PLAVTIVS · M · F · A · N ·
SILVANVS
COS · VII · VIR · EPVLON ·
HVIC · SENATVS · TRIVMPHALIA
ORNAMENTA · DECREVIT
OB · RES · IN · ILYRICO
BENE · GESTAS
LARTIA · CN · F · VXOR
A · PLAVTIVS · M · F ·
VRGVLANIVS
VIX · ANN · IX ·

eodem nempe M. Plautii et Lartiae uxoris ejus et filii Vrgulanii cineres illatos esse docemur. atque haec satis de narrationibus iis, quae magnorum sepulcrorum molibus magis, quam exiguis ac vulgaribus tumulis convenire videantur.

IIII. Ad epitaphia ut redeam. ea nunc ratio exponenda, qua vitae anni ex veterum more subscribantur; quae sane varia et multiplex fuit. nam primum aetatem aliquando indicabant, annos ipsos non addebant (4):

MEMORIAE
L · ALFI · L · F · OVF · MARCELLINI
VI · VIR · AVG · PATRON . COLLEGI
DENDROPHOR · COMENS ·
IN · PRIMO · AETATIS · FLORE · PRAEREPT ·
AELIVS · RESTITVTVS · PATER
MISERRIMVS · ET · SIBI

anni alias adscripti sed minus certi, quod formula illa *Plus minus* numerum praecedat (5): quam Graeci sero imitati, Πλεον Ελαττον reddidere (6). plerumque tamen aut nihil de vitae tempore adjectum est, aut anni simul et menses et dies, quos quisque vixisset, numeris designati: nisi quod menses interdum sic omissi, ut dierum numero comprehenderentur (7):

(1) p. 452. n. 5. et p. 454. n. 1.
(2) Ar. Cr. L. 1. 3. c. 4. p. 341.
(3) Grut. p. 452. n. 6. Fabr. p. 171. n. 325. at nunc emendatior ex modo cit. dissert. Dominici de Sanctis tab. 1.
(4) Grut. p. 350. n. 6.
(5) v. inscr. 124.
(6) Fabr. p. 588. n. CIII.
(7) Don. Cl. 8. n. 5. v. et Cl. 12. p. 15.

C · OCTAVIO
C · F · PAL · FRVCTO
ARCHITECTO · AVG ·
VIX · ANNIS · XXVI ·
DIEBVS · L ·
C · OCTAVIVS
C · F · PAL · EVTYCHVS
PATER
FILIO · PIISSIMO
FECIT

saepe autem in annorum, mensium, dierum enumeratione casus alternant: *Vixit Annos L. Mensibus III.* aut *Annis LXX. Dies X.* quam casuum mixturam antiquitus *instar deliciarum* habitam esse, scripsit Hagembuchius (1): nec tamen mihi persuadeat, ut ne istas aliis delicias relinquam. ceterum veteres cum alio saepe casu, tum alio etiam usi verbo sunt: scripsere enim non modo *Vixit Annos XXX.* sed etiam omisso verbo *Annorum XXX.* vel *Natus Ann. XXX.* aut *Agens*, sive *Quum Ageret Ann. XXX.* illud singulare, quod Similis sub Hadriano Aug. Praefectus Praetorio, in sepulcro suo, ut est apud Dionem (2), inscribi jussit in hanc sententiam: *Σιμιλις μεν ενταυθα κειται, βιους μεν ετη τοσα, ζησας δε ετη ἑπτα*: nempe *Similis Hic Situs Est Annorum tot*, LX. puta aut LXX. (neque enim horum Dio numerum tenebat) *Qui Vixit Annos Septem*. vixisse ille eos tantum annos sibi videbatur, quos, praefectura praetorii abdicata, ruri securus honoribus suis supervixisset. in maritorum autem epitaphiis uxores saepe et annos matrimonii subjici voluerunt, adjecta non raro formula, quae posteros de convictus sui concordia doceret (3).

D · M ·
D · IVNIO · PRIMIGENIO
QVI . VIX · ANN · XXXV ·
IVNIA · PALLAS · FECIT
CONIVGI · KARISSIMO
ET · PIENTISSIMO
DE · SE · BENEMERENTI
CVM · QVO · VIXIT · ANNIS
XV · MENSES · VI ·
DVLCITER · SINE · QVERELLA

At vero consules ad annum, quo quisque decessisset, indicandum, perraro inscripti leguntur: praeterquamquod in exemplis, quae antiqua putantur, paria aliquot consulum, non veteris lapicidae scalpro, sed Pyrrhi Ligorii stilo inscripta sunt (4). enimvero notam hanc temporis ideo neglectam fere omissamque arbitror, quod vel de eorum epitaphiis ageretur, quibus aetas sua nihil debebat, vel de eorum, qui tempus vitae ipsis muneribus, quae adscribebantur, designabant: cujusmodi fuere liberti omnes Domus Augustae, aut clarorum virorum, de quibus fasti loquebantur: servi etiam, quorum domini in titulis omitti non solebant: item milites fere et sacerdotes omnes municipalesque decuriones, quorum alicubi elenchos exstare aliquis debebat ad memoriam posterorum. quorum autem cineres in sepulcra familiaria inferebantur, ex ipso ollarum ordine tempora cujusque satis indicabantur.

Sed tamen Christiani veteres mortis tempus multo diligentius in suorum sepulcris consignarunt, in quibus saepe non modo consules, sed mensem etiam ac diem et alias praeterea notas deprehendimus. quorum quidem exemplo in epitaphiis, quae nunc fere

(1) Ep. Ep. p. 43. et p. 490.
(2) l. 69. p. 1167. C.
(3) Grut. p. 797. n. 6.
(4) v. Donat. praef. ad Art. Cr. L. Maff. p. 6. n. 1. et Maff. ibid. p. 379.

nisi nobilibus clarisque viris non ponimus, historiae consulendum est, nec solum de vitae cujusque spatio, sed de mortis quoque anno et die posteritas edocenda.

V. Sub epitaphii finem auctores monumentorum prodantur: his enim plerumque veteres extremo loco sedem esse voluerunt. sic autem efferre solebant, ut suos quisque cum defuncto consanguinitatis aut proximitatis gradus indicaret (1):

DIS · MANIBVS
C · TERENTIO · C · F · PAL ·
DEXTRO
VIX · ANN · XXIV · M · VIIII ·
ET · C · TERENTIO · C · L · SEMNO
VIX · ANN · XXXXV ·
TERENTIA · C · L ·
THALLVSA
FECIT · FILIO · ET · CONIVGI
KARISSIMIS · ET · SIBI

eodem modo, si plures uni titulum posuissent (2):

IVSTINVS · MENANDRI · FILIVS
FAB · NEAPOLITANVS · ANNO ·
XLVI · H · S · E · S · T · T · L ·
SABINA · MARIT · OPTIMO · ET
MERENTISSIMO
ET · MENANDER · FILIVS
CVM · SORORIBVS · SVIS
RECERIA · ET · SABINA
PATRI · PIISSIMO
F ·

et conjux quidem ante passim inscripta occurret, quam filii, quam ipsa defuncti mater (3):

DIIS · MANIBVS
NYMPHODOTO · CAES · N · SER ·
DISPENSATORI . LVDI · MAGNI
CONIVGI · OPTIMO
AELIA · PELAGIA · CONIVNX
ET · AELIA · SYNERVSA · MATER

atque uxori adjectum aliquando, quot aucta liberis esset (4):

D · M ·
ET · QVIETI
AETERNAE
LVCILI · METROBI
SIGNO · SAPRICI
STATOR · CIVITATIS
VIENES · QVI · VIXIT
ANN · XXXVIII · M · II ·
DIVICIA · DOMITI
OLA · MATER · FILI·
OR · III · CONIVGI
KARISSIMO · ET
I N C O M P A R A
BILI · PONENDVM
CVRAVIT · ET · FILI
SVB · ASCIA
DEDICAVERVNT

(1) Grut. p. 833. n. 1.
(2) Maff. M. V. p. 426. n. 8.
(3) Fabr. p. 293. n. XXI.
(4) Grut. p. 631. n. 7. v. Reines. Cl. 1. n. 19.

Iam quos defunctus haeredes instituisset; ii in titulo haeredes se profitebantur. quin et haeres secundus simul aliquando nominatur: qui fere *Secus Haeres* dicitur (1): id est, opinor, *Haeres*, si *Secus* accidat, et qui primus scriptus est, moriatur (2):

D · M ·
P · AELIVS · AVITVS
TRAIANOPOLI
TVBICEN · EQ · SING · AVG ·
TVRM · AELI · LVCANI
NATIONE · THRAX
V · A · XXXV · MIL · A · XV ·
P · AELIVS · AVRELIVS
HER · ET · IVLIVS · MAXIMVS
DECVRIO · SECVS · HER · OPTIMO
AMICO · FACIEND · CVRAVER ·

honores etiam et munera quisque sua auctores monumentorum sibi adscribenda curabant: milites praecipue, qui simul cum defuncto stipendia meruissent (3):

D · M ·
SEX · COSSVTIO
SEX · FIL · QVIRIN ·
PRIMO · EMERITO
EX · COHO · XIII · VRB ·
T · SILIVS · HOSPES
SIGNIFER · COH · EIVS
DEM · AMICO · POSVIT

neque id libertini homines neglexere, quo scilicet munerum suorum memoriam prorogarent (4).

DIS · MANIBVS
M · ANTONI · PALLANTIS · L ·
NOBILIS
ABASCANTVS · AVG · DISP ·
A · FRVMENT · DE · SVO · FECIT

quidni vero nos quoque ista praestemus? praesertim quum monumenti auctores ii sunt, qui egregiis titulis ornari possint: quippe id etiam honori defunctis tribuetur, quod suprema illis officia a praestantibus viris persoluta sint. sepulcrum item si ejus arbitratu exstructum sit, quem defunctus in testamento nominarit, ne id quidem omittes: hoc quoque veteres diligenter adnotarunt (5):

L · AMPIVS · L · F · SEVERVS SIBI · ET
L · AMPIO · L · F · PATRI
PVBLICIAE SEX · F · PAVLLAE · MATRI
TESTAMENTO · FIERI · IVSSIT
ARBITRATV · EROTIS · L ·

quin etiam, si monumentum operosum sumptuosumque fuerit, non aliter, quam olim in operibus publicis saepe fiebat, eos adscribes, qui illud jam perfectum probarint; ecce enim tibi ex Museo Veronensi vetus exemplum (6);

L · ANNIVS · C · F · POB · SIBI · ET
M · ANNIO · C · F · FRATRI · FIERI
TESTAMENTO · IVSSIT · PROBAVERE
DIOMEDES · ET · ANTHVS · LIBERTI

(1) Fabr. p. 395. C.
(2) id. p. 358. n. 82.
(3) Grut. p. 539. n. 4.
(4) Maff. M. V. p. 130. n. 7.
(5) Fabr. p. 750. n. 567. v. inscr. 157.
(6) Maff. p. 149. n. 6.

at de verbo illo praecipuo, quo sepulcrum factum significari solet, non est, cur magnopere labores. in epitaphiis quoque non raro omissum est, ut in honorariis inscriptionibus fere semper.

VI. Denique epitaphiorum non una est clausula: honorarii sepulcri propria videtur, quam hoc in exemplo legimus (1):

DIS · MANIBVS
C · SEIO · M · F · QVIR ·
CALPVRNIO · QVADRATO · SILIANO
PROCOS · PROVINC · NARBONENSIS
PRAET · PEREGRINO · TRIB · PLEBIS
QVAESTORI · PROVINC · AFRIC · III · VIRO · CAPITALI
CVIVS · CORPVS · HIC · CREMATVM · EST

quamquam, quia ubi crematum corpus, ibidem aliquando cineres condebantur, quem locum Festus *Bustum* appellatum esse tradit; idcirco sepulcrum quis sive bustum hoc loco designari fortasse contendat. sed aperte cenotaphium hoc altero in exemplo proditur (2):

D . M ·
LOCI · IN · QVO
CORPVS · T · LV · · ·
SABINIANI · LV
CIANI · CREMA
TVM · EST

unde etiam discas, licet, ustrina ipsa quasi Deorum Manium sedem apud veteres in honore fuisse. porro formula fere eadem apparuit pridem tribus etiam in cippis Mausolei Augusti (3), in quibus haec tantum incisa legimus:

C · CAESAR
GERMANICI · CAESARIS · F ·
HIC · CREMATVS · EST

TI · CAESAR
GERMANICI · CAESARIS · F
HIC · CREMATVS · EST

· · · · · · · · · AR
GERMANICI · CAESARIS · F ·
HIC · CREMATVS · EST

de his a me quaedam libro superiore adnotata sunt (4). formulam porro imitari liceat, si, ubi exsequiae defuncto celebratae fuerint, ibi cenotaphium ei exstruatur, corpus ipsum alio loco conditum sit: subscribes scilicet, CVIVS · FVNVS · HIC · CELEBRATVM · EST: sed cenotaphiorum, quae saepe veteres statuerunt (5), aliae etiam formulae propriae habebantur: de quibus dixi ad inscr. CLXXVI. Graeci olim adscribebant Μνημης χαριν (6), unde est Latina formula *Memoriae Caussa*. ac cenotaphium fortasse veteres tum quoque designant, quum tituli initio *Memoriae* tantum scriptum est, nec additum *Et Quieti* aut *Et Cineribus*. illud certe animadverti, in hisce epitaphiis, quae in honorariis tumulis incisa fuisse dicimus, mensuram loci religiosi fere desiderari: quia nempe cenotaphium religiosum non erat: quod et *Divi Fratres*, ut auctor est Vlpianus (7), *rescripserunt*.

Cetera epitaphia aliis distincta sunt clausulis: nam et pedes referunt, quot locus

(1) Fabr. p. 704. n. 250. v. Tac. Ann. l. 2. c. 83.
(2) Oder. Syll. Inscr. p. 224. n. 65.
(3) Anthol. Rom. Iul. 1777. n. 2.
(4) ad inscr. 195.
(5) Svet. in Claud. c. 1. n. 7. Liv. l. 38. c. 35. n. 56. Finest. Syll. Inscr. praef. p. 3. et Class. 3. n. 41.
(6) Murat. p. 1325. n. 4. et p. 1373. n. 1. etc.
(7) l. 6. D. de rel. et sumpt. fun.

monumenti pateat, qua de re egimus articulo superiore: et dolum malum abesse declarant, quod jam attigi ad inscr. cxxxx· tum sepulcrum testamento factum indicat, aut locum sepulcro acceptum ab aliis vel emptum esse: quod aliquando extra titulum, atque ad latus adnotabant, ut hoc in exemplo (1),

POMPEIA · SEX · L · MELISSA · SIBI · ET SEX · POMPEIO . CILICI PATRONO · SVO	EMP · DE · C · TROSSO EPIGONO

et salutationes multis placuisse videas, quae interdum initio etiam leguntur: de quibus illud tiro admonendus nunc est, ne veterum more defunctos inducat cum *Viatore* colloquentes: quod inepte quidam fecere, obliti sepulcra propter vias nulla nunc esse. omnia idem quae imitetur, inveniet, precationesque et sententias e philosophia petitas, quae singularis fere dictionis propria, aut certe privati studii et exiguorum sepulcrorum haberi possint. clausularum honorificentissima fuit, et insignibus inscripta tumulis, quae de sepultura publica admoneret (2):

L · OVIDIO · L · F · SER · (3)
VENTRIONI · TR · MIL · PRAEF ·
FABRVM · IIII · VIR · I · D · IIII ·
VIR · QVINQ · PRIMA · L · DE
SVO · FECIT · HVNC · PRIMVM
OMNIS · ORDO · MVNICIPVM
IN · LOCVM · PVBLICVM · INTVLIT
ET · SEPELIENDVM · CVRAVIT

Decreta etiam ipsa aliquando (4), item caput aliquod ex testamento vel infra epitaphium, vel ad latera scripsere veteres: haec quidem epitaphii partes non sunt, de quibus hoc loco dicendum sit: at exemplum tamen articulis sequentibus aliquod proferetur. unum hic subjiciam, in quo defunctus ipse sepulcrum suum Manibus dicans inducitur (5).

L · CARTORIVS · P · F · FAB · HIC
SEPVLTVS · EST · HIC · LOCVS
PATET · IN · FR · P · XX · ET · A · ME
DIA · FOS · INTROVERS · P · XXV ·
HVNC . LOCVM · MONVMENTVMQ·
DIS · MANIBVS · DO · LEGOQVE

§· III·

DE EPITAPHIIS FEMINARVM

I· Qvae hactenus de virorum epitaphiis dicta sunt, ea faciunt, ut de feminarum titulis brevius nobis disserendum esse videatur. neque enim in his, quae sunt utrisque communia, caussa jam est ulla, cur iterum immoremur: cetera vero, structurae ratione indicata, exemplis facilius demonstrari tradique possunt.

Ac primum de initiis epitaphiorum nihil fere peculiare reperitur. ecce enim tibi epitaphium, in quo de auctore sepulcri nulla mentio: quamquam id ego in patroni mo-

(1) Don. Cl. 7. n. 89.
(2) id. Cl. 5. n. 228. v. inscr. 138.
(3) *tribu Sergia*.
(4) Fabr. p. 463. n. 95.
(5) id. p. 84. n. 150.

numento fuisse puto (1): et mater enim et filia ejusdem viri liberta dicitur; libertis autem suis patroni plerique locum in monumento familiae esse voluerunt:

DOMATIA · L · L ·
ZOSIMA
VIXIT · ANNOS · XII ·
DOMATIA · L · L · LEVCADIA · MATER
MORTVA · EST · POST · BIENNIVM
DIE · NATALI · FILIAE · SVAE
VTRAEQVE · HIC · SEPVLTAE · SVNT

in alio viri nomen, a quo sepulcrum uxori positum est, ipsos ante Manes cietur (2):

L · PASSIENIVS · SATVRNINVS · FECIT
D · M ·
PASSIENIAE · GEMEL
LAE · COIVGI · ET · LIB ·
SVAE · CARISSIMAE
OBSEQVENTISSI
MAE · ET · L · PASSIE
NIO · DORYPHORO
FILIO · ET · PASSIENIO
SABINO · FILIO · ET · LIB ·
SANCTISSIMIS

in alio item nomen defunctae patrio casu praecedit, idque nullo plane apposito insigne, ut filii pietatem jure desideres (3).

CORNELIAE · FAVSTAE
OSSA · HIC · SITA · SVNT
M · CORNELIVS · M · F · MATRI · FECIT

haec fere in virorum etiam epitaphiis observata superius et notata sunt. at consules initio scriptos non vidimus, quod hoc in exemplo usurpatum est (4):

GERMANICO · CAESARE · C · VISELLIO · COS · (5)
XIII · K · OCTOBRIS · OSSA · CONDITA
TITIAE · T · L · PHOEBENIS
T · TITIVS · T · L · ANTEROS

communis tamen hic quoque ea ratio, ut, appellatis Manibus, a defunctae nomine protinus initium sit (6):

D · M ·
CLAVDIAE · PONTICES
CL · EVSTROPHVS
PATRONAE · ET · CONIVGI · OPTVMAE
ITEM · FLAVIA · THREPTE
CL · APHRODISIVS
ET · TIMOTHEVS · MATRI · PIISSIMAE

interdum et pro *Manibus* inscriptum *Cineribus*, ut in exemplo, quod Gorius (7) a Fabretti (8) nota vindicavit,

(1) Maff. M. V. p. 259. n. 4.
(2) Fabr. p. 7. n. 31. at nunc emendatior ex Amad. Vet. Monum. Matthaejor. t. 3. p. 141.
(3) Murat. p. 2065. n. 4.
(4) Fabr. p. 477. n. 144.
(5) An. Varr. 765.
(6) Fabr. p. 289. n. 218.
(7) Don. Cl. 7. n. 6.
(8) p. 294. n. 241.

CINERIBVS
GEMELLAE · TORQVATAE
ORNATRICIS · AVGVST ·
SEX · SERVILIVS · TORQVA
TVS · DISPENSATOR
H · M · F · ET · SIBI
DEDIC · K · IVNIIS
SEX · GLABRIONE · ET · C · OMOL
LO · VERIANO · COS · (1)

Alia hujusmodi initia libro tertio reperies. ad ipsa vero nomina quod attinet, quum ea nunc quoque in appellandis feminis diminuta saepe usurpemus, praetermittendum non est, haud raro veteribus et nomina earum et cognomina in epitaphiis etiam diminutive usurpata placuisse. et cognomina quidem, ea maxime, quae a numero desumpta, non una illi ratione molliebant, fiebat enim, uti post alios Hagembuchius animadvertit (2), a Prima Primilla et Primina, a Secunda Secundina et Secundilla, a Tertia Tertulla et Tertullina, a Quarta Quartina et Quartilla, et sic deinceps usque ad Octavillam; et a Decima vel Decuma Decimina et Decumina, Decimilla et Decumilla; quin et Vndecimilla legitur, quae socia fuit Vrsulae martyris. sunt et cognomina quaedam a parentum cognominibus orta, ut ab Agrippa Agrippina, ab Attico Atticilla, a Basso Bassilla, a Gallo Gallitta, a Prisco Priscilla, et alia hujusmodi, quae jam Fabrettus (3) indicavit. a nominibus autem illa sunt, Claudilla, Livilla, Sosiola et similia. haec feminis, quum puellae essent, fere per blanditias imposita, postquam illae in matrimonium ierant, manebant etiamtum: itaque in ipsis epitaphiis sic appellabantur, quum jam compositae essent (4);

IVLIAE · PROCILLAE · Θ · ANN ·
XLVIII · L · COCCEIVS · CVPITVS
MARITVS · ET · IVLIA · IVNIANA
ET · COCCEI · PROCVLVS · FLOR
ENT · CVPITVS · FILI · FEC ·

haec porro imitari si libeat, quis vetet? tum nempe, quum feminae epitaphium scribendum sit, quam omnes, quum in vita esset, diminuto nomine appellarint. Latina haec consuetudo fuit, quae in Latino epitaphio reprehendi non debet.

II. Iam post nomina feminis quoque curationes et munera, artes et ministeria recte adscribes. haec veteres, vel quum infima erant, saepe diligenter adnotarunt. Ornatricem Augustae paullo ante protuli; at libro primo (5) Monodiariam: ecce tibi ex Grutero (6) etiam Vestificam,

AGRIAE · TRIPHOSAE · VES
TIFICAE · LIVIVS · THEONA · AB
EPISTVLIS · GRAEC · SCRIBA
A · LIB · PONTIFICALIBVS
CONIVGI · SANCTISSIMAE
B · D · S · M ·

quin et obstetrix prodit, non illa vulgarem mentita titulum (7):

(1) An. Varr. 905.
(2) Ep. Epigr. p. 603.
(3) p. 172. 173.
(4) Grut. p. 795. n. 3.
(5) inscr. 169.
(6) p. 578. n. 6.
(7) Grut. p. 636. n. 1.

DEIS · MANIBVS
IVLIAE · Q · L ·
SABINAE
MEDICAE
Q · IVLIVS · ATIMETVS
CONIVGI
BENEMERENTI

Quod si haec veteres, quae leviora sunt, mentione tamen digna putaverunt; quis ea omissa putet, quae feminis honoris caussa delata fuerant, et matronarum decora et ornamenta habebantur? Flaminicas sane sacerdotesque non paucas leges apud Gruterum (1), e quarum epitaphiis describatur hic quod Sarsinae sive Sassinae est, Cetraniae Severinae positum, ut etiam testamenti caput in ejusdem sepulcro ad laevam incisum, quod jam promisimus, in medium proferatur (2):

D · M ·
C E T R A N I A E
P · F · SEVERINAE
SACERDOTI
DIVAE · MARCIAN ·
T · BAEBIVS · GEMELLI
NVS · AVGVST ·
CONIVGI · SANCTISS ·
CAPVT · EX · TESTAMENTO
CETRANIAE · SEVERINAE
COLLEGIS · DENDROPHO
RORVM · FABRVM · CENTO
NARIORVM · MVNIC · SASSI
HS · SENA · MILIA · N · DARI
VOLO · FIDEIQ · VESTRAE · COL
LEGIALI · COMMITTO · VTI
EX · REDITV · HS · QVATERN · M ·
N · OMNIBVS · ANNIS · PRID ·
IDVS · IVN · DIE · NATALIS
MEI · OLEVM · SINGVLIS
VOBIS · DIVIDATVR · ET
EX · REDITV · HS · BINVM
MILIVM · N · MANES
MEOS · COLATIS · HOC
VT · ITA · FACIATIS · FIDEI
VESTRAE · COMMITTO

si quae etiam a collegiis Patronae dictae essent, eo item titulo in epitaphiis ornabantur; ut est in Firmano Allienae sepulcro, quod ei ut loco publico fieret, Decuriones permiserunt (3):

ALLIENAE · T · F ·
BERENICAE
C · VETTIVS · POLVS
VXORI
SANCTISSIM · ET
C · VETTIVS · POLVS
MATRI
PIISSIMAE · PATR ·
COL · FABR · ET · CENT ·
L · D · D · D ·

(1) a p. 317.

(2) Grut. p. 322. n. 3.

(3) id. p. 351. n. 4.

quibusdam vero, quum nihil fortasse aliud suppeteret, a patris et viri muneribus decus aliquod quaesitum est (1):

DIS
MANIBVS
LICINIAE · CRASSI
FRVGI · PONTIFICIS · F ·
MAGNAE
L · PISONIS · PONTIFICIS · VXOR ·

item a numero filiorum, ut Iuliae cuidam Doridi apud Gruterum (2), quae decessisse dicitur *Relictis Liberis Superstitibus IIII*.

Denium Severi Aug. aevo, aut paullo antea, quae senatorum uxores essent, *Matronae Clarissimae* aut *Clarissimae Feminae* appellari coeptae sunt (3), ceterae vero *Honestae Matronae* aut *Honestae Feminae* dictae (4).

III. Age nunc quae feminarum laudes esse debeant, videamus. his enim veteres saepius, quam viris, indulsere; quumque alii aliam rationem sequuti sint, pauci tamen summas eis laudes inviderunt. breve quidem, at elegans in primis est Tettiae libertae epitaphium apud Fabrettum (5):

TETTIA · NICEPHORIS
L · PRIMA
PATRONO · PROBATA
P · Q · XII · (6)

multa etiam paucis de uxore in hoc altero praedicantur (7);

D · M ·
MATTIENAE
MYRALLIDIS
Q · COMEATRO
Q · L · EXORATVS
CONIVGI · PLVS · DE · SE
MERITAE · QVAM · TI
TVLO · SCRIBI · POTVIT

est, cui laudi vertitur, quod nutrix fuerit senatorum duorum (8):

D · M · S ·
CRISPINAE · COIVGI
DIVINAE · NVTRI
CI · SENATORVM
DVVM · ALBVS
COIVNX · C · Q · F · (9)
AN · XVII · H · VIX · (10)
AN · XXX · M · II ·
B · M · F ·

et habes exemplum libro primo (11) laudes ejus complectens, quae filios suos ipsa lactaverat; item apud Gruterum (12) *Cornelia* quaedam *Tyche* fuisse dicitur *Et Incomparabilis Erga Maritum Adfectus Sanctitatisque, Et Eximiae Erga Liberos Pietatis*. nonnullae a forma simul et moribus commendantur, ut *Helpis* illa *Caenidiana* (13), *Quae Cum Vixit, Dea Et Sanctissima Dicta Est*. celebrantur aliae, quod in viduitate

(1) Grut. p. 306. n. 1.
(2) p. 1100. n. 4.
(3) Don. Cl. 5. n. 34. Grut. p. 379. n. 2. v. Casaub. ad Lampr. in Helag. c. 41.
(4) Grut. p. 1087. n. 9. v. Salmas. ad Lampr. in Alex. c. 48.
(5) p. 179. n. 370.
(6) *Pedes Quaquaversus* 12.
(7) Fabr. p. 616. n. 141.
(8) id. p. 266. n. VIII.
(9) *Cum Qua Fecit*.
(10) *Haec Vixit*.
(11) inscr. 170.
(12) Grut. p. 690. n. 4.
(13) v. inscr. 209.

relictae, nemini jam post viri sui mortem jugali vinculo sociari voluerunt: *Univiras* eas aut *Univirias* appellabant (1); quo dein vocabulo Christiani etiam usi sunt (2). mitto alia hujusmodi; sunt enim exigua plane atque levia, si cum his comparemus, quae saepe hodie de virtutibus clarissimarum matronarum praedicari jure possunt; quorum tamen praecipua malim, quam omnia in epitaphio proferri; ne aut historiam pro titulo confecisse, aut etiam vero majora jactasse videamur. quippe si laudandi studium eminet, facile homines, an vera narrentur, nec ne, addubitant; contra ex unius tantum facti significatione nihil saepe in reliqua vita nisi praeclarissime gestum autumant.

Enimvero de appositorum etiam usu aliquid delibemus. qui sepulcrum simul excitarant, non communi fere, sed sua quisque laude defunctam cumulare solebant (3);

CLAVDIAE · TI · F ·
SECVNDAE
SEMPRONIA · L · F · FORTVNATA
AMICAE · CARISSIMAE
F · ET
C · LARGIVS · EVPHEMIVS
CONIVGI
SANCTISSIMAE

uno tamen communique tantum apposito ornata aliquando mulier a duobus, quod hi sibi appellationem propinquitatis, quisque suam, praesumpsissent (4);

D · M ·
VLPIAE · PETILLIAE · P ·
SPELLIVS · SECVNDVS
CONIVNX · ET · M · VLPI
VS · MAXIMVS · FRA
TER · PIENTISSIMAE
FECERVNT

saepius vero appositorum nullus erat modus, ut quas fortasse vivas parum pie coluerant, easdem mortuas hac saltem amoris significatione prosequerentur (5):

SALVIANVS · AVG ·
LIB · FILIVS
VLPIAE · DORCADI
MATRI · DVLCISSIMAE
ET · SANCTISSIMAE · ET
INCOMPARABILI · FEC ·

multoque haec largius mariti uxoribus suis divisere (6):

AVREL · ARETHVSAE
VXORI · SANCTISSIMAE
INTEGRAE · FIDEI
FRVGI · MODESTAE
VERAE · INNOCENTIAE
OLYMPIVS · MARITVS
ET · SIBI · POSVIT

iidemque annos matrimonii sui simplici, saepe dictione adscripserunt (7):

(1) Fabr. p. 324. n. 450.
(2) id. p. 31. n. LIX. et p. 323. n. 439. etc.
(3) Grut. p. 865. n. 17.
(4) Maff. M. V. p. 290. n. 9.
(5) Grut. p. 618. n. 2. v. Fabr. p. 251. G.
(6) Fabr. p. 254. n. 53.
(7) Grut. p. 830. n. 7.

D · M ·
STENIAE · VENERIAE
C · STENIVS · AVLAX · VXORI
SANCTISSIMAE · FECIT
FVIT · IN · MATRIMONIO · EIVS
ANNOS · QVINQ · MENSIB · VI ·
DIEB · IIII ·
VIXIT · ANN · XXVII ·
HIC · SITA · EST

interdum vero circumloquutione usi quadam, scite officioseque designarunt (1):

D · M ·
MARIAE
MAXIMILLAE
CONIVGI
KARISSIMAE
TERT · DECIVS
SECVNDINVS
MARITVS · OB
INTEGR · FIDEM · EIVS
CVIVS · OPE · ET
OBSEQVIO · ANNIS
XVIII · VSVS · SVM

in titulo autem uxoris, quam post primum conjugium vel morte vel divortio solutum secundam quis duxisset, ne hujus quidem rei significatio omissa est: itaque leges apud Reinesium (2), RECONIAE · C · F · TERTVLLAE · CONIVGI · II · atque his demum epitaphiis formula fere aliqua adnecti solebat, quae maritalem concordiam testaretur; quemadmodum uxores quoque in virorum suorum sepulcris id ipsum affirmantes audivimus: sed haec jam libro etiam superiore (3) indicata esse memini.

IIII· Vitae annos sub epitaphii finem adjectos saepe vidimus: at leporis inest aliquid una in vocula *Tantum*, annorum haud multorum numero apposita, ut de nimis brevi uxoris vita maritus queratur: quae formula a Graecis (4) profecta est, et loco usurpata probabitur (5):

DONATILLA · VIXIT · ANNOS
XXXII · TANTVM

praeterea in vetustissimis quibusdam feminarum epitaphiis consules quoque in fine apparent, quibus illae decessere aut humatae sunt (6):

OPPIAE · C · L ·
THEANONIS
OSSA · HIC
SVNT · SITA · AD
VII · K · IVL ·
CN · LENT · M · CRASS · COS · (7)

qui consules iterum scribi coepti in epitaphiis Christianorum: quamquam hi aliquando mortis annum non consulibus, sed Pontificis Maximi nomine designare voluerunt, qui tum Ecclesiae sanctae praeesset: uti legimus in titulo *Erenis, Quae Recessit III. Non. In Pace Sub Damaso Episcopo* (8). ergo nos etiam et annos, quos quaeque vixerit, et quo item anno decesserit, hoc nostro aut prisco more consignabimus. verum praeter

(1) Fabr. p. 24. n. 105.
(2) Cl. 13. n. 22.
(3) v. inscr. 160. 168.
(4) Grut. p. 700. n. 2. Fabr. p. 425. n. 2.
(5) Fabr. p. 428. n. 3.
(6) Vignol. Inscr. Select. Cl. 3. p. 331. v. sup. §. 1. n. 3. et hoc §. n. 1. bis etc.
(7) An. Varr. 740.
(8) Maff. M. V. p. 306. n. 6.

menses ac dies, horas etiam si quis addat sive vitae sive matrimonii, ut haec antiquitus probata fuerint (1), multis nunc inepte diligens videatur. ejusmodi autem notae non utique semper ad calcem scriptae: nam ipsa nomina eorum, qui sepulcrum fecisse dicuntur, modo mediis, modo extremis versibus sedem habent. ceterum plerisque in exemplis ea distributionis est ratio, quam in virorum epitaphiis animadvertimus, ut consanguinitatis et proximitatis vocabula suis cum appositis post auctores monumentorum scribantur; notae vero annorum aut in fine, aut post defunctae nomen vel laudes legantur: quod tibi exempla libri primi satis declarant (2).

Hoc addam, in feminarum quoque epitaphiis munera non raro inscripta legi hominum vel infimorum nominibus adjecta, qui monumentum faciundum curaverunt: quae tamen sibi nunc pauci adscribi patiantur; quum plerique nobilitatem animo praesumant, et filios jam, nedum nepotes, uno aut altero ante se gradu sedere velint. exemplum ex Museo Veronensi proferam mimi, qui in grege urbano Stupidum agebat (3):

D · M ·
AEMILIAE
IRENE · QVAE
VIXIT · ANN · XXVI ·
DIEBVS · XIIII ·
AVRELIVS · EVTY
CHES · STVPIDVS
GREG · VRB · CON
IVGI · KARISSIMAE

Doloris significatio, quae saepe in puerorum epitaphiis apparet, raro a viris ob amissam uxorem data: exemplum enim e paucis unum hoc est, quod subjiciam (4):

D · M ·
TONGILIAE · TERTIAE · CO
IVGI · INCONPARABILI
ET · PIAE · QVAE · VIXIT · MECVM
ANN · III · M · VII · D · XIII · BENE
MERENTI · DOLENS · ANIMO
LIBENS · FECI · SEXTVS
TRVTIEIVS · AMIANTHVS

nec tamen eos non probem, qui subscribant *Contra votum* aut *Cum Lacrimis Posuit* et similia, quibus veteres ad animi dolorem prodendum utebantur: sic in parentis tumulo recte monumenti auctores appellentur *Filii Miserrimi*, *Filii Infelicissimi*: sunt enim formulae, quae omnino ad hoc inscriptionum genus pertinent.

Illud crebro in antiquis exemplis occurret, qui sepulcrum in solo suo fieri passus sit, sive locum ad monumentum exstruendum concesserit, donaverit: quod fere in extremo versu significabant, formulis tamen variis, quas in librum tertium rejeci: hanc excipe, quae minime obvia vulgarisque est (5):

(1) Fabr. p. 185. n. 417. etc.
(2) v. inscr. 166. 167. 168. 170. 171.
(3) Maff. p. 127. n. 3.
(4) Fabr. p. 152. n. 216. v. Maff. M. V. p. 270. n. 5.
(5) Nov. Fior. an. 1748. p. 707.

DIS · MANIBVS
MODIAE · ZOSIMAE
MODIA · THISBE · ET
IVLIA · CANDIDA
MATRI
BENEMERENTI
FECERVNT · ET
ADIVTRICI
SORORI · BENEFICIO
SVLPICI
APOLLINARIS

similis vero huic formula apud Odericium (1), sed initio tituli legitur.

V. Reliquum est, ut de clausulis quoque aliquid subnectamus. eae non unius generis sunt: quaedam enim exceptiones sunt, quae sepulturae jus explicant (2):

P · HERENNIVS · P · L ·
CHRESTVS · PRAECO
TRIBVNICIVS · SIBI · ET
CASSIAE · L · ET · VXORI · ET · SI
QVIBVS · CASSIA · VOLET
IN · HOC · MONVMENTVM
HEREDI · MEO · IVS · INFERENDI
PRAETER · ME · NON · DO
CASSIAE · VXORI · MEAE · DO

quae quidem verba quum a superiore oratione discrepent, particulam ex testamento Chresti fuisse puto; ut haec alia epitaphio subjecta in lapide praegrandi, qui haud ita pridem in agro Tusculano repertus est;

ANTALCIDES
AVGVSTORVM
LIBERTVS
AELIAE
CONIVGI
ET · SIBI
ITA · VT · POST · MORTEM · MEAM
PERTINEAT · HOC · SEPVLCRVM
AD · POSSESSIONEM
FVNDORVM · NAEVIANI · ET · CALPVRNIANI

clausulae vero aliae cenotaphii tantum indicia sunt, eaeque honorarii tumuli maxime propriae (3):

DECIMIAE · L · L ·
LIBERALI
TI · CLAVDIVS
AVGVSTI · L ·
PHILOLOGVS
AB · EPISTOLIS · VXORI
IN · HONOREM

quaedam aliae a communi dictione abeunt, et jocos, dicta, salutationes exhibent, quae aliquando non solum justis sub epitaphiis scribebantur, sed in parvis etiam cinerum ollis arculisque:

(1) Syll. Inscr. p. 224. n. 67. (2) Don. Cl. 8. n. 26. (3) Murat. p. 2043. n. 2.

(1)
PAMPHILES
ANIMA · SANCTA · SALVE

(2)
AVFIDIAE · C · L · VENVSTAE
VIATORES · SALVETE
ET · BENE · VALETE

precationes etiam et omina huc pertinent; cetera item, de quibus jam articulis superioribus actum est: sunt enim epitaphiorum fere omnium communia.

Feminis porro ipsis funus alicubi publice olim decretum, ut Narbone; itaque hoc etiam epitaphiis earum subscriptum est (3):

LIGVRIAE · Q · FIL .
FRONTINAE
Q · HORTENSI · KATVLLI
HVIC · ORDO · NARBONENSIS
PVBLICE · FVNVS · ET · OMNES
VECTIGALES · DECREVIT

sunt autem hic *Vectigales* funeris, opinor, sumptus, quod alibi (4) *Funeraticum* appellari vidimus, vectigal scilicet Libitinariorum. funus autem matronarum etiam, Romae potissimum, sine laudatione nullum erat. sic Iulius Caesar quaestor Iuliam amitam uxoremque Corneliam defunctas laudasse dicitur e more pro rostris (5); et ab Octaviano, quum annum ageret duodecimum, laudatam aviam Iuliam, item accepimus (6). ea deinde laudatio, quod mirere, in marmore aliquando incisa est tota. hujusmodi certe fuit oratio illa funebris, a Fabretto in lucem edita (7), quae in villa Albana nunc legitur (*a*), viri, ut apparet, minime vulgaris, et Augusti aetate scribentis; in qua oratione uxorem ille suam semper adloquitur. at ea, malum! non modo exordio caret, sed omnibus etiam singulorum versuum ultimis verbis, quae plura fuisse, quam terna aut quaterna mihi videntur. ceterum haud hisce nunc exemplis opus est.

§. III.

DE EPITAPHIIS PVERORVM PVELLARVMQVE

I. QVia saepe liberorum cineres in familiae olim sepulcra a parentibus inferebantur, arculaeque a conspectu abditae in hypogeis latebant; idcirco multa puerorum ac puellarum epitaphia nec longa sunt, neque ornata dictione scripta; quaedam ne solitaria quidem, sed uno in cippo gemina leguntur (8):

D · M ·

NICONI · FILIO	EVTYCHETI
DVLCISSIMO	VERNAE
QVI · V · MENS · XI ·	QVI · VIX · AN · I ·
DIEBVS · VIII	MENS · V · · DIEB · X ·

PVBLICIA · GLYPTE · FECIT

(1) Maff. M. V. p. 281. n. 2.
(2) Fabr. p. 705. n. 262.
(3) Grut. p. 430. n. 7.
(4) v. inscr. 329.
(5) Svet. in Iul. c. 6. n. 1.
(6) id. in Aug. c. 8. n. 1.
(7) p. 168. n. 325.
(*a*) Hanc edidit et commentario illustravit Marinius Iscr. Alb. p. 136.
(8) Fabr. p. 6. n. 27.

nonnulla etiam nominibus carent eorum, qui titulum posuerint (1):

D · M ·
SECVRITATI
C · VALERI
CAPITOLINI
QVI · VIX · ANN ·
VI · MENS · II ·
DIEB· III ·
HOR · XI ·

GRANIA
PVELLA
DECESSIT
BIMA · ET
DIERVM
XVI ·

NOSTIA · L · L ·
MVSA
ET · NOSTIVS · L · L ·
PHILOMVSVS
COSMVS
DELICIVM
IN · FR · P · XII ·
IN · AGR · P · XIIS ·

quaedam autem ad parentes etiam pertinent; quippe id in eorum solatium cessurum videbatur, si filii eodem in tumulo conderentur (2);

MEROE · VIXIT · AN · XLVIII ·
PORPHYRIS · F · AN · I · M · V · D · XXV ·
MEROE · F · AN · IIII · M · V · D · XXIX ·
L · BAEBIVS · THALLVS
CONTVBERN · PIENTISSIM ·
ET · NATIS · KARISSIM · ET · SIBI

Plerumque tamen in iis etiam sepulcris, quae pueris dicata solis, propter vias aut celebri alio in loco exposita, ante oculos commeantium erant, quum auctores monumentorum inscripti sunt, tum amor eorundem et dolor conceptis verbis significatur (3);

M · PLOTIO · C · F ·
ANN · VI · AGENTI
ANIMAE · DVLCISSIMAE
IVCVNDISSIMAEQVE
INFELIX · MATER
POSVIT
AEMILIA

qui etiam, ut eos animi affectus proderent, epitaphia interdum a salutatione inchoarunt (4); esto haec dictionis singularis exemplis magis conveniat:

HAVE . HAVE
HEROTION
ET · VALE
AETERNVM
C · CESTIVS · FILIAE
F · C ·

quam item salutationem sic quoque iteratam reperies, ut *Have* initio, *Vale* in fine legatur (5);

HAVE · EVPHROSYNE
C · STATIVS · PHORIMVS · ET · SENTIA
SATVRNINA · PARENTES
FILIAE · PIENTISS ·
VIX · ANN · XII · D · XXVI ·
VALE

tum puellas quidem diminutis fere nominibus appellarunt (6);

(1) 1. et 3. ex advers. Hor. Orlandi, 2. ex Fabr. p. 712. n. 334.
(2) Fabr. p. 315. n. 387.
(3) id. p. 700. n. 212.
(4) Grut. p. 1123. n. 2.
(5) Don. Cl. 10. n. 62. Grut. p. 1122. n. 8.
(6) Grut. p. 677. n. 7.

D · M ·
CL · VICTORILLAE
FIL ·
PIENTISSIMAE
· VIX · ANN · V · D · XX ·
FLAVIVS · MAGNVS
ET
CLAVDIA · VICTORINA
PARENTES · FECERVNT

tam vero puella, quam puer parvulus saepe *Delicium* dicitur (1); et addita aliquando vox altera est, blandiendi caussa (2);

L · APONIVS
ABASCAN
TVS · V · A · III · M ·
VI · T · FLAVIVS
ANICETVS · ET
APONIA · SYR
ILLA · ISSVLO
ET · DELICIO
SVO · FECER .

de cujus vocis significatione nil dicam, nisi quod ingeniose a Fabretto animadversum est, *Issam* apud Martialem (3) catellae nomen esse, itemque in puellae epitaphio legi ISSA HAVE; ut blanditiarum caussa pueri etiam puellaeque hisce interdum nominibus appellati videantur. singulare etiam est alterum apud eundem appositum *Margaritiom*, quo bimus puer ornatur, quod eum nutritores, quia hilarulus erat, quasi parvum margaritum amarent carumque haberent (4),

D · M ·
SEX · BRITTID ·
IVVENI · MAR
GARITIONI · CARIS
SIMO · VIXIT · ANNIS
II · MENS · VII · DIEB · XVIII ·
FECIT · L · VERGIL · ITALIC ·
ET · CLAVDIA · LAVDICE

puer alter, *Gordianus* nomine, apud Reinesium *Dulcis Mustella* (5) appellatur, de qua quidem animante satis lepidas in Phaedro fabellas legeris, ad quas Gordiani parentes adludendo respexisse veri ego simile puto.

II. Mitto alia apposita, quae communia sunt. est et sua pueris puellisque laus. atque hae quidem saepe a forma laudatae: singulare tamen exemplum est, quod proferam (6),

ARABIA · FIRMA
VENVS · AFRA
VIXIT · ANNIS
XVII · M · III · DI
ES · TRES

nonnullae simul a moribus atque a doctrina etiam commendatae, ut *Iulia* quaedam *Secunda* apud Gruterum (7), cui adscriptum est, *Et Forma Singulari Et Moribus Piissimis Doctrinaque Super Legitimam Sexus Sui Aetatem Praestantissimae, Quae Vi-*

(1) Fabr. p. 43. n. 240. etc.
(2) id. p. 45. n. 254.
(3) l. 1. ep. 110.
(4) Fabr. p. 44. n. 253. v. Macrob. Sat. l. 2. c. 4.
(5) Cl. 20. n. 368.
(6) Fabr. p. 267. n. 114.
(7) p. 690. n. 4.

xit Annis XI · M · VIIII · D · XX · item de virginitate non raro mentio facta, additumque puellarum nominibus *Virgini Innocentissimae*, *Virgini Sanctae*, aut *Virgini* (1) tantum.

In puerorum autem epitaphiis hoc primum servatum est, ut quae quis munera in vita obiisset, ea statim a nomine unicuique adscriberentur (2); et adnotatum etiam legimus, quot mensibus puer quidam alimentarius frumentum publicum accepisset (3). tum, ubi fas erat, ingenium quoque laudibus efferebatur (4),

D · M ·
P · SCANTIO · IVLIANO
P · SCANTIVS
AVGVSTALIS · PATER · ET
SERVILIA · C · F · ISIAS
MATER · FILIO · PIISSIMO
FECERVNT
QVI · VIXIT · ANN · VIII ·
MENS · V · DIEB · XII · HOR · VI ·
CVIVS · ANNOS · INGENIVM
EXCEDEBAT

nec omissum, quae puer litterarum studia attigisset (5):

Q · CAECILIO
FEROCI
KALATORI · SACERDOTII
TITIALIVM · FLAVIALIVM
STVDIOSO
ELOQVENTIAE
VIXIT · ANNIS · XV ·
MENSE · I · DIEBVS · XXIIII
FILIO · OPTVMO · AC
REVERENTISSIMO
M · GAVIVS · CHARINVS

commemorata etiam parentum dignitas, qua filiorum memoria nobilitari videretur (6):

D · M ·
MEMORIS · FILI · AVRELI
CANARTHAE · PRINCIPIS
GENTIVM · BAQVATIVM
QVI · VIXIT · ANN · XVIIII ·

eae autem gentes Mauritaniae Tingitanae oram maritimam incolebant (7). haec fere, aut non multo plura in antiquis puerorum epitaphiis occurrunt: nam quae alicubi leguntur ineptiae, otiosorum pigmenta esse puto, qualia apparent in *Crispi* titulo apud Capacium (8), et in altero *Melioris Calculatoris* apud Fabrettum (9), de quo alibi dicam. hujusmodi enim argumenta praeoptare solebant praeclari illi condendarum inscriptionum artifices, qui superiori aetate posteros omnes commentis suis lepide omnino et pulcre ludificari sibi videbantur: in iis nempe exspatiari latius, ingenioque indulgere suo magis poterant; itaque et facilius, opinor, se nobis impositūros sperabant.

III· Iam quia puerorum funera miseranda omnibus videri solent, in horum epitaphiis saepe et caussa indicatur, quae luctum auxerit, atque ad dolorem acerbior fuerit (10).

(1) Fabr. p. 144. n. 164. 166. 167.
(2) v. inscr. 187. 189. etc.
(3) v. inscr. 193.
(4) Grut. p. 618. n. 5.
(5) Beger. Spicil. Ant. p. 106. at nunc emendatior ex Marin. Inscr. Alb. p. 72.
(6) Fabr. p. 379. n. XXXII.
(7) Ptol. lib. 4. c. 1.
(8) Antiq. et Hist. Neap. c. 22. n. 9.
(9) p. 88. n. 165.
(10) Grut. p. 832. n. 8.

D · M ·
L · TERENTII · ASCLEPI
ADIS · ET · L · TERENTII
FELICIS · FILII · MISERRIMI
QVI · FATVM · PATRIS · IMMA
TVRA · MORTE · SVBSECVTVS
EST · HELLANICA · MATER
MOESTISSIMA · POSVIT
ET · LAELIAE · TERENTIAE
FILIAE · INNOCENTIS
SIMAE · ET · SIBI

atque illud etiam crebro a parentibus adnotatum est, quod Cato quoque apud Tullium (1) de filio suo dicit, *cujus*, inquit, *a me corpus crematum est, quod contra decuit ab illo meum* (2):

NONIA · M · F · MAXSIMA
VIXIT · ANN · X · D · XV ·
ET · QVOD · MISERRIMVM · EST
MATER · FECIT · FILIAE
CANTRIA · C · F · POLLA

triste etiam veteres, neque in epitaphio omittendum putarunt, si quis die ejus anniversario obiisset, quo natus erat (3);

D · M ·
T · FLAVIO · PARIDIONI
VIXIT · ANN · XVIIII ·
DECESSIT · NATALI · SVO
T · FLAVIVS · PARIS · ET · FLAVIA
PITHVSA · PARENTES · FILIO · SVO

et luctuosum item ac memoria dignum visum est, duos simul una in domo obiisse (4).

EVEMERONI
Q · V · A · IIII · D · XV ·
ET · FORTVNAT ·
Q · V · A · XIV · M · V ·
APPIVS · CELER
ET · CAECILIA · SVC
CESSA · VERNIS
FECERVNT
HI · VNO · DIE · MORTVI
PVERI

Vitam vero, quam quisque vixisset, atque ipsam mortem eorum potissimum, qui infantes adhuc rapti, haud semper communi formula designarunt; discrepat enim, qui sequitur titulus (5):

SEX · RVTTEDIO · SEX · FIL
POL · MAXIMIANO
FVIT · APVD · SVPEROS · MENS · VI ·
T · RVTTEDIVS · CLEMENS
TRIB · COH · II · VIG ·
ET · MARTINA · PROCVLA
FILIO · KARISSIMO

in alio non menses, non anni adscripti, sed haec tantum (6), *Aetatula Prima Heic*

(1) de Senect. c. 23. n. 84.
(2) Grut. p. 697. n. 8. v. inscr. 167.
(3) Fabr. p. 329. n. 482.
(4) Oderic. p. 219. n. 56.
(5) Fabr. p. 264. n. 93.
(6) id. p. 99. n. 222.

Requievit. et vitae spatium aliquando e fastis erui voluerunt; id enim unum expressum est, quibus consulibus puer natus, quibus mortuus esset (1),

D · M ·
PHOEBVS
QVI · ET · TORMOGVS
HISPANVS
NATVS · SEGISAMO
NE · III · K · MARTIAS
C · BELLICIO · TORQVA
TO · TI · CLAVDIO
ATTICO · HERODE · COS ·
DEFVNCTVS · IIII ·
NONAS · AVGVSTAS
Q · MVSTIO · PRISCO
M · PONTIO · LAELIANO · COS ·
PHOEBION · ET · PRIMI
GENIA · FILIO · KARISSI
MO · FILIO · DVLCISSI
MO · FECERVNT

de cujus quidem aetate, non ut olim, sic nunc facile est dicere, quot annorum fuerit. primos consules in fastis reperies ad annum Varr. DCCCLXXXXVI· ceteri e suffectis sunt, quorum annum hactenus ignoravimus (*a*).

Commemorandum porro et Christianum epitaphium, in quo pueri mors nova quidem, sed plane eleganti formula enunciatur (2):

SEVERO · FILIO · DVL
CISSIMO · LAVRENTIVS
PATER · BENEMERENTI · QVI · BI
XIT · ANN · IIII · ME · VIII · DIES · V ·
ACCERSITVS · AB · ANGELIS · VII . IDVS · IANVA ·

In annis enumerandis accusativo aeque casu atque ablativo veteres usi: ubi vero puer unum tantum vixisset annum, scribebant fere *Vixit Annum* aut *Anno*; *Vnum* aut *Vno* perraro addebant; quod jam Hagembuchius indicavit (3): itaque et *Mensem* et *Diem* elegantius scripseris, quam *Mensem Vnum*, *Diem Vnum*. iidem *Dies XXX.* aliquando scribere maluerunt, quam *Mensem* (4).

D · M ·
APPIAE · VERNAE
KARISSIMAE
RASINIA · MVSTICE
BENEMERENTI · FECIT
VIXIT · ANNIS · XVII ·
D · XXX ·

diebus vero si et horas addideris, quot pueri vixerint, id concinne factum videri possit, ubi de vita brevissima agatur. at semihora etiam et scrupulos adscribere, ineptum plane; quamquam haec etiam antiquis in exemplis leguntur (5).

III· Denique extremis inscripti versibus ii plerumque, qui tumulum exstruxerunt, nisi quod honores quoque aliquando adjecti; et si cui locum eodem in sepulcro esse voluerunt, ejus etiam nomen additum est (6);

(1) Maff. M. V. p. 420. n. 5.
(*a*) Marinius Fr. Arv. p. 792., praeeunte Murator. p. 335. n. 1., paululum addubitat, num hi consules processerint an. Varr. 916. quod tamen confirmare videtur locus Frontonis ad Verum ep. 4. l. 2. p. 118. edit. Mediolan.
(2) Fabr. p. 581. n. LXXXVI.
(3) Epist. Epigr. p. 494.
(4) Maff. M. V. p. 263. n. 6.
(5) Fabr. p. 96. n. 217. seq.
(6) Don. Cl. 5. n. 143.

L · AVILLIO · L · F · SER ·
CRASSO · ANNORVM · XIII ·
L · AVILLIVS · SEX · F · SER ·
CRASSVS · IIII · VIR · I · D ·
PATER · FILIO · ET VETTIAE
L · F · SECVNDAE · VXORI

neque unus aut alter tantum, sed plures interdum, tamquam monumenti auctores, subscripti; quod puerum multis carum obiisse ostendebat (1):

DIS · MANIBVS
EVBVLIONIS
FLAVIAE · ARTEMIS · VERNAE
VIXIT · ANNIS · VII · MENSIBVS
II · DIEBVS · XIII ·
DORYPHORVS · ET · MYRTALE
PARENTES · ITEM
FLAVIA · PARAPSYCHE · ET
ADIAPTOTVS · PARENTIVM
FRATRES

Fratrum scilicet nomine sorores etiam veniunt, quum simul enumerantur; *Lucius et Titia fratres*, dixit Paullus jurisconsultus (2). itaque et Flavia Doryphori soror, et Adiaptotus Myrtales frater recte simul, appellatione sumpta a potiore, *Fratres* eorum appellantur.

Quia vero sepulcra pueris, non ex testamento, sed sponte sua quidam et gratis, etiamsi filii non essent, faciebant; idcirco additum aliquando, qua quis caussa impulsus fecerit (3):

D · M ·
RVFINAE · ALVMNAE · PIENTISSIMAE
ET · INCOMPARABILI · QVAE · VIX · ANN ·
XVII · M · X · DIES · II · FIDE · COGNITA · MEMOR

At parentes id maxime studuisse videas, ut magnum se detrimentum filiorum morte fecisse declararent: haec enim saepe subscripta legimus, *Relictis Parentibus Suis Infelicissimis* (4), *Relictis Parentibus Miserrimis* (5), *Patrem Et Matrem In Luctu Reliquit* (6), et similia, ut hoc in exemplo (7):

VICTORI · QVI · VIX · AN · XVII · M · VI ·
VICTOR · PATER · FILIO · CARISSIMO · B · M ·
P · ET · SIBI · CVI · RELIQVIT · LACRIMAS

modo autem parentes, modo filii ipsi *Infelices* aut *Infelicissimi* appellantur (8);

D · M ·
ACELLIO
IANVARIO
DEF · A · XI ·
ACELL · SEPTI
MILLA · FILIO
INFELIC ·

et sunt e parentibus, qui *Crudeles*, *Impios*, *Sceleratos* se vocant (9), quod ipsi filios extulerint, non ipsi a filiis elati sint, at haec apposita veteribus relinquemus.

(1) Grut. p. 1046. n. 2.
(2) l. 38. D. Fam. ercisc.
(3) Fabr. p. 350. n. 27. v. inscr. 191.
(4) Fabr. p. 199. n. XLV.
(5) Grut. p. 765. n. 1.
(6) id. p. 691. n. 8.
(7) Fabr. p. 235. n. 621.
(8) Maff. M. V. p. 373. n. 4. v. Fabr. p. 237. etc.
(9) Fabr. p. 236. n. 628. p. 237. n. 631. etc.

Clausulae porro eaedem his, quae aliis epitaphiis convenire visae sunt, salutationes etiam et quietem precantium formulae. de loco item dato saepe fit mentio (1):

D · M ·
T · AVRELI · FELICI
ANI · FIL · DVL · Q · V ·
AN · II · M · XI · D · XXIII ·
FECERVNT · FELIX
ET · ZOSIME · PAREN
TES · INFELICISSIMI
LOC · DON ·
AELIA · TYCHE

contra cenotaphium hoc altero in titulo significari videtur (2):

MEMORIAE
P · AELI · OLYMPIACI
QVI · VIX · A · XVI ·
M · II · D · XI ·
RELICTA · MATRE
INFELICISSIMA

puerorum nempe, quos amisissent, ut luctum suum parentes aliquo solatio levare possent, imagines fere in cenotaphiorum frontibus insculpi curabant, quas adhuc multis in monumentis videmus; eaeque memoriae puerorum dicatae dicebantur: interdum et cippi ipsi, in quibus tamen anaglypta plerumque eminebant.

§· V·

DE EPITAPHIIS SEPVLCRORVM COMMVNIVM

I· Haec bifariam dividi possunt: alia enim monumentum familiae et haeredibus sic adtributum esse declarant, ut unius maxime aut paucorum caussa exstructum indicent: alia contra, nemine nominatim appellato, ad unam tantum familiam aut gentem pertinere demonstrant, sive ii jam conditi, sive condendi sint. ac priora quidem illa a ceteris epitaphiis, de quibus superius actum est, parum discrepant (3): quum aliud proprium vix habeant, quam formulam eam, qua jus sepulturae consanguineis, libertis, posteris tribuitur. sed tamen hoc quoque aliquando referunt, quorum decreto aut consensu monumentum sit constitutum (4):

IVLIAE · EVTYCHIAE
IVLIVS · FORTVNATVS
CONIVGI · CARISSIMAE
B · M · ET · SIBI · ET · SVIS
LIBERTIS · LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE · EORVM
MONVMENTO · ADSIGNATO · EX · DECRETO
MAGISTR · Q · Q · COLLEGI · FAMILIAE
IVLIANAE
HOC · MON · HERED · EXTER · NON · SEQVET·
H · M · D · M · A ·

(1) Maff. M. V. p. 297. n. 7. v. inscr. 186. 192.

(2) Grut. p. 665. n. 2. v. inscr. 181.

(3) v. inscr. 201. 202. 203. 208. etc.

(4) Don. Cl. 9. n. 14. v. inscr. 200. 211. etc. et Fabr. p. 156. n. 251.

praeterea in aliis, non, ut hic, uxorem tantum ejus, a quo monumentum est conditum, sed parentes etiam et fratres et filios, ipsis quoque e libertis aliquos nominatim interdum perscriptos esse video. tum vero si quis e consanguineis munere aliquo aut sacerdotio insignis esset, ne id quidem veteres omittendum esse duxerunt. exemplum Gruterus suppeditat (1), ad haec quoque tempora maxime appositum, quo percommode uti liceat, libertos nempe si demas, quorum loco in antiquis etiam titulis saepe legimus *Et Suis Omnibus*, vel *Et Suis Posteris, Et Propinquis Ejus, Et Nuribus, Et Nepotibus, Et Pronepotibus:* quae tibi formulae libro tertio in promptu erunt.

PITVANIA · L · L · DELPHIS
FECIT . SIBI · ET
P · MVCIO · NEDIMO · VIRO · SVO
REDEMPTORI · OPER · CAESARVM
L · PITVANIO · ELEGANTI · PATRI
VI · VIR · AVG · REATE
PITVANIAE · SECVNDAE · MATRI
FRONTIDI · SORORI
PITVANIAE · MARCELLAE · FILIAE
L · PITVANIO · AMANDO
L · PITVANIO · LATINO
L · PITVANIO · REATINO · L · SVO · ET
LIBERTIS · LIBERTABVS · POSTERISQ · EORVM

quaedam denique ex hujusmodi epitaphiis reperies, in quibus non modo auctor monumenti, et ii, quibus potissimum paratum est, nominatim leguntur; sed etiam singuli ex ipsa familia enumerantur, quorum cineres superstes dominus jam intulerit (2).

Q · CORNELIVS · Q · L ·
PHILOMVSVS · SAGARIVS · A · THEATRO
MARCELLI · FECIT · SIBI · ET · SVIS
CORNELIAE · DAPHNE · CONLIBERTAE · SVAE
ET · CORNELIAE · NYMPHE · SORORI · EIVS · L·
SE · VIVO · INTVLIT
CORNELIAM · PROCVLAM · FILIAM · ANN · VII·
CORNELIAM · HELPIDEM · CONLIBERTAM · ET
CALLITYCHEN · MATREM . EORVM · ET
C · PINARIVM · GEMENVM

II· Epitaphiorum autem, quae in sepulcris fuere genti aut familiae uni dicatis, varia plane structura, ac dissolutior paullo, quam in ceteris, esse solet. diversa in primis initia sunt, quod tute in libri primi exemplis animadvertere potuisti (3). deinde quaedam brevissima, ut hoc (4):

DIS · MANIBVS
MEVIORVM

aut certe sine appositis, et nullo ornatu, nulla temporis nota insignia, ut hoc alterum (5),

D · M ·
LIBERTIS · PETRONIORVM
MAMERTINI
ET
SEPTIMIANI
POSTERISQVE · EORVM

(1) p. 451. n. 8. Fabr. p. 437. n. 36.
(2) Spon. Misc. p. 226. n. 2.
(3) v. insc. 200. 204. 205. 206. 213. etc.
(4) Maff. M. V. p. 363. n. 2.
(5) Grut. p. 950. n. 9.

alia vero satis longa, et adjunctis distincta non paucis. primum enim enunciatur, ad quos monumentum pertineat: deinde quis illud vel fecerit vel restituerit vel donarit: tum quo die et quo sit anno dedicatum, post haec quot idem pedes religiosi habeat loci (1). porro in his, quia et nemo cietur nominatim, nec de simul inlatis agitur, sed de iis, qui alii post alios conditi aut condendi essent; nulla communis addita laus: neque addi sane debebat, vel quod sua intus cuique scriberetur, in ollae nempe aut sarcophagi fronte; vel quod nulla omnibus convenire posset. at non hanc omittebant in militaribus tumulis, quum celebrari virtus eorum poterat, qui pro patria pugnantes occubuissent. factum id, jam monuimus (2), a Nursinis, qui tumulo civibus Mutinensi acie interemptis publice exstructo adscripserunt, ut est apud Dionem (3), ότι ύπερ της ελευθεριας αγωνιζομενοι ετελευτησαν. neque fortasse non aliqua item laude digni Germanico Caesari visi sunt, qui Variana clade perierant, quum ille veteres ac dispersas eorum reliquias uno tumulo humavit (4): quamquam ne commemoranda quidem hic puto Hispana eorum epitaphia, quae Gruterus ipse fictis jam et suppositis adnumeravit (5). verum praeclaras hujusmodi epitaphiis reliquit formulas Tullius (6), ubi de honore legionariorum egit, qui contra Antonium in acie pugnantes occubuerant: quibus ille censuit, ut moles opere magnifico exstrueretur, et ut litterae inciderentur *divinae virtutis testes sempiternae*. nec vero ejus hic sententiae verba describi, non operae pretium fuerit. *Placet igitur mihi, P. C., legionis Martiae militibus et eis, qui una pugnantes ociderunt, monumentum fieri quam amplissimum. magna atque incredibilia sunt in rempublicam hujus merita legionis. haec se prima latrocinio abrupit Antonii: haec tenuit Albam: haec se ad Caesarem contulit: hanc imitata Quarta legio parem virtutis gloriam consequuta est. Quarta victrix desiderat neminem, ex Martia nonnulli in ipsa victoria conciderunt. o fortunata mors, quae naturae debita, pro patria est potissimum reddita. vos vero patriae natos judico, quorum etiam nomen a Marte est. ut idem Deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuisse videatur. in fuga foeda mors est, in victoria gloriosa. etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet. illi igitur impii, quos cecidistis, etiam ad inferos poenas parricidii luent: vos vero, qui extremum spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem et locum consequuti. brevis a natura nobis vita data est; at memoria bene redditae vitae sempiterna*. lege et reliqua, si libet: e quibus omnibus egregium plane epitaphium ad militaris sepulcri ornamentum nullo negotio confici potest.

Porro et aliae hujusmodi inscriptiones sepulcris communibus aptae erunt. equidem sicubi monumentum exaedificatum publice esset, sacerdotum inlatis cineribus, quos aegrorum saluti intentos pestilentia sustulisset; eos quoque hoc aut simili ornandos epitaphio censerem:

☧ SACERDOTIBVS · MAGNAE · ANIMAE · PRODIGIS ☧
QVOS · AEGRORVM · CORPORIBVS · ET · ANIMIS
OPITVLANTES · VIS · PESTIS · ABSVMPSIT
D · D · PVBLICE
Q · Q · V · P · LX ·

Sodalibus vero, qui ubique sunt, Caelitum sanctorum cultoribus, id maxime apponendum, quo a ceteris distinguantur. veteres Dei saepe nomine, quem illi colerent,

(1) v. inscr. 212. 213. 215. etc.
(2) v. inscr. 207.
(3) l. 48. p. 556. A. *quod pro libertate depugnantes vitam profudissent*.
(4) Svet. in Cajo c. 3. n. 8.
(5) p. 12. n. 7. 8.
(6) phil. 14. c. 12. n. 31.

et si geminae sodalitates, loco etiam, quo convenirent, indicato designabant (1). ego eos quoque probabo, qui munus eorum praecipuum proferant, quemadmodum aliis in titulis legimus, *Qui Sacris Publicis Praesto Sunt* (2), *Qui Ipsi* (Hadriano Aug.) *Et Sacerdotibus Et Magistratibus Et Senatui Apparent* (3). quare epitaphium hujusmodi confici poterit:

LOCVS · SEPVLTVRAE
SODALIVM · MARIALIVM
QVORVM · SVMPTV · ET · CVRA
PEREGRINI · OMNES
IN · VRBE · IN · AGRO · MORTVI
EFFERVNTVR
IN · FRONTE · P · LXX ·
IN · RECESSV · P · XXXX ·

quidam contra sodales istos ab amictu appellandos duxerunt, quo induti supplicationes habere, atque in funus prodire solent. Polae epitaphium est, quod subjiciam, a Boldonio etiam prolatum (4),

PVLLATI · SODALES · CRVCIFIXI · CHRISTI · PIENTISSIMI
HOC · SIBI · CONDITORIVM · HABENTO
IOSEPHVS · AVRIFEX · FLAMINIVS · PADVANVS
MAGISTRI · SODALITATIS
FECERVNT
ET · SIBI · M · D · C · V ·

appositum autem consulto ante nomen scripsisse videtur, ne quis illud temere ad sequentem casum referret.

At quae tandem, inquies, inscriptio in communi miserae plebis sepulcro incidetur? quum vetera exempla, quae exstant (5), minus certa sint, eaque dictionis plane singularis, nemo reprehendat, opinor, si quis titulum inscribat hujusmodi:

A ☧ Ω
DOMVS · MORTALITATIS
CINERIBVS · ATQVE · OSSIBVS
REVICTVRIS

III. Sepulcrorum communium epitaphia omnis generis proprias interdum habent clausulas, de quibus etiam hoc loco dicendum est; quamquam pleraeque formularum, quae nostris conveniant moribus, libro tertio describentur. eae fere sunt testamentorum particulae, mandata, exceptiones et hujusmodi, quae crebro quidem apud Gruterum aliosque leges; at perraro sine mendo, saepe nec latine nec grammatice scripta reperies. sed digna omnino, quae describatur, epitaphii appendix quaedam et clausula ex lapide nuper Ravennae invento, quem olim in familiaris monumenti latere inclusum fuisse puto, Cajetani Marinii haec quoque symbola est (*a*).

(1) v. inscr. 205. 206. 215.
(2) Grut. p. 269. n. 2.
(3) Fabr. p. 450. n. XIII.
(4) Pol. Inscr. p. 372. n. 102. Bold. Epigr. l. 2. p. 49.
(5) v. inscr. 220. 221.
(*a*) Hanc postea Marinius edidit Fr. Arv. p. 270. quam prius vulgaverat Spretius Inscr. Ravenn. t. 1. p. 258.

LIBERTI · LIBERTAE
PRISCI · AVG · L · GAMIANI
EX · TESTAMENTO · DESCRIPTV · ITA · VT
CAVTVM · ERAT · SVBSCRIPSER ·
LOCVS · MONIMENTI · SIVE · AGER · EST · VIA · LATIN ·
AD · MILLIARIVM · V · SVPRA · PONTEM · AD
MONIMENTVM · GAMI · CAESARIS . AGATHOCLIANI
DO · LEGO · LIBERTIS · MEIS · VTRIVSQVE · SEXSVS
POSTERISQVE · EORVM · ET · IIS · QVOS · MANV
MITTI · ROGAVI . IBIQVE · TABERNAM · FIERI
INQVE · EAM · CONSVMI · HS · N · IↃↃↃ · (1)
ARBITRATV · AGATHANGELI · COLLIB ·

jamvero liberti quidam aliquando excepti, quod male de patronis suis meriti essent (2). saepius vero exclusi a monumento haeredes exteri, ii nempe, qui gentiles non forent; et caussa interdum, cur excluderentur, adjecta est (3):

D · M ·
T · AELIVS · AVG · LIB · FAVSTVS
ET · AELIA · ARCTE · VXOR · FECERVNT
VIVIS · SIBI · ET · LIBERIS · SVIS · ITEM
LIBERTIS · LIBERTABVSQVE · SVIS · ET
POSTERIS · EORVM · ITAVT · NE · DE
NOMINE · SVO · AVT · FAMILIA · EXEAT
VT · POSSIT · MEMORIAE · SVAE · QVAM
DIVTISSIME · SACRIFICARI

iis scilicet sacrificiis, quae alibi *Profusiones Parentales* vocantur (4).

Deinde ipsi aliquando defuncti posteritatem de haereditario sepulcri jure docentes inducuntur: sic apud Fabrettum in libertorum Valeriae gentis sepulcro post multa eorum nomina subscriptum inferius est (5):

L · VALERIVS · PAPIA · HVNC · LOCVM · MONV · RELIQVIT · L · VAL · HIERONI · HEREDI · SVO
HIERO · L · VALERIO · AMPHIONI · ET · DIOGENI · HEREDIBVS · SVIS
INDE · NOBIS · REL · EST

quia vero nonnullis locus monumenti et in urbe a senatu, et in municipiis a Decurionum ordine honoris caussa adsignabatur, ipsa aliquando decreta ad monumenti latus incisa esse videmus, e quibus est, quod Fabrettus (6) vulgavit, Decurionum municipii suburbani, nunc vici, quem Marinum appellant: qui universi LOCVM · QVI · EST · EXTRA PORTAM · MEDIANAM · IN · QVO · COLVMNAR · FVIT · AB · EO · LOCO · IN · QVO · SCHOLA · FVIT · LONG · P · LXVII · AD · RIVOM · AQVAE · ALBANAE · LATVM · A · VIA · PVBLICA · IN · AGRVM · P · X · M · IVNIO SILANI · L · MONIMO · POSTERISQVE · EIVS · HONORIS · CAVSSA · DARI · CENSVERVNT · eodem pacto veteres eas quoque litteras, quibus sibi locus monumenti ac jus inferendorum corporum vel a Principe vel a patronis aut ab amicis concessum esset, in ipso monumento incidendas aliquando curabant: quarum litterarum exempla exstant (7).

Comminationes etiam et multae in sepulcrorum violatores non raro adjectae, quicumque locum monumentumque donare, vendere, abalienare ausi essent; formulas ipsas libro tertio leges (8). spatium vero sepulcri religiosum eodem modo descriptum, quemadmodum in ceteris epitaphiis saepe indicatur. illud hic proprium, ut si monumentum a pluribus communi sumptu aedificatum, ac loca deinde singulis sua adsignata essent,

(1) *sestertios n.* 50000.
(2) v. inscr. 214.
(3) Fabr. p. 715. n. 367.
(4) v. eumd. p. 221. H. et Maff. M. V. p. 146. e. 1.
(5) Fabr. p. 158. n. XXVII.
(6) p. 463. n. 95.
(7) v. inscr. 137. et Grut. p. 874. n. 5. etc.
(8) v. inscr. 210.

id quoque adscriberetur, quantum scilicet spatii cuique pro portionibus debebatur (1),

D · M ·
T · FLAVIVS · HERVETVS
FECIT · SIBI · ET
FLAVIAE · AELIANAE
FILIAE · KARISSIMAE
ET · CONLIBERTIS · SVIS
POSTERISQVE · EORVM
P · P · ∽ ∽ ET · T · FL · PHILETVS · C · S · P · P · ∽ ∽
ET · T · FL · EPITYMETVS · C · S · P · P · ∽ ∽

ad Hervetum nempe, et quos nominarat, monumentum pertinebat *Pro parte tertia* sive unciis quatuor, quae trientem faciebant. quia vero cum Herveto Philetus et Epitymetus *Communi Sumptu* illud exstruxerant, pars item tertia utrique, sive unciae quatuor tribuuntur: veteres enim ut haereditatem quasi assem, sic res plerasque in duodecim partes dividebant. ceterum qui sepulcra haeredibus communia fecerant, hoc solum aliquando inscribendum curarunt, quantum cuique ex haereditate obvenisset, tantum ei loci in monumento relictum esse (2):

DIS · MANIBVS
CLODIAE · T · F · SATVRNINAE
HOC · MONIMENTVM · SIVE
SEPVLCRVM · SE · VIVA · FEC·
IN · FRONTE · P · VIII · IN · AGR · P · VIII ·
HVIVS · MONIMENTI · SIVE
SEPVLCRI · IVS · AD · HERE
DES · EIVS · PERTINET · PRO · POR
TIONIBVS · QVA · QVIS · TESTA
MENTO · EIVS · SCRIPTVS · EST

III· Expositis jam iis, quae ad hominum epitaphia pertinebant, erit fortasse, qui nolit, ea indicta esse quae aliquando in animantium tumulis incisa sunt: quippe tumulos utique, nedum effigies his et simulacra veteres posuerunt. mitto Graecos, quos inter Alexander Bucephalon suum extulisse, et urbem nomine ejus tumulo circumdedisse dicitur (3); Augustus quoque, inquit Plinius (4), equo tumulum fecit, *de quo Germanici Caesaris carmen est*. de Hadriano autem haec Spartianus: *Equos et canes sic amavit, ut eis sepulcra constitueret* (5); *Borysthenì* in primis Alano equo, in quem non unum epigramma ab eodem scriptum est. et *Volucri* equo factionis prasinae Lucius Verus simulacrum aureum vivo, sepulcrum mortuo item fecit, ut a Capitolino traditum est (6); nec mirum videri debet, id in ea urbe obtinuisse, in qua et corvo *funus*, utar Plinii verbis (7), *innumeris celebratum exsequiis, constratum lectum super Aethiopum duorum humeros praecedente tibicine et coronis omnium generum, ad rogum usque, qui constructus dextra viae Appiae ad secundum lapidem in campo Rediculi appellato fuit*.

Haec et alia hujusmodi veteres scriptores memoriae prodidere, quae deinde quibusdam imitatione digna visa sunt. sive ex levitate, sive quod ingenium experiri voluerunt (8): itaque et libellus olim prodiit in lucem hoc titulo, *In Obitum Aldinae Catellae Lacrimae Poeticae* (9). quae catella fuerat Hieronymi Aleandri junioris: nec jam alia desunt exempla, quae proferri possint.

(1) Anecd. Litt. Rom. vol. 1. p. 473. n. 33.
(2) Grut. p. 866. n. 7. v. et p. 871. n. 8.
(3) Plin. H. N. l. 8. c. 42. n. 64.
(4) ibid.
(5) in Hadr. c. 20. v. ibid. Salmas.
(6) in Ver. c. 6.
(7) H. N. l. 10. c. 43. n. 60.
(8) V. Nov. Fior. an. 1752. p. 550. etc. et Polam Inscr. p. 462. et Lips. Cent. 3. ad Belg. ep. 90.
(9) Paris. 1622.

Ceterum epitaphia animantium multa quum exstent sive graece sive latine scripta; quae quidem antiqua et germana jure putes, ea versibus omnia constare videas: at quae ficta aut certe sublesta fide habentur, haec stilo nostro perscripta esse reperies; ut carminis plane atque poëtarum argumentum antiquitus id habitum videatur. edidit quaedam Fabrettus (1); sed de omnibus fere et ipse et Maffejus addubitant. quare si quis hujusmodi scriptione ludere velit, antiqua exempla ne quaerat, eaque utatur licentia, qua usi alii sunt. nihil haec ad rem nostram.

Adnotabo tamen, si cui haec placeant, in venatorum sepulcris canes aliquando effictos esse, atque sub his nomina eorum incisa (2);

DIDIO
AVRA THREMMATIO CHRYSIS
ALVMNO
EDVCATORES

atque *Aura* quidem, ut anaglypta ostendunt, apros, *Chryside* vero lepores venabatur Didius; quae canum nomina in veteri etiam gemma se legisse testatur Fabrettus Graecis inscripta litteris.

Praeterea cippum in museo Capitolino saepe vidi *Manibus* dicatum *Conditoris Gregis Russatae*, id est, ut Turnebus volebat (3), Αλειπτου των ιππων, quo in cippo non modo equi duo insculpti, et nomina eorum adscripta, sed color etiam et genus cujusque et circenses victoriae leguntur (4):

AQVILO · N · K · AQVI
LONIS (5) · VICIT · CXXX ·
SECVND · TVLIT
LXXXVIII ·
TER · TVL (6) · XXXVII ·

HIRPINVS · N · AQVI
LONIS · VICIT · CXIII ·
SECVNDAS · TVLIT
LVI · TER · TVL ·
XXXVI ·

D · M ·
CLAVDIA · HELICE
FEC · L · AVILL · DIONYSIO
COND · GR · RVSSATAE
CONIVG · DIGNISSIM ·

nec jam plura de his: ne modum, qui magnis etiam in argumentis orationi adhibendus est, levi tenuique in re excessisse videamur.

(1) a p. 331. n. 491.
(2) Fabr. p. 330. n. 488.
(3) Advers. l. 18. c. 33.
(4) Grut. p. 338. n. 5. Fabr. p. 276. n. 167.
(5) *Niger Kaesius Aquilonis pullus*.
(6) *Tertias Tulit*.

CAPVT IIII.

De inscriptionibus historicis

§. I.

DE RATIONE GENERIS VNIVERSA

I. Genus jam inscriptionum aggredimur, quod non rebus celebrandis, sed memoriae publicae retinendae inventum est. sive enim clarorum virorum magistratus aut res gestae recensentur, sive operum publicorum auctores produntur, sive dominorum jura privataeque conventiones indicantur; ita semper narratio institui solet, ut exornationem quidem non respuat, sine ulla tamen virorum aut rerum commendatione absolvatur. porro eandem ob caussam nullum hic initiales dedicationum formulae locum habent, faciuntque inepte, qui sacrarum inscriptionum initio illo D · O · M · tamquam omnium titulorum communi proprioque temere utuntur. quamquam ii magis etiam reprehendendi, qui ad poëtarum ineptias abiere; a quibus sic aliquando historica inchoata inscriptio est (1), *Loci Genio Et Nymphis Sacrum*, aut *Loci Genio Amoenique Littoris Hospitibus Nymphis*, et aliis hujusmodi initiis, quae antiquis quidem inopportuna visa essent; nobis et irreligiosa videri debent. exemplum ex his unum liceat subjicere (2),

L · GENIO · ET · NYMPH · S ·
QVAS · OLIM · AQVAS · CIVIVM · COMMODIS
MAIORES · HVC · DERIVARANT
DEHINC · LABRI · ANGVSTIA · IN · PERNICIEM
VERTERAT
INNOCENTII · XII · PONTIF · MAXIMI
PROVIDENTIA
LAXIVS · FLVITARE · SIVIT · CRATERE · AMPLIATO
AD · AETERNAE · VRBIS · SALVBRITATEM
ET · ORNAMENTVM
ANN · D · N · MDCC ·

ecquid Genio et Nymphis cum Pontifice Maximo? addo etiam, cur Roma *Vrbs Aeterna* appellatur, quam idem, qui terrarum orbem, exitus maneat?

Id equidem juris sacra et profana miscendi ne poëtis quidem tribuendum censeo. majorum utique illi habent exempla multo plura, quam vellem, qui avitae religionis et sacrarum disciplinarum prope obliti esse videbantur: adeo a veterum commentis, Christianas etiam res quum ornarent, abstinere non poterant. sed tamen, pace eorum dixerim, nemo id ex antiquis, nobiscum si viveret, facere auderet. nam quis inter eos vel hoc unum admisisse arguatur, ut quum se Epicureum in carminis exordio professus esset, in medio deinde aut in extremo carmine in Stoicorum praecepta relaberetur? si quis adhuc fictis fabulis delectatur, ludat ille versibus quantum libet; at sic veterum sequatur vestigia, ut in eorum commentis totus sit, sacris nostris et religioni omnino pareat: ita fiet, ut vel in joco atque ludo sapere aliquid et sibi constare videatur (3).

(1) v. Egiz. Opusc. p. 233. 249. 252. (2) Egiz. p. 233. (3) v. Racin. Acad. Inscr. t. 15. p. 244.

Quod si poëtae sermo, postquam Christianum se indicio aliquo professus sit, ejus religioni semper ac moribus convenire debet; quanto id diligentius praestandum est in eo litterarum genere, quod etiam dignitatis plenum esse oporteat? in quo sane ipsa dictio poëtica deformare inscriptionem possit, et scriptori notam levitatis imponere, etiamsi religioni minus institutisque nostris adversari videatur. itaque haud miror, repudiatam olim esse Egizii inscriptionem (1), quam ille confecerat, ut Romae ad Tiberinam stationem ripae minoris figeretur: quippe in ea, quum fluvius nominandus fuisset, pro *Tiberi* maluerat scribere *Tiberino Patri*, quod satis insulsum est: esto aliam ipse caussam attulerit, cur inscriptio ejus rejiceretur.

II. Neque vero poëticas tantum loquutiones, sed eas etiam recte vitaveris, quae, quum nulla necessitatem res afferat, novae omnino sint, nec propriae hujus generis censeri possint. habet enim hoc maxime genus formulas suas plane multas ac varias, in quarum locum ut ut Latinas dictiones atque optima verba substituas, ineruditus videare, quod proprias sollennesque ignoraveris. sed tamen haud multum tibi in his vel quaerendis vel eligendis adlaborandum erit, quum magnam earum copiam libro tertio sic adlaturi simus, ut non modo quae cujusque partis propriae sint, ab reliquis separemus, sed etiam quae singulis prope rebus conveniant, totidem fere in articulos tribuamus. tuum erit, his ut contentus sis, quas antiqui probarunt; nec eorum morem sequare, qui narrationem non tam verbis ornare suis solent, quam onerare alienis: quasi vero vel majus aliquid ipsi narrent, quam quod populus Romanus viderit, vel iis, qui olim inscriptiones condiderunt, verba interdum et formulae defuerint, quae factis aut rebus omnibus responderent.

Porro verbosos hujusmodi homines si contempseris, inscriptiones historicas antiquis plane similes et veteri scriptore dignas perfacile conficies. nam in hoc genere non alia fere tractantur, quam quae veteres suis in titulis exposuerunt: ut quum magistratuum quorundam appellationes exceperis, vix aliud jam reliquum sit, quod priscis tantummodo formulis efferri non possit, quae nimirum ad rempublicam atque ad felices bellorum exitus pertinent, quid fere ab his discrepant, quae nunc etiam monumentis mandanda esse ducimus? opera autem publica nonne in eos nunc quoque usus fiunt, in quos olim excitabantur? veterum item ritu fines describimus, loca adsignamus, multa eodem modo alienantur, multa emuntur. quare in ipsis veterum exemplis satis ampla nobis dictionum supellex parata est, ut quidquid ad hoc inscriptionum genus spectat, antiquis germanisque formulis designemus.

III. At quibus utemur temporum notis, qui consules non habeamus? neque enim in hujusmodi titulis negligi hoc potest, nisi forte quum ii nominantur, e quorum magistratibus ipsa sive factorum sive monumentorum aetas cognosci potest. nec vero non his quoque regnum aliquando aut pontificatum adscribi liceat eorum, sub quibus res gestae aut opera absoluta sint, quemadmodum superius diximus, quum de monumentis sacrorum ageremus. at saepe contingit, quod semper in fastis fieri debet, ut ille omnino consignandus sit annus, quo vertente res quaeque peracta est. quapropter erit fortasse ex eruditorum numero qui percontetur, hi ne, quibus plerique tempora distinguunt, communis supputationis anni, an potius qui ab urbe condita, aut alio ab exordio numerantur, Christianis in monumentis consignandi sint? nam Christi annum, inquiunt, qui dum ista scribis, MDCCLXXVIII. dicitur, abhinc quatuor aut quinque annos fuisse, nemo jam ignorat: quos tamen summae si addas, a communi consuetudine recedas, quin veram temporis notam te invenisse certo scias: non enim in una omnes sententia sunt, qui de his disputant; sed alii aliam et habent et confirmant.

(1) opusc. p. 237.

Ego vero nec annos urbis, quos Romani ipsi perraro addiderunt, recte nunc inscribi putaverim, postquam eorum memoriam abjecimus; nec aliam εποχην quaerendam dixerim, quum Christianam omnibus notam communemque habeamus: cujus quidem annis quadriennium aut quinquennium ad inanem ostentationem si quis addat, non ille eruditus, sed amens videatur: etsi autem eos probo vel maxime, qui annorum numerum Graeco more solitarium ac sine apposito scribunt; haud tamen improbem, si quis malit scribere *Anno Dionysiano*, aut ANNO · D · N · vel, ut Lipsius (1), *Anno Christiano*, non tam quod annos amplius mille consuetudinem hanc majores retinuerunt, quam quod annorum initium, quibus tempora distinguimus, a quarto etiam vel quinto aetatis Christi anno sumi, ab eoque anni Christi vocari potuerunt: quum iis non Christi vita, sed annorum ab eo exordio intervalla designentur. ceterum minus vere quidam inscribunt *A Partu Virginis*, *A Die Natali Christi*; inscite autem nec latine, qui malunt *Anno Aerae Vulgaris*: quippe vocem eam aevi sequioris scriptores extuderunt: quamquam veteres aliquando numerorum notas *Aera* appellarunt (2).

§· II·

DE FASTIS

I· *Annales Maximi* antea dicti esse videntur, qui deinde *Fasti* appellati sunt, primaque populi Romani historia fuerunt. *erat enim historia*, inquit Tullius (3), *nihil aliud, nisi annalium confectio: cujus rei memoriaeque publicae retinendae caussa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium pontificem maximum res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus, efferebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi: ii, qui etiam nunc Annales Maximi nominantur*. quo autem stilo confecti essent, paucis idem subinde declarat, *Hanc*, inquit, *similitudinem scribendi multi sequuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt*: quibus in verbis fastorum veluti definitio proponitur; nisi quod veteres haec ipsa diviserunt, atque alia in magistratuum fastis, alia in triumphalibus recensuere.

In illis reges primum descripti, quo quisque anno creatus, quo mortuus: et quae singuli reipublicae caussa domi maxime gessissent. post hos eodem modo magistratuum nomina subjecta sunt et ordinariorum et eorum, qui extra ordinem creati, adjectumque quam hi ob caussam creati essent: tum qui in magistratu mortuus, qui in praelio occisus, et si quis ob illustre aliquod facinus inclaruisset: et quo etiam anno ludi facti aut lustrum conditum aut bella suscepta essent. horum autem fastorum satis expedita ratio est latine scienti, nec aliud fere admonendum est, nisi ut breviter et dilucide et propriis omnia formulis exponamus: quas quidem opportune liber tertius in unum congestas exhibebit.

At vero in triumphalibus fastis duces bellorum recenseri videmus, et quos illi populos nationesque vicerint, quo de his anno, quo die triumpharint. tum si quid ab illis gestum, quod numquam aut perraro alii fecissent, ut qui opima spolia retulerant, id quoque expressum est.

II· Ceterum haec aetati huic nostrae minus conveniunt, aut certe tam raro contin-

(1) in epitaph. suo Antuerp. (2) Nonius c. 2. n. 42. (3) de Orat. l. 2. c. 12. n. 52.

gunt, ut fastis conficiendis materia non sufficiat. quapropter et quae magistratuum et quae triumphorum fastis olim adtributa sunt, recte nunc conjungentur, quo fastos nostros urbanos sive municipales ipso rerum numero pleniores instructioresque efficiamus: in quos ea nempe liceat referre, quae ad civitatem aut ad Principem pertinent, cui oppidum paret: quemadmodum in municipiis olim coloniisque factum esse, fastorum nobis reliquiae quaedam declarant (1); post ea magistratibus municipalibus locus tribuatur suus, cetera etiam signentur, quaecumque memoriae prodenda videantur: quae tamen omnia sic distributa sint, ut cuique appareat, quem ad annum singula spectent. id certe antiquis tantae fuit curae, ut geminis aliquando notis usi sint. effossi nuper Praeneste lapides sunt, partes fastorum municipalium exiguae, e quibus tamen didici, ante municipales magistratus inscriptum in illis Imperatoris nomen cum imperii sive potestatis tribuniciae anno, ac primum simul e consulibus ejusdem anni: ita enim se habet lapidis unius inscriptio (a):

. . . .
. . . . . VI · C · ATEIVS . . . . .
IMP . CAESAR · XXIIX . . . . . .
M · AIMILIVS · LEPIDVS
SVF · I . . . . .
IMP · CAESAR · X . . . .
Q · CAECILIVS · M . . . .
. . . .

Romani porro fasti satis ostendunt, qui annus M. Aemilium Lepidum consulem habuit, eundem tribuniciae potestatis Augusto delatae annum fuisse vicesimum octavum, vicesimumque nonum cum Q. Caecilii Metelli consulatu congruere: qui fuit urbis annus Varr. DCCLX. neque hoc autem, neque superiore anno Augustus consulatum gessit.

Iam sacros quoque fastos probarim, in quibus Pontifices unius Ecclesiae describantur omnes, rebus, quae quisque gesserit, adjectis, et quum templorum conditoribus ac restitutoribus, tum rituum etiam municipalium dierumque festorum originibus indicatis: quae sane in aedium sacrarum atriis prostare, haud parum referat, nedum cupide ab omnibus legantur: quamquam haec in monumentis sacrorum separatim describi possunt.

Neque vero fastos tantummodo scribes, in quibus multorum annorum magistratus, reique publicae vicissitudines aut bella a multis confecta recenseas; sed etiam in quibus non longi temporis res vel ab uno tantum Principe aut duce gestas describas. exemplo enim tibi, ut aliis fuit, Ancyranum monumentum esse potest, praeclara unius Augusti facta complectens. ac fuit etiam aetate nostra, qui res uno bello unoque ab duce gestas scite partitus, quamquam intra sexennium debellatum fuerat, justos tamen et elegantes plane fastos confecerit. is est Guido Ferrarius, quem alibi a stili elegantia commendavimus: scripsit autem fastos rerum a Venetis gestarum Peloponesiaco bello; quod ad bellum Franciscus Mauracenus imperator delectus fuerat. eos ego, quia veteri exemplo caremus, quales ille edidit, non invitus describam: annos tantum suo quosque loco praeponam, quos ille, qua de caussa, nescio, notis minoribus conscriptos in libelli marginem rejecit (2):

(1) Grut. p. 299.
(a) Hanc pleniorem edidit Marinius Frat. Arv. p. 24. unde ipse depromendam putavi.
(2) Ferrar. Inscr. p. 105. prim. edit.

*FASTI · RERVM · GESTARVM · A · VENETIS
PELOPONESIACO · BELLO
MAVRACENO · IMP ·*

AN · M · D · LXXXIIII ·
ICTO · FOEDERE
CVM · CAESARE · ET · SARMATIS
CONTRA · TVRCARVM · REGEM
FR · MAVRACENVS
OB · VIRTVTEM · CRETICO · BELLO · PERSPECTAM
IMPERATOR · DESIGNATVR



REIPVBLICAE · EXERCITVS
CLASSE · IN · IONIVM · NAVIGAT
LEVCADIA · INSVLA · POTITVR
LEVCADEM · EXPVGNAT



REGIVS · PRAEFECTVS
IN · ACIE · CAESVS
BARBARORVM · COPIAE · DISIECTAE
ANACTORIVM · ACTIVM · HALYZAEA
OMNIS · ACARNANIA
RECEPTA



REIPVBLICAE · CLASSIS
PROVECTA · IN · SINVM · AMBRACIVM
EDVCTVS · E · NAVIBVS · EXERCITVS
BARBARI · REPVGNANTES
IN · FVGAM · DATI
NICOPOLIS · CAPTA



TINVS · INSVLA · IN · AEGAEO
ADVERSVS
IMPETVM · REGIARVM · NAVIVM
DEFENSA



AN · M · D · C · LXXXV ·
CLASSIS · ALTERA
IN · AEGAEVM · IMMISSA
REGIAE · CLASSIS · PRAEFECTVS
NON · AVSVS · CONFLIGERE
VSQVE · IN · HELLESPONTVM
ET · PROPONTIDEM
FVGATVS



MAVRACENVS
CLASSE · PROFECTVS
IN · MESSENIACVM · SINVM
EDVCTIS · COPIIS
CORONEN · OPERIBVS · CLAVSIT
OMNIQVE · COMMEATV · PRIVAVIT



HOSTES · AD · M · XII ·
PROPE · VRBEM · CASTRA · METATI
NOCTV · IN · MVNITIONIBVS · OPPRESSI
OPIMA · SPOLIA
RELATA



CORONE · VI · CAPTA
VRBS
OB · VIOLATAM · INDVCIARVM · FIDEM
CLADE · MVLCTATA
CONFIRMATI · LACONES
AD · GERENDVM · BELLVM · CVM · BARBARIS



BARBARORVM · M · X · CAESA · FVGATA
ABEA · GERENNIA
PLERAQVE · MESSENIAE · CASTELLA
RECEPTA · IN · REIPVBLICAE · FIDEM
LACONVM · FINES · EXPLICATI
PROPVLSIS · HOSTIBVS



AN · M · D · C · LXXXVI ·
BARBARI
REFECTIS · VIRIBVS
IRRVENTES · IN · MESSENIOS
SOLO · ADVENTV · REIP · CLASSIS
ET · MAVRACENI
FVGATI



SENATVS · CONSVLTVM
DE · PELOPONESO
IN · REIP · POTESTATEM · REDIGENDA
HOSTIVM · M · XII · DISIECTA
PILOS · MESSENIACA · ET · METHO
SVBACTAE



REIP · CLASSE
SINVM · MESSENIVM · ET · LACONICVM
PRAETERVECTA
ARGOLICVM · INGRESSA
NAVPLIA · PELOPONESI · CAPVT
OBSIDIONE · CLAVDITVR



REGIVS · PRAEFECTVS
ADVOLANS · SVBSIDIO · VRBIS
PROPVLSVS
ARGOS · RECEPTA



CASTRA
AD · NAVPLIAM · COMMVNITA
SI · HOSTES · REFECTO · EXERCITV
AVDERENT · ACCEDERE



HOSTES
A · MVNITIONIBVS · REPVLSI
ITERVM · FVSI
NAVPLIA
AD · DEDITIONEM · COMPVLSA



AN · M · D · C · LXXXVII ·
CLASSIS
IN · ACHAIAM
TRIREMES
IN · SINVM · CORINTHIACVM · IMMISSAE
ADITVM · EXSCENSIONEMQVE
HOSTE · NEQVIDQVAM · PROHIBENTE



BARBARI · VICTI · IN · ACIE
PATRAE · NAVPACTVS
CORINTHVS · ADIECTAE
IMPERIO · REIPVBLICAE
HOSTES
TRANS · ISTHMVM
PVLSI



SPARTA · SVBACTA
CLASSIS · LACONICO · EGRESSA
SARONICVM · SINVM · INVEHITVR
PIRAEVM · APPELLIT
ATHENAS · EXPVGNAT



AN · M · D · C · LXXXVIII ·
MAVRACENVS
APVD · AEGINAM · INSVLAM
LEGATIONE · ACCEPTA
TOTIVS · REIPVBLICAE · SVFFRAGIO
VENETIARVM · PRINCEPS · SALVTATVR



CHALCIDIS
OPPVGNATIONEM · FRVSTRATAM
SARCIVNT
RES · FORTITER · IN · ILLYRICO
GESTAE



AN · M · D · C · LXXXVIIII ·
M · D · C · LXXXX ·
EPIDAVRIA
INACCESSAE · RVPI · INSIDENS
PERTINACI · OBSIDIONE · PERDOMITA
OMNIS · PELOPONESVS
REDACTA
SVB · POTESTATEM · REIPVBLICAE



PVGIO · PILEVSQVE
SOLLEMNI · RITV · SACER
AB · ALEXANDRO · VIII · P · M ·
DONO · MISSVS
MAVRACENO · PELOPONESIACO
PRINCIPI · VENETIARVM
OPTIME · MERITO
DE · CHRISTIANA · REPVBLICA

porro alios item fastos a Ferrario, eosque perelegantes, nuper editos audio, quibus Regis Karoli Emmanuelis domini sui res gestas complexus est; cujus antea opera, quae Novariae idem fecerat, historicis inscriptionibus illustrarat.

Sunt et quidam veluti fasti rerum uno bello a rege Ludovico Magno gestarum, quos Carolus Ruaeus (1) Attico plane stilo perscripsit. sed ne fastis adnumerem, forma ipsa vetat: singulae enim eorum partes singulas honorarias inscriptiones referunt, quales fere in temporariis apparatibus proponi, et qua in statuarum basibus, qua in arcuum frontibus inscribi solent, non tam ut res gestae, quam ut honos ob res gestas habitus designetur. de his autem suo loco dicendum est.

II· Huc jam quis referat, quae *Acta Senatus et Populi* dicebantur, quae quidem Acta diurna ut conficerentur et publicarentur, C. Iulius Caesar Imp. teste Svetonio (2), primus omnium instituit. sed quia haec in Codice referebantur, non in marmore aut in aere incidebantur; nusquam vestigium eorum relictum est. fuere tamen, quod mirum plane videri debeat, qui germana et legitima putarent esse Acta quaedam a multis edita (3), multo antiquiorem C. Caesare aetatem simulantia, in quibus consules legas anni Varr. DLXXXVI. L. Aemilium Paullum, C. Licinium Crassum, quum nullum cetera in his verbum antiquum, nulla vetustatis nota appareat: in quibus praeterea earum rerum fit mentio, quas nunc in librum si quis referat, amens videatur: quae etiam intra paucos annos codices jam tot implevissent, quot nullum plane tabularium capere posset. ea audacter rejicio, nec primus tamen: ea Saxius quoque (4) repudiavit, et ab aliis antea in suspicionem fraudis vocata esse animadvertit. sed si quis acta civitatis suae ad eum modum scribere velit, paginas quidem, ut libet, vel multas impleat; marmora tamen et publicas tabulas parcius fatiget, ac fastis inserenda diligentius eligat.

Fastis item adnumeres, licet, indices decurionum atque sodalium. exemplo esse potest Album Canusinum, de quo dixi ad inscr. XXXXVII. sunt et alia ejusmodi exempla, quamquam perraro integra: ut apud Gruterum (5) Albi particula nescio cujus, unde tamen discas, quae sodalium describendorum ratio fuerit: nam post initium, quod ita deletum est, ut Curatores ibi scriptos fuisse satis liqueat; sic deinde legitur, ORDO SACER · DOMVS · AVG · PALAT · quorum sacerdotum nomina protinus subjecta: post quae scriptum est, ITEM · CLARISSIMI · VIRI, quae post verba senatorum nomina leguntur: tum haec, ITEM · X · PRIMI, subjectis pariter horum nominibus: denique, ITEM · ORDO: post quae cetera sodalium nomina descripta.

Indicem Pontificum Sutrinorum, qui Decuriones creati fuerant, apud eundem Gruterum reperies (6), mutilum illum quidem, sed tamen initio hujusmodi prope intacto:

PONTIFICES · A · COLONIA
CONIVNC · IVLIA · SVTRIN · IN · ORD · RELAT ·

nomina deinde subscripta singulorum ceris tribus, adjectumque cujus in locum sublectus esset. marmor praeterea habet villa Albana, de quo duo viri eruditi scripsere (*a*), Rodulfinus Venutus (7) et Iosephus Scutillus (8): id Gladiatorum indicem refert, qui Silvani sacris, ut opinor, initiati erant, exordio hujusmodi:

IMP · CAES · L · AVRELIO · COMMODO · M · PLAVTIO · QVINTILLO · COS · (9)
INITIALES · COLLEGI · SILVANI · AVRELIANI

duo deinde Curatores cientur et Gladiatorum decuriae quatuor. porro alios etiam, si

(1) exst. int. carmina p. 226. ed. Paris. 1680.
(2) in Iul. c. 20. n. 1.
(3) post Graev. Reines. etc. Murat. p. 610.
(4) in peric. animadv. ad Thes. Murat.
(5) p. 302. n. 2.
(6) p. 302. n. 1.
(*a*) Post Venutum et Scutillum doctam edidit dissertationem eodem super marmore Franciscus Antonius Vitale Romae a. 1763. et Marinius iterum idem vulgavit inter Inscr. Alb. p. 12. et quaedam ad illud illustrandum adnotavit.
(7) Marm. Alb. p. 1.
(8) de Coll. Glad. p. 11.
(9) An. Varr. 930.

quid hoc refert, ejus generis indices fuisse constat, colonorum nempe (1) et servorum (2). ceterum in his omnibus sola fere nomina legi videas, nec annorum seriem ullam expressam esse: ut fasti proprie vereque dici non possint. at fortasse alii non deerant et gladiatorum et aurigarum indices, in quibus victoriae eorum notatis consulibus proderentur: quemadmodum apud Graecos Διδασκαλίαι illae fuerunt, eruditissimis Odericii commentariis nuper illustratae (3), in quibus Tragoedorum et Comoedorum victoriae consignatae erant, et poëtarum et magistratuum nominibus adscriptis: quos quidem fastos Tiberini Arcades imitari possint, ut praestantissimorum poëtarum memoria posteritati propagetur.

Similitudinem quoque aliquam speciemque fastorum gerere videantur inscriptiones quaedam in Aegypto superstites, quas simul edidit Pocockius (4), quamquam, ut a Brotiero adnotatum est (5), omnino mendosas: eas dico, quas exstare voluerunt ii, qui apud Thebas statuam Memnonis vocalem sonum reddentem ex more invisentes, sonum ejus audisse sibi videbantur. qua de re, si vacat, Strabonem (6) legito et Plinium (7) et Tacitum (8) et Spartianum (9). harum nempe inscriptionum non paucae, quum maneat adhuc Memnonium et saxea Memnonis effigies, in utroque hujus crure incisae olim ab advenis, nunc quoque leguntur: e quibus binas proferam, ut edidere eruditi Lipsienses (10), alteram e dextro Memnonis crure, alteram e sinistro descriptam:

ANNO · V · HADRIANI
IMP · N · T · HATERIVS
NEPOS · PRAEFECTVS
AVDIT · MEMNONEM
XIII·MART·HORA·IS·(11)

MITHRIDATICVS · TRIBVNVS
LEG . XXII· DEIOTARIANAE
MEMNONEM · AVDIVI · HORA · I ·

III. Nullum tamen post marmora Capitolina fastorum exemplum haberi verius possit, quam inscriptiones olim in Vaticano repertae (12), in quibus descripta per decurias sodalium nomina, adjectique anni, quibus in collegium quisque cooptatus, et qui ex illis *Ad Numerum* sive *super Numerum* adlecti essent. utinam monumenti pulcherrimi nulla deleta pars foret! quantum inde lumen veteri afferretur historiae? sed pars maxima periit; haec e reliquiis:

DEC · XXVII ·
· · · DLECTVS · AD · NVMERVM · EX · S · C ·
· · · · · · · CAES · AVG · · ·
GERMANICVS
· · · · CLAVDIO · CAESARE · AVG · GERMAN · V ·
· · · R · CORNELIO · ORFITO · COS ·
P · R · C · ANN · DCCCIII ·

is erat *Ti. Claudius Caesar Augusti Filius Germanicus*, qui deinde, ut a Svetonio (13) traditur, *Britannicus* dictus est, ille utique idem, quem Nero rerum potitus veneno sustulit. sequuntur aliorum nomina, qui *Cooptati* tantum dicuntur, ac singuli consulatu diverso. at Titi Caesaris causa nova Decuria instituitur:

(1) Martorell Th. Cal. p. 441.
(2) Vulp. Tab. Antiat.
(3) Romae 1777.
(4) in Itin. Aegypt.
(5) ad Tac. Ann. l. 2. c. 61.
(6) l. 17. p. 816.
(7) H. N. l. 36. c. 7. n. 11.
(8) Ann. l. 2. c. 61.
(9) in Sever. c. 17.
(10) in Nov. emend. ad Graec. Murat. Inscr. p. 75. et 82.
(11) *XIII. cal. Martias Hora Prima Semis.*
(12) Grut. p. 300. n. 1. v. et Fabr. p. 494. n. 188.
(13) in Claud. c. 27. n. 1.

DEC · XXVIII·
· · ADLECTVS · AD · NVMERVM · EX · S· C·
T · CAESAR · AVG · F · IMPERATOR
IMP · CAESAR · VESPASIANO · AVG · III ·
M · COCCEIO · NERVA · COS ·
P · R · C · AN · DCCCXXIIII·

Hos ego fastos ad Sodales Augustales pertinuisse crediderim: hoc certe constat, in illud collegium ab ipso initio super numerum cooptari coeptos, qui e domo Caesarum essent: tum enim sorte quidem ducti, ut ait Tacitus (1), e primoribus civitatis unus et viginti; at Tiberius Drususque et Claudius et Germanicus adjecti. ac de Claudio quidem accuratius traditur a Svetonio (2); *Senatus quoque, ut ad numerum Sodalium Augustalium sorte ductorum extra ordinem adjiceretur, censuit.*

Enimvero haec quoque exempla usui haud raro esse possunt: quum tabulae hujusmodi nunc etiam latine scriptae proponantur, quae urbium decuriones, quae collegiorum sodales exhibent, quo quisque die cooptatus, cujus in locum lectus sit: quoties magistratum gesserit, aut magisterio sit functus: interdum quid hic reipublicae, quid ille sodalitati legarit donaveritve, cujus publici operis aut cujus instituti auctor fuerit: quibus rebus designandis proprias demum formulas liber tertius suppeditabit.

§· II·

DE INSCRIPTIONIBVS OPERVM PVBLICORVM

I· Etsi operum publicorum multa sunt genera, inscriptionum tamen una plerumque forma esse solet: quumque exemplorum vel optimorum non exiguus sit numerus, ita dictionis varia est ratio, idem ut fere in omnibus verborum ordo reperiatur.

Ac primum ab auctore operis exordium esse sumendum, exempla prope omnia clamant: nisi quod non modo senatus aut Princeps, sed ipsi saepe magistratus, quorum cura opus absolutum esset, pro auctoribus habebantur, ut ut sumptus respublica ex aerario suppeditasset: idque in municipiis etiam, quae urbis mores et instituta, quoad poterant, adumbrare conabantur, passim obtinuisse constat (3); hac tamen ubique lege, ut quibus inscriptio patrum decreto data esset, ii se opus tantummodo faciundum aut restituendum curasse, vel certe pecunia publica se fecisse, restituisse significarent. ceteris modo exemplis addito inscriptionem inter Corfinium et Sulmonem nuper inventam in oppido, cui nunc *Prezza* nomen est, olim *Lavernas* fuisse, disces (4).

L · STATIVS · CN · F · CHILO
L · PETTIVS · C · F · PANSA
C · PETTIVS · F · F · (5) GEMELLVS
L · TATTIVS · F · F . COX
MAGISTRI · LAVERNEIS
MVRVM · CAEMENTICIVM
PORTAM · PORTICVM
TEMPLVM · BONAE · DEAE
PAGI · DECRETO · FACIENDVM
CVRAVERVNT · PROBARVNTQ·

Collegiorum tamen sodalibus, qui in magisterio essent aut fuissent, communis ap-

(1) Ann. l. 1. c. 54.
(2) in Claud. c. 6. n. 4.
(3) v. inscr. 230. 231. 246.
(4) Anecd. Litt. Rom. t. 2. p. 466. n. 15.
(5) *Fausti Filius.*

pellatio aliquando praeposita est. exemplo sit lapis Forosemproniensis: in quo quidem Augustales Seviros tredecim inscriptos esse puto, ut viam intra biennium stratam, sive sex prioribus Seviris inchoatam, sex posteriorum annuo magisterio absolutam esse constaret: ex his vero unum in seviratu obiisse, ejusque loco factum, qui tertius decimus numeratur (1).

AVGVSTALES · VI · VIR ·
C · PESCENNIVS · C · L · CLEMENS
C · VETTIENVS · C · L · TIRO
L · MAENVS · L · L · PHARNACES
C · VERNASIVS · C · L · EVMOLPHVS
C · VEIANVS · C · L · EPAPHRA
L · LVCILIVS · Ɔ · L · CHRESTVS
CN · VETTIDIVS · CN · L · OPTATVS
C · VTTIEDIVS · C · L · QVARTIO
C · CVPPIENVS · C · L · SVCCESSOR
L · MAELIVS · L · L · AGATHOBVLVS
L · CATELLIVS · L · L · BARBARVS
SEX · FIRMIVS · SEX · L · PRIMIO
CN · RVSTIVS · CN · L · CLARVS
VIAM · LONG · P · ∞ · CLXV · EX · D · D ·
SVA · PECVNIA · STERNEN ·
CVRAVERVNT

Sunt et inscriptiones quaedam optimae notae, quae ante ipsos operum publicorum auctores nomen Principis referant: quod duplici ratione factum esse reperio. alii enim, ac milites maxime, ad indicium temporis inscripserunt: quemadmodum hic habet titulus, quem ad ripam Danubii ultra Orsovam legit Marsilius (2) in ipsa rupe, quam legiones duae exciderant, viae muniendae caussa:

TI · CAESARE · AVG · F ·
AVGVSTO · IMPERATORE
PONT · MAX · TR · PONT · XXX ·
LEG · IIII · SCYTHIC · V · MACED ·

cujus item consuetudinis specimen habes hoc altero in titulo, quem ad vallum Britannicum posuere milites Vexillarii legionis sextae Victricis, postquam pro sua parte opus passuum quatuor millium centum quadraginta et unius perfecissent, murum scilicet alium cespititium, quem Antoninus, ut a Capitolino accepimus (3), ultra Hadriani vallum submotis barbaris, duci jusserat (4).

IMP · C · T · (5) AELIO
HADRIANO · ANTONINO
AVG · P · P ·
VEX · LEG · VI . VIC ·
P · F · (6) OPVS · VALLI
P · ∞ · ∞ · ∞ · ∞ · C · XLI ·

porro eodem referas initium illud EX · AVCTORITATE, quum opera auctore Principe exstructa refectave sunt: quod a Vespasiani Aug. aevo saepe in titulis usurpatum reperias (7). itaque nuper iisdem verbis inscriptionem Musei Kircheriani inchoavi:

(1) Fabr. p. 406. n. 316.
(2) Danub. t. 2. p. 127. n. 3.
(3) in Ant. Pio c. 5.
(4) Fabr. p. 736. n. 619.
(5) *Caesare Tito.*
(6) *Per Fecerunt.*
(7) Grut. p. 190. n. 5. p. 197. n. 4. 5. p. 198. n. 3. 4. p. 199. n. 1. etc.

EX · AVCTORITATE
PII · VI · PONT · MAX ·
FRANC · XAVERIVS · ZELADA · CARD ·
III · VIR · COLLEGIO · R · MODERANDO
MVSEVM · KIRCHERIANVM · RESTITVENDVM · CVRAVIT

Alii autem Principis nomen ita initio usurparunt, ut opus suum illi se dedicare significarent: perinde quasi eo potissimum consilio inchoassent ac perfecissent, ut Principis esset ac diceretur. atque haec quidem municipiorum consuetudo fuit ad gratiam ab Augustis ineundam, vel ut opus suum gloriae sempiternae commendarent. itaque sententiam suam aliquando indicabant, exorsi inscriptionem ab ea formula HONORI vel IN HONOREM (1): quam ego nuper consuetudinem, Tarracinae quum essem, revocandam putavi in ea inscriptione, quam ibidem rogatus feci: quae scilicet in novae portae fronte poneretur, in eam municipii partem patentis, quae PII · VI · PONT · MAX · hospitales aedes novo murorum ambitu amplectitur:

HONORI
PII · VI · PONT · MAX ·
PARENTIS · PATRIAE · ET · MVNICIPI
OB · CAELI · SALVBRITATEM · RESTITVTAM
VBERVMQ · AGRORVM · FINES · PROLATOS
ORDO · ET · POPVLVS · TARRACINENSIS
ADVENTV · OPTIMI · PRINCIPIS
POMOERIVM · AMPLIAVIT

alias veteres ipsum Principis nomen, ut honorariis in titulis fiebat, dativo casu efferebant. exemplum tibi ex Grutero subjiciam, quod ad viam aliquam aut pontem pertinuisse, manifestum est (2):

IMP · CAESARI · DIVI
TRAIANI · PARTHICI
FIL · DIVI · NERVAE · NEP ·
TRAIANO · HADRIANO ·
AVG · PONT · MAX · TRIB ·
POTEST · COS · II · P · P ·
IIII · VIR · VIAR ·
Q · TAMVDIVS · Q · F · PALAT · GRAIVS · VIENNA
L · AVRELIVS · L · F · OVF · TYRANNVS · INTERAMN · NAHAR ·
TI · IVLIVS · TI · F · STEL · VERECVNDIANVS · BONONIA
Q · TAMVDIVS · SEX · F · ARRIVS · REATE
FAC · CVR ·

Haec tamen initia sic in municipiorum inscriptionibus usurpata, ut ne Romae quidem peregrina essent. ipse Augustus, Plinio si credimus (3), HONORI · OCTAVI · PATRIS SVI in Palatio super arcum in aedicula columnis adornata opus Lysiae dicaverat: id erat quadriga currusque et Apollo ac Diana ex uno lapide. atque eodem deinde modo, sed tamen ut privatos decebat, modestius, honoris caussa carorum quisque suorum nomina coepit inscribere, quae modo inferius (4), modo in ipso tituli exordio legebantur (5):

(1) v. inscr. 244. 245. et Maff. M. V. p. 210. n. 5.
(2) p. 248. n. 6.
(3) H. N. l. 36. c. 5. n. 4. §. 10.
(4) v. inscr. 247.
(5) Maff. M. V. p. 125. n. 5.

NOMINE
Q · DOMITII · ALPINI
LICINIA · MATER
SIGNVM · DIANAE · ET · VENATIONEM
ET · SALIENTES · T · F · I ·

Iamvero quae opera alius fecerat, alius restituerat, sive etiam alius inchoaverat, alius absolverat, in eorum inscriptionibus utriusque facta mentio est: etsi hanc aliquando laudem Augustus neglexit, cujus illa sunt verba in monumento Ancyrano: *Sertorium Et Pompejum Theatrum Vtrumque Opus Impensa Grandi Refeci Sine Vlla Inscriptione Nominis Mei*. Tiberius certe absoluto Brixianorum aquaeductu, quem Augustus inchoaverat, et suum et Augusti nomen in titulo inscribi jussit (1):

DIVVS · AVGVSTVS
TI · CAESAR · DIVI
AVGVSTI · F · DIVI · N ·
AVGVSTVS
AQVAS · IN · COLONIAM
PERDVXERVNT

sic balineo apud Fanestres iterum restituto, in nova inscriptione et conditoris mentio facta et primae restitutionis (2):

T · VARIVS · T · F · POL · RVFINVS
GEGANIVS · FACVNDVS · VIBIVS · MARCELLINVS
EQVO · PVBL · QVINQVENNALIC · NOMINE · SVO · ET
T · VARI · LONGI · FILII · SVI
BALINEVM · A · L · RVFELLIO · SEVERO · P · P · TR · (3) FACTVM
QVOD · RES · PVBLICA · A · NOVO · REFECERAT · INCENDIO · EX · MAXIMA · PARTE
CONSVMPTVM · OPERIBVS · AMPLIATIS · PEC · SVA · RESTITVIT

recte autem et operum auctoribus jam vita functis titulos adscribes aliquos ex iis, quibus in vita quum essent, quasi propriis utebantur. numquam enim a veteribus omnes omissi, quin potius additi aliquando omnes, ut Nervae a Trajano (4):

IMP · CAESAR
NERVA · AVG · CEN·
PONTIF · M · TRIB·
POTEST · III · COS · IIII · P · P·
VIAM · A · TRIPONTIO · AD
FORVM · APPI · EX · GLAREA
SILICE · STERNENDAM
SVA · PECVNIA · INCOHAVIT
IMP · CAESAR
NERVA · DIVI · NERVAE
FILIVS · AVG ·
GERMA · · · ·
TRIB · POTEST · COS · III·
CONSVMMAVIT

Titulorum vero et magistratuum munerumque omnium is ordo est, quem in honorariis inscriptionibus adhibitum esse diximus. nullam tamen his laudem addidere, nullumque appositum, nisi quod dignitatis ac muneris proprium perpetuumque videretur. quippe inscriptionis non alius auctor putabatur, quam qui et operis erat: quem sane plaudere sibi et res suas laudibus praedicare non decebat. nam quod operis auctor non

(1) Maff. Ver. Ill. l. 11. n. 27. v. inscr. 238. 239. et 242. lib. 1.
(2) rep. Fani an. 1779.
(3) *Pecunia Publice Tributa*.
(4) Chaup. Vill. Horat. t. 3. p. 391. sed hic emendatior.

primae sed tertiae personae figura loquens inducatur, Latinae id consuetudinis erat, quam etiam in epistolarum titulis servatam esse videmus. nec tamen exempla desunt, in quibus auctori persona prima tribuatur: quae inter mutilam Pollae in Lucania inscriptionem recenseas, a Morisano Reginis suis adnumeratam: in qua post nomen M'. Aquilii, sive ejus, quicumque fuit, qui illam provinciam susceperat, protinus haec sequuntur (1): *Viam Fecei Ab Regio Ad Capuam Et In Ea Via Ponteis Omneis Meiliarios Tabelariosque Poseivei*. enimvero vel hac una de caussa falsam fictamque Emeritae in Hispania inscriptionem jure edixeris, quod Augustus res suas celebrans inducatur: haec enim in ea leguntur (2): ORBE · MARI · ET · TERRA · PACATO · TEMPLO · IANI CLVSO · ET · REP · PO · ROM · OPTIM · LEGIB · SANCTISS · INSTIT · REFOR · VIAM ····· GADES · VSQVE PERDVXIT: quibus utique verbis Augustus historicis in monumentis semper abstinuit. sed ei jam inscriptioni auctoritatem eripuit nec volens Norisius, quum in numerorum notis haud leve mendum deprehendit (3); id est, COS · XII · TRIBVNIC · POTEST · X · IMP · VIII · dici Augustum, qui quo anno COS · XII · factus est, eodem tribunicia potestate XVIII · ornatus et IMP · XIIII · sit appellatus. multo autem eam gravius notavit Maffejus (4), cui ne Latina quidem videtur, ne dum eo scripta saeculo, quod a scriptorum praestantia aureum nominamus. Quae quum ita sint, quis hac aetate oscitantem eruditorum quorundam doctrinam non increpet, qui saepe historicam ab honoraria inscriptione non distinguentes, magnorum operum conditores, quos laudare volebant, jactantes et gloriosos fecerunt! neque tamen eos etiam a me perstringi putes, qui Principis nomini perpetuos illos addidere titulos, PIVS · FELIX · AVG · PATER · PATRIAE et similia: haec enim Principi vel a Majoribus cum regno imperióque tamquam haereditaria obvenere, vel populorum studio et quodam nationum consensu ac voluntate tributa sunt. itaque his quum utuntur, propriis utuntur appellationibus, quibus non virtutem ipsi suam, sed dignitatem enunciant, ut qui olim *Pii* aut *Frugi* aut *Maximi* nominati sunt, quum in epistolis nomen suum praescribebant, non laudem sibi sed cognomen apponere putabantur; ob eamque rem vel ab inimicis sic appellatos invenias: ut a C. Graccho L. Pisonem, quem quum ille, ut auctor est Tullius (5), in concionem vocari juberet, et viator quaereret, *quem Pisonem*? quod erant plures: *cogis me*, inquit, *dicere inimicum meum*, *Frugi*.

Illud deinde animadvertendum est, non quia eas in historica inscriptione laudes interdictas contendimus, quas sibi operum auctores adrogare videantur, idcirco ne locum quidem ullum commendationi relictum clarorum virorum de quibus mentio ob eorum merita facienda sit. imo vero laus tum aliqua apprime conveniat: qua scilicet operis auctor alium commendet, cujus opem expertus aut consilium sequutus sit. quare olim, quum Senatus Firmanorum, munita jam via, qua ad templum maximum itur, inscriptionem decrevisset; non ego praestantissimum virum ac de illa urbe optime meritum, qui mihi nominandus erat, sine laude commemorandum esse putavi:

(1) Marm. Reg. p. 172.
(2) Grut. p. 149. n. 4.
(3) Cen. Pis. diss. 2. c. 10. p. 196.
(4) Art. Cr. Lap. l. 3. c. 4. p. 294.
(5) pro Fontejo c. 13. n. 29.

S · P · Q · F ·
AVCTORE · VRBANO · PARACCIANO
CARD · ARCHIEP · PRINCIPE
EODEMQVE
OB · SOLVM · EMPTVM · OPERIQ · ADTRIBVTVM
ADIVTORE · MVNIFICENTISSIMO
LOCI · MAIESTATI · AVGENDAE
TEMPLOQVE · METROPOL · CELEBRANDO
EGESTIS · ANTIQVAE · ARCIS · RVDERIBVS
SVBACTO · CLIVO
SVBSTRVCTISQVE · MARGINIBVS
VIAM · NOVAM · A · FORO · AD · IVGVM
AERE · COLLATO · STERNENDAM
CVRAVERVNT
ANN · M · D · C · C · LXXI ·

id certe ipsum veteribus quoque aliquando placuisse, superius ostendi (1): esto, appositis illi usi non sint, nisi perpetuis, quum Principem appellarent (2):

COLLEGIVM
AVGVRVM · AVCTORE
IMP · CAESARE · DIVI
TRAIANI · PARTHICI · F·
DIVI · NERVAE · NEPOTE
TRAIANO · HADRIANO
AVG · PONTIF · MAX · TRIB ·
POT · V · COS · III · PROCOS ·
TERMINOS · POMERII
RESTITVENDOS · CVRAVIT

quo pacto ipsi etiam Principes in operum suorum titulis eos interdum adscribi voluerunt, quorum instantia, ut dicebant, et cura usi essent (3):

IMP · CAESAR
DIVI · NERVAE · NEPOS
DIVI · TRAIANI · PARTHICI · F·
TRAIANVS · HADRIANVS
AVG · PONT · MAX · TRIB·
POT VII · COS · III·
VIAM · A · CARTHAGINE
THEVESTEN · STRAVIT
PER · LEG · III · AVG·
P · METILIO · SECVNDO
LEG · AVG · PR · PR·

Quae jam opera privatorum sumptu fiebant, eorum maxime tituli id quoque non raro referunt, quae auctorem caussa impulerit, quidve ille potissimum spectarit. exempla habes libro primo (4): quibus hoc adde, quod nuper Tibure prodiit (5) (*a*):

(1) c. 1. §. 2. n. 3.
(2) Grut. p. 198. n. 1.
(3) Nov. Fior. an. 1740. p. 111.
(4) v. inscr. 237. 249. 254.
(5) in Mus. Vatic.
(*a*) Ea nunc emendatior ex Marin. Iscr. Alb. p. 231. v. quae de eadem adnotavi ad lib. 1. p. 1. c. 2. p. 123.

FVRIVS · MAECIVS GRACCHVS · V · C · CORRECTOR · FLA MINIAE · ET · PICE NI · ORNATVI THERMARVM DEDICAVIT	DEDICATA · XI · KAL · MAI GALLO · ET · FLACCO · COS · (1)

statua nempe veteris artificii, Venerem, opinor, aut Palladem referens, in Tiburtinis thermis locata a Maecio fuerat: quippe et manus muliebris prope basim reperta, ipsaque in basi pedum vestigia apparent.

Principes contra, cui bono aut qua adducti ratione opera quisque sua facienda curassent, perraro indicarunt. exemplum e paucis est Gruterianum illud, cujus initium vetustas delevit: itaque alii Elagabalo et Alexandro Caesari, alii Maximino et filio tribuerunt; quibus quum plane deberi Gudius contendat, horum nominibus praescriptis subjiciam, uti a Ligorio prodierunt (2):

IMP · CAES · MAXIMINVS
PIVS · FELIX · AVG ·
PONTIF · MAX · GERM · MAXIM ·
TRIB · POTEST · IIII · IMP · V ·
COS · PROCOS · P · P · ET
IMP · CAESAR · MAXIMVS · F ·
GERM · MAX · DAC · MAX ·
PRINCEPS · IVVENTVTIS
LITVS · VICINVM · VIAE · SEVERIANAE
ADSIDVIS · MARIS · ADLVENTIS
FLVCTIBVS · AD · LABEM · RVINAE
LABEFACTATVM · AGGERIBVS
MARINI · OPERIS · A · FVNDAMENTIS
VT · PERICVLVM · COMMEANTIBVS
ABESSET · EXTRVI · CVRARVNT

quid vero caussae sit, cur haec et similia ceteris in titulis non legamus, partitionis tertiae capite altero inquiremus.

II· Animadvertimus supra, in honorariis inscriptionibus auctores monumentorum verbo nunquam fere usos esse, quo se honorem claris viris deferre significarent: at contra est in historicis: vix enim unquam veteres omisere verbum, quo aut susceptam curam, aut opus perfectum, aut sumptus factos indicarent. legi quidem ad pontem Metauri inscriptionem hujusmodi (3):

AETERNI · IMPE
RATORES · DIOCLE
TIANVS · ET · MAXI
MIANVS · AVGVS
TI · ET · PERPETVI
CAESARES
CONSTANTIVS
ET · MAXIMIA
NVS · PONTEM
MATAVRO

at quo tempore studia humanitatis et litterarum celebrabantur, haec in eodem ponte inscripserat Trajanus (4):

(1) An. Varr. 927.
(2) Grut. p. 163. n. 8.
(3) Fabr. p. 398. n. 288.
(4) id. p. 398. n. 289.

IMP · CAESAR
DIVI · NERVAE · F·
NERVA · TRAIANVS
OPTIMVS · AVG · GER·
DACICVS · TRIBVNIC·
POTEST · XIX · IMP · XI·
COS · VI · P · P·
FACIVNDVM
CVRAVIT

res potius ipsa, ut vides, nomenque operis praetermissum, quum incurreret in oculos, nec quisquam legendo haerere posset. nam quod P. Pollio in Beneventana inscriptione Caesarei sui nullo usus sit verbo (1), aliquam ei fuisse caussam, eamque minime communem esse indicavi. itaque facilius exempla reperies, in quibus et operis nomen et verbum etiam desideretur (2), quam quae res ipsas sine ullo verbo enuncient.

Verum si de operis parte aut restituta aut adjecta, non de toto opere ageretur, tum fere accuratius veteres explicabant, quid ipsi tandem faciundum aut restituendum curassent: cujus consuetudinis multa tibi exempla in promptu sunt (3). perraro tamen opus ipsum pronomine *Hoc*, quod nunc vulgo fit, demonstrabant: merito; amens enim sit, oportet, qui alio quaerat, quae ipse tituli locus, ubi sint, satis declarat. equidem pronomina ejusmodi tum probem, quum non res ipsa appellatur, sed communi tantum nomine ostenditur, ut in Graeco illo Diogneti Rhodii titulo a Vitruvio latine reddito, quem scilicet Diognetus ipse helepoli Demetrii Poliorcetae inscripserat, postquam eam machinam hosti ereptam reduxisset in urbem (4):

DIOGNETVS
E · MANVBIIS
ID · POPVLO · DEDIT
MVNVS

tum autem potissimum in antiquis inscriptionibus opera publica nominibus designabantur suis, quum ea titulum legenti non omnia coram obversabantur: ut quae in Reatina inscriptione recensentur (5):

M · M · LARTIENI · SABINI · PATER
ET · FILIVS · QVINQVENNALES · AQVAM
IN · FANVM · SVA · IMPENSA · PERDVXE
RVNT · SALIENTES · QVADRIFARIAM · SVO
LOCO · RESTITVERVNT · CANALES · VETVS
TATE · CORRVPTOS · ET · DISSIPATOS · RESTI
TVERVNT · FISTVLAS · OMNES · ET · SIGILLA
AHENEA · POSVERVNT · TECTA · REFECE
RVNT · OMNIA · SVA · IMPENSA · FECERVNT

praeterea ad operis ipsius commendationem id quoque interdum significatum est, quam brevi temporis spatio absolutum esset (6):

(1) v. inscr. 234.
(2) v. inscr. 235.
(3) v. inscr. 226. 231. 232. 237. etc.
(4) Vitr. l. 10. c. 22.
(5) Don. Cl. 2. n. 17. v. inscr. 230. 244. etc.
(6) id. Cl. 2. n. 31.

C · VALERIVS · C · F · CLAVD · PANSA · FLAMEN DIVORVM · VESPASIANI · TRAIANI · HADRIANI · P · P. (1) BIS TRIB · COH · VIIII · PR · PROC · AVG · PROVINC · BRITANNIAE BALINEVM · QVOD · VI · CONSVMPTVM · FVERAT · AMPLIATIS · SOLO ET · OPERIBVS · INTRA · BIENNIVM · PECVNIA · SVA · RESTITVIT · ET · DEDICAVIT IN · QVOD · OPVS · LEGATA · QVOQVE · REIP · TESTAMENTO · ALBVCIAE · CANDIDAE VXORIS · SVAE · HS · CC · CONSENSV · OBDINIS · AMPLIVS · EROGAVIT

Porro quia tituli fere absoluto jam opere ponebantur, verba plerumque in praeterito usurpabant: suspenso tamen usi verbo aliquando videntur, affixo ante titulo, quam opus perfectum esset (2):

C · CAESAR
AVGVST · F ·
COS ·
VIAS · OMNES
ARIMINI · STERN · (3)

summa etiam pecuniae non raro subscripta, si quid sumptuosius a privatis factum esset, ut constaret, quanto id auctori stetisset (4).

A · RITIVS · A · L · TERTIVS · AVGVSTALIS
TESTAMENTO · VIAM · STERNI · IVSSIT
IN · QVOD · OPVS · EROGATA · SVNT · HS · XXX ·

alias vero si minus summa pecuniae, genus certe explicatum; unde ea nempe obvenisset, aut quomodo parata esset (5). in fastigiis fori Trajani, scripsit Gellius (6), simulacra sita fuisse circumundique inaurata equorum atque signorum militarium, subscriptumque EX MANVBIEIS. pecuniae multatitiae meminit Livius (7), ex qua et signa dedicata et ludi aliquando facti: atque id etiam in antiquis titulis expressum esse, indicat tabella aenea Musei Veronensis (8) Firmi olim reperta, in qua legimus *Quaistores Aire Moltaticod Dederont*. illa demum communia *Ex Aere Collato*, *Pecunia Publica*, *De Sua Pecunia* et similia, quae libro tertio proferemus.

Inscriptionibus operum publicorum, ad quae sumptus ex aerario datus esset, saepe adjecti magistratus, qui de senatus sententia opus perspexissent, et recte factum pronunciassent. nota est Fabricii pontis illa inscriptio (9)

L · FABRICIVS · C · F · CVR · VIAR ·
FACIVNDVM · COERAVIT IDEMQVE
PROBAVIT
Q · LEPIDVS · M' · F · M · LOLLIVS · M · F · COS · (10) EX · S · C · PROBAVERVNT

in aliis soli fere Curatores probasse dicuntur (11): neque tamen haec in Principum inscriptionibus invenies, ut ut ipsi quoque opera non modo *se fecisse*, sed etiam se *facienda curasse* dicant: quibus deinde formulis repudiatis, quidam se *jussisse* inscripserunt (12):

(1) *Praefectus Praetorio*.
(2) Murat. p. 2006. n. 3.
(3) *Sternebat*.
(4) Fabr. p. 708. n. 293.
(5) v. inscr. 235. 237.
(6) N. A. l. 13. c. 24.
(7) l. 10. c. 16. n. 23. l. 30. c. 30. n. 39.
(8) Maff. p. 469. n. 2.
(9) Grut. p. 160. n. 3.
(10) An. Varr. 733.
(11) v. inscr. 229. 230. 240.
(12) Maff. M. V. p. 241. n. 2.

IMP · CAES · L · SEPT · SEVERVS · PIVS · PERT · AVG ·
ARAB · ADIAB · PART · MAX · PONT · MAX · TRIB ·
POT · VIII · IMP · XII · P · P · COS · PROCOS · ET · IMP ·
CAES · M · AVR · ANTONINVS · PIVS · FEL · AVG ·
PART · MAX · BRIT · MAX · GERM · MAX · PONT ·
MAX . TRIB · POT · XVII · IMP · III · COS · IIII · P · P ·
PROCOS · MILIARIA · VETVSTATE
CONLABSA · RESTITVI · IVSSERVNT

primum nempe Severus pater; post hunc Antoninus filius: qui quidem simul *Augustus*, at non simul *Pontifex Maximus* fuerat, nec tribuniciam potestatem ante Severi imperium ceperat, aut capere potuerat.

Tempora denique consulibus adscriptis vix unquam designari solebant, quum opera publica vel Principes vel primarii magistratus facienda curassent: quid enim opus erat, quum ea ipsorum honoribus satis indicarentur? in aliis non id semper neglectum est: exemplo sit inscriptio Vrbanae, quae Colonia Sullana fuit, at Capuae demum (1) Plinii aetate contributa (2):

C · VIBVLLIVS · C · F · STEL ·
LABEO
PRAEF · ALIM · ET · DECVR ·
COL · VRBAN ·
AQVARVM · CVRSVS · REST ·
EX · S · C ·
M · SILVANO · ET
AVGVRINO · COS · (3)

ac nota quidem temporis nunc opus maxime est, quum fasti magistratuum nulli sint, aut certe nemo annos elapsos ex horum nominibus facile internoscat.

IIII. Inscriptionum, de quibus hic agimus, nullae plerumque sunt clausulae: ut narrationem ab auctoris nomine inchoatam, insertis, quae conveniant, appositis, enunciatoque operis argumento, unum fere verbum numerose concludat. in iis tamen, quae opera in solo publico a privatis aut a magistratu, sed privato sumptu, constituta declarant, formula subscripta est, quae locum decurionum decreto datum admoneat (4). tum in publicis municipiorum operibus infra titulum vel dividuis litteris ad latera legimus EX· S· C· qua de re dixi ad inscr. CCXXXXVI. iis vero titulis, qui operibus inscripti sunt ex testamento factis, subjectum aliquando legas, cujus arbitratu opus confectum sit (5). sententiam item aliquam ad latera monumentorum inscriptam nonnunquam invenias, ut in Donii et Maffeii exemplis (6) Graecum illud adagium Ὥρα Καὶ Τύχη. singularis vero Nolana est inscriptio, quam Gruterus a Scaligero accepit: in ejus enim fine acclamatio sive ominatio legitur (7):

C · CATIVS · M · F · IIII · VIR · CAMPVM · PVBLICE
AEQVANDVM · CVRAVIT · MACERIEM · ET . SCHOLAS
ET · SOLARIVM · SEMITAM · D · S · P · F · C · GENIO · COLONIAE
ET · COLONORVM · HONORIS · CAVSSA · QVOD
PERPETVO · FELICITER

Quia vero nova opera quum primum aperiebantur, sive, ut Latini ajebant, dedicabantur, sportulae decurionibus et populo dividi solebant; idcirco hoc etiam in fine aliquando adnotatum est (8), nedum dedicationis annus et dies, quae tamen raro in operis fronte inscribebant.

(1) H. N. l. 14. c. 6. n. 8. §. 2.
(2) Prat. V. App. l. 2. c. 10.
(3) An. Varr. 909.
(4) v. inscr. 249.
(5) v. inscr. 248.
(6) Don. Cl. 2. n. 11. Maff. M. V. p. 126. n. 1.
(7) Grut. p. 109. n. 4.
(8) v. inscr. 249.

Curatores quoque operum publicorum nominatim adscripti, quum auctores generatim appellati essent, quemadmodum Praenestina ostendit inscriptio (1):

LANI · DANT · MAG · COERAVERE
L · LIGVRIVS · L · L · ANTIOCHVS
P · DINDIVS · P · L · DAVOS · CALIDVS
Q · PETRONIVS · Q · L · SALVIVS
SEX · PONTIVS · SEX · L · STABILIO

nec unum occurret exemplum hujusmodi, in quo veluti testamenti particulam leges subjectam, eamque pluribus pariter verbis protractam, quam quibus inscriptio ipsa constet: ex his est, quod in lapide agri Beneventani continetur (2):

M · NASELLIVS · M · F · PAL · SABINVS
PRAEF · COH · I · DALMATAR · ET · NASELLIVS · VITAL ·
PATER · AVG · II · QVINQ · (3) PAGANIS · COMMVNIB · PAGI · LVCVL ·
PORTICVM · CVM · APPARATORIO · ET · COMPITVM · A · SOLO · PECVN ·
SVA · FECERVNT · ET · IN · PERPETVVM · VI · ID · IVN · DIE · NATALE
SABINI · EPVLANTIB · HIC · PAGANIS · ANNVOS · ✠ · CXXV · DARI
IVSSERVNT · EA · CONDICIONE · VT · NON · IVN · PAGVM · LVSTRENT
ET · SEQQ · DIEBVS · EX · CONSVETVDINE · SVA · CAENENT
ITEM · VI · ID · IVN · DIE · NATALE · SABINI · EPVLENTVR · QVOD · SI
FACTVM · NON · ERIT · TVM · HIC · LOCVS · VT · SVPRA · SCRIPTVM
EST · CVM · ANNVIS · ✠ · CXXV · IN · PERPETVVM · AD · COLLEGIVM · MEDICOR ·
ET · AD · LIBERTOS · N · (4) PERTINEAT · VT · II · VI · ID · IVN · DIE · NATALE
SABINI · HIC · EPVLENTVR

atque id etiam animadvertendum, ab ea formula *Quod si factum* sanctionem incipere Nasselliorum, qui poenam irrogant: itaque ex more prima inde persona eos loqui: quod in epitaphiis quoque tritum est.

V· Ne id quidem omittam, titulos operum publicorum exstare quosdam, qui non alia de caussa positi olim fuisse videntur, nisi ut sciret posteritas, quo illa anno condita essent (5):

TI · CLAVDIO · NERONE
P · QVINTILIO · VARO · COS · (6)
CONSTITVTVM · EST

simile huic alterum exemplum est apud Fabrettum (7):

L · VALERIO · VOLESO
CN · CINNA · MAGNO
COS · (8)
K · MART · APSOLVTVM · EST

non hic auctores, non curatores nominatim prolati; sed opus tamen ipsum intuentibus satis constare poterat, pecunia publica atque ex senatus consulto factum esse, siquidem uterque titulus publico operi inhaerebat.

In aliis contra nihil de anno; sed tamen expositum est, a quibus impensa facta esset: quippe id aliquando magis intererat (9):

BALINEVM · REFECTVM
DEC · DECR · PECVN · PVBLIC ·
PARTIS · PELTVINATIVM

(1) Grut. p. 173. n. 3.
(2) Fabr. p. 232. n. 610.
(3) *Augustalis iterum Quinquennalis.*
(4) *N. Nostros.*
(5) Murat. p. 297. n. 1.
(6) An. Varr. 741.
(7) p. 703. n. 240.
(8) An. Varr. 758.
(9) Gioven. Aveja p. 138.

utrumque autem scite uno in titulo conjunxit Ferrarius: qui tamen nullis item curatorum aut magistratuum nominibus distinctus est (1):

AQVAE
VETVSTATE · ET · BELLORVM · RVINA
INTERRVPTAE
RESTITVTIS · DVCTIBVS
REFECTIS · FISTVLIS
AD · VRBANOS · FONTES · PERDVCTAE
PEC · PVB · A · MDCCIL ·

nec plura de his: exemplis haec, velim, adnumeres, quae dictionis singularis appellavimus. at illud quaeri potest, ea ne consuetudo ab antiquis profecta sit, quam Ferrarius aliique celebrarunt, ut picturis et signis tituli satis longi stilo hoc nostro quasi quaedam argumenti enarrationes subscribantur? ego vero, quamquam nullae exstant inscriptiones ejusmodi, quae non aut tabularum dedicatarum tituli aut clarorum virorum ellogia dici possint; minime tamen hoc statui posse arbitror, numquam veteres, ne domi quidem, vel tabulis vel anaglyptis titulos prosa oratione addidisse, quibus argumenta operum explicarent. imo his fortasse delectatus jam fuerat Q. ille Pinnius, ad quem M. Varro tertium de re rustica librum misit: nam Varronis, initio ejus libri, haec sunt verba: *Quum enim villam haberes opere tectorio et intestino, ac pavimentis nobilibus lithostrotis spectandam, parum putasses esse, ni tuis quoque litteris exornati parietes essent.* Sed tamen quum nullae nobis veterum formulae, quibus utamur, nulla, quae imitemur, exempla ejusmodi relicta sint; versus contra sub imaginibus et tabulis scripti passim memorentur (2), et antiquorum plerisque probati sint: eos ego magis et sequar et laudem, qui descriptiones hujusmodi carminibus subtexant, nec morem inducant, qui certo adhuc veterum exemplo caret. de his autem mihi partitione altera dicendum est.

VI· Denique hoc etiam quaeratur, privatas ne domos ulla olim inscriptio historica in ipsa fronte exornarit, eas praesertim, quae *Domus* potissimum appellabantur, aedesque erant magnificentissimae senatorum clarissimorum. equidem exemplum hujusmodi legi nullum, ea si excipias, quae non operum historiam, sed locorum fines tantum et domini nomen exhibent: de quibus mox agetur. jamque in eam opinionem facile adducor, nullam ut olim privatarum aedium inscriptionem fuisse credam, quae conditoris nomen titulosque et operis caussas, impensam, tempus, dedicationem referret. suadent Plinii verba ad Trajanum sic de Nerva pronunciantis (3): *Magno quidem animo parens tuus hanc ante vos Principes arcem publicarum aedium nomine inscripserat.* nimirum Palatinae etiam aedes ante Nervam inscriptione caruisse videntur; neque enim titulum ullum sustulisse ille dicitur, sed primus posuisse, ut eas publicas faceret.

Neque vero ad discrimen titulis opus erat, quum domos plerasque insignia multa distinguerent. vetus enim in urbe mos fuerat, ut qui bella gesserant, domos suas hostium spoliis et nauticis exsuviis ornarent. incendio Neroniano scripsit Svetonius (4) domos priscorum ducum arsisse *hostilibus adhuc spoliis adornatas.* easdem domos senior Plinius (5) his verbis describit: *Aliae foris et circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quae nec emptori refringere liceret, triumphabantque etiam dominis mutatis ipsae domus: et erat haec stimulatio ingens expro-*

(1) Inscr. p. 14. n. 27.
(2) Corn. Nep. in V. Attic. n. 18. Plin. H. N. l. 35. c. 2. n. 2. Martial. l. 9. epig. 1. Plin. jun. l. 1. ep. 17. etc.
(3) in paneg. c. 47. n. 4.
(4) in Ner. c. 38. n. 4.
(5) H. N. l. 35. c. 2. n. 2.

brantibus tectis quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum. porro qui deinde aedes sibi aedificarunt, alios majorum monumenta restituisse, alios nova et elegantiora statuisse crediderim, unde populus Romanus domorum singularum dominos facile agnosceret. et erant tum quoque sua gentibus plerisque insignia, quae, ut in familiarum nummis cusa sunt, sic in aedium frontibus insculpta olim fuisse, credibile est.

Ceterum pro inscriptionibus historicis praeclarae alicubi sententiae incisae sunt, ut illa,

QVOD · TIBI · FIERI · NON · VIS · ALTERI · NE · FECERIS

quam Severus Alexander, quemadmodum a Lampridio traditum est (1), *usque adeo dilexit, ut et in Palatio et in publicis operibus praescribi juberet:* quod Graeci quoque non multo secus aliquando fecerant; quippe testis Plato est in Protagora, dicta Sapientum in templo Apollinis Delphici insculpta fuisse. itaque Macedo ille philosophus Gellii familiaris (2) et hunc Pacuvii versum scribi debere censebat pro foribus omnium templorum:

EGO · ODI · HOMINES · IGNAVA · OPERA · ET · PHILOSOPHA · SENTENTIA

sed de his nihil me attinet dicere: si quem ista delectant, sexcentae sunt omnis generis sententiae sive Graecorum sive Latinorum, e quibus eas legere possit, quae vel sibi vel aedibus suis vel etiam hospitibus conveniant maxime.

§· IIII·

DE INDICIBVS LOCORVM PVBLICORVM PRIVATORVMQVE

1· Inscriptionum, de quibus hic agimus, gemina, opinor, forma est: aliae longiusculae atque ad normam earum confectae, quae operibus publicis praefigebantur; aliae contra breves nullisque Magistratibus insignes, ut ad finium tantum locorumque discrimina positae videantur.

Ac priorum quidem ea erit structura, quae superiorum: verbis tantum diversis utendum erit, quae locum definitum aut recuperatum adtributumve declarent. initium reipsa in antiquis exemplis videas plerumque ab nomine ejus factum, cujus jussu aut auctoritate res acta est, vel etiam ab ipsis magistratibus, qui egerunt (3). nec vero omissi honores aut tituli, quibus Principes ornari solebant. quin et facti quae caussa esset, interdum adscripta, ut in pomerii titulis a Claudio Aug. ampliati; in quibus legimus *Auctis Populi Romani Finibus* (4). et magistratus, qui arbitri ex senatus consulto dati essent, illud etiam aliquando addebant, caussam se ex S · C · cognovisse (5): Princeps autem, quorum ipse opera rem confecisset (6):

(1) in vit. Alex. Sev. c. 51.
(2) Gell. N. A. l. 13. c. 8.
(3) v. inscr· 260. 261. etc.
(4) v. inscr. 259.
(5) inscr. 262.
(6) Fabr. p. 684. n. 84.

IMP · CAESAR
VESPASIANVS · AVG ·
PONTIF · MAX · TRIBVN ·
POTEST · VI · IMP · XIIII · P · P ·
COS · VI · DESIG · VII · CENSOR
LOCVM · VINEAE · PVBLICAE
OCCVPATVM · A · PRIVATIS
PER · COLLEGIVM · PONTIFICVM
RESTITVIT

item cujus exemplar sequutus esset (1):

IMP · CAESAR
VESPASIANVS
AVG · COS · VIII ·
FINES · LOCORVM · DICATOR ·
DIANAE · TIFATINAE · AB
CORNELIO · SVLLA · EX
FORMA · DIVI · AVGVSTI
RESTITVIT

Ceterum inversa quoque oratione usi veteres, et Princeps, arbitri, magistratus obliquo casu scripti, uti hoc aliisque in exemplis (2):

LOCVS · ADSIGNATVS
AB · NIGRO · ET · COSCONIANO
CVR · OP · PVB ·

tum quae quis facile assequi posset, silentio praetermissa, ut in termino agri colonici prope Tarracinam invento (3):

IVSSV · IMPERATORIS · CAESARIS
QVA · ARATRVM · DVCTVM
EST

ipse scilicet terminus, quum medius staret, sulcum illum limitarem designabat, qua triumvirale Octaviani aratrum ductum fuerat.

Clausulae titulorum horum nullae sunt: notaeque temporum fere neglectae: quae tamen ipsi Principes aut magistratus honoribus suis satis designabant: ut ii hodie probandi sint, qui ex more annum Dionysianum adscribant.

II. Reliquae hujusmodi inscriptiones vix legem sequuntur ullam, sive illae privatorum, sive publicorum locorum indices sint; nisi quod nullo ornatu illustres rem brevissime enunciant, et verbo etiam saepe carent: talis est, quae milliario XVII ab urbe Pisis in veteri columna legitur (4):

VIA · AEMILIA
A · ROMA · M · P · C ·
LXXXVIII · (5)

et quae a Sponio afferuntur e termino descriptae, qui fines Aquenses ab Arelatensibus separabat: lapides enim terminales ut agrorum, sic regionum erant atque ditionum (6): inscriptio suos utraque fines spectabat (7):

FIN ·	FIN ·
AQ ·	AREL ·

(1) Pratill. V. App. l. 3. c. 1. v. inscr. 139.
(2) Fabr. p. 712. n. 331. v. inscr. 257. 269.
(3) Grut. p. 199. n. 5. v. Mazoch. in Tit. Camp. Amph. c. 1. p. 52.
(4) Gor. Inscr. t. 3. p. 368. n. 18.
(5) *Millia Passuum* 188.
(6) Ammian. l. 18. c. 2.
(7) Spon. Misc. p. 165. n. 2.

eodem fere modo ager publicus a privato distinctus (1):

FINIS
INTER · PVBLICVM
ET · PRIVATVM

et privata loca quem haberent dominum, sic aut simili modo indicabant (2):

C · LARTI · PARIETES · PRIVATI
PRIVATO · SOLO

cui titulo similes fuisse vidimus, quos ad agrorum suorum fines in cippis incidebant: de quibus ab Herodiano etiam fit mentio, ubi Pertinacis Aug. principatum auspicantis modestiam laudans, vetuisse illum tradit, Imperatoriis possessionibus nomen suum inscribi (3): τοιστε βασιλικοις κτημασιν εκωλυσεν αυτου το ονομα επιγραφεσθαι. enimvero plus aliquid dignitatis index hic alter praefert, quem Maffejus vulgavit (4):

BALINEVM · CLAVDIANVM

sed hunc in ipsa balinei fronte inscriptum fuisse recte duxeris: itaque pro publici operis inscriptione haberi fortasse potest: cui similis titulus alter apud Gruterum in templi fronte insculptus (5):

TEMPLVM
ISIS
EXORATAE

ceteri autem tituli in cippis fere terminisque incidebantur, iique eodem exemplo saepe non pauci (6), quod multis locis termini statuebantur: in quibus et pedes aliquando inscripti, quot quisque eorum a definito loco distaret: titulum hunc Fabrettus e cippo descripsit in urbe prope Doliolum reperto ad vetus monumentum Rusticeliorum (7):

CIPPVS · PRIM
VS · DEFIXVS
ERAT · CONTR
A · ANGVLV
M · DEXTERI
OREM · MO
N V M E N T I
RVSTICELI · ET
ABERAT · AB · TR
VNCO · MON
VMENTI · P · V ·
ET · AB · STRVCT
VRA · AQVAE
CLVSARIS · P · VS · (8)

unus autem cippus satis, nec pedum dimensione opus erat, si locus finitimorum aedificiis circumscriptus esset (9):

AREA
L · MVNATI · PLANCI · L ·
SOSTRATI

haec Latinae breviloquentiae exempla sunto, quam, latine qui sciant, nullo negotio assequentur: nisi forte, quod nolim, vulgarium eos hominum judicia retardent, a quibus breves titulos parum fere probari videant.

(1) Murat. p. 495. n. 2. Grut. p. 200. n. 7.
(2) Grut. p. 201. n. 4. v. inscr. 267. etc.
(3) Hist. l. 2. c. 4.
(4) Mus. Ver. p. 289. n. 6.
(5) Grut. p. 83. n. 9.
(6) v. inscr. 259.
(7) Fabr. p. 239. n. 638. v. inscr. 260.
(8) *Pedes quinque semis.*
(9) Vignol. Inscr. p. 314. n. 3.

Pene oblitus eram, quod hic multi a me quaerant, aliquid etiam de iis titulis subnotare, qui nostra aetate plurimi ponuntur; ad ea nempe loca designanda, quae Princeps inviserit, aut quibus delectatus sit. cujus quidem rei caussa veteres aut nihil, opinor, aut non aliud quam carmen inscribere solebant: nonne hos imitari satius sit, quam eos, qui multis verbis vel nihil dicunt, vel illud, quod non debeant? verum quia non semper repugnare licet, si quando indulgendum amicis erit, hoc maxime conemur, ut inscriptio factum aliquod aut adjuncta, quae commemoratione digna sint, Fastorum more comprehendat. hujusmodi quaedam plane insignia attigisse mihi videor eo titulo, qui nuper prope Circejos in vico Felicitatis positus est:

ANNO · M · DCC · LXXX ·
XVII · KAL · MAIAS
PIVS · VI · PONT · MAX ·
FINIBVS · RENASCENTIS · SOLI
QVA · PALVS · POMPTINA · FVIT · PERAGRATIS
ET · MEMORANDI · OPERIS · MOLITIONE · PROBATA
HIS · AEDIBVS · HOSPES · SVCCESSIT
VICANOS · OMNES
ADMISSIONE · ADLOQVIO · LIBERALITATE
BEAVIT

si nihil hujusmodi inscriptione complecti possis, ut eam ab historicis abludere necesse sit; argumentum jam tibi carmine tractandum, aut certe alio inscriptionum genere utendum erit: qua de re mihi libro tertio dicendum est (1).

§. V.

DE INDICIBVS EORVM, QVAE LEGATA, DONATA, VENDITA AVT EMPTA SVNT

I. Ne hic quidem longo mihi sermone utendum est: pauca enim indices hujusmodi habent propria; nec fere a forma abeunt, qua inscriptiones operum publicorum perscriptae sunt.

Primi plerumque inducuntur, a quibus res aut pecunia profecta est (2): nam exemplum est prope singulare, quod subjiciam (3):

IMAGINVM · DOMVS
AVG · CVLTORIB · SIGNVM
LIBERTATIS · RESTITVTAE
SER · GALBAE · IMPERATORIS · AVG·
CVRATORES · ANNI · SECVNDI
C · TVRRANIVS · POLYBIVS
L · CALPVRNIVS · ZENA
C · MVRDIVS · LALVS
C · TVRRANIVS · FLORVS
C · MVRDIVS · DEMOSTHENES
S · P · D · D ·

DEDIC · IDIB · OCTOBR ·
C · BELLICO · NATALE
P · CORNELIO · SCIPIONE · ASIATICO COS ·

suos autem magistratus, sua cuique munera adscripta passim reperies, quae tamen ap-

(1) in Προλ. §. 1. n. 4.
(2) v. inscr. 273. 274. etc.
(3) Grut. p.238. n. 12. Maffejo suspecta Art. Cr. Lap. l. 3. c. 4. p.309.

positis carent iis, quibus virtutes significari solent: quippe in his quoque titulis ii loqui putabantur, qui donum dedisse dicerentur. quod nunc quidem aliter fit: nam titulos hujusmodi ii fere figunt, quibus donum legatumve obvenerit; nec jam superstitibus illis, a quibus accepere. quare si quis nunc ad benemeritos cives designandos apposito aliquo atque laude utatur, improbandus non est: apparet enim, minime haec ab eo profecta esse, qui beneficium contulerit. idcirco nuper quum mihi prodendi essent, qui ad Museum Kircherianum vel condendum vel ornandum ditandumque plurimum contulissent; haud equidem vitio verti posse putavi, si magno in primis Musei constitutori centum ante annos mortuo, laudem aliquam tribuissem.

Ad veterum exempla ut redeam, quae simplici plerumque dictione perscripta sunt, post honores aut officia cujusque, ea fere recenseri solent, quae legata aut donata sint, tum praesertim, quum non res una, sed plures relictae, atque ab his procul abest titulus, vel uni tantum affixus est (1), eas enim nisi ex inscriptione noscantur, nemo aliunde jam discat. sed si res uno in titulo multae enumerandae fuerint, quid ni etiam, testamento primum universe enunciato, rerum legatarum seriem separatim adjungere liceat? quod et Ferrario probatum vidi; ab eo enim est inscriptio, quae sequitur (2):

IOANNES · DEVICO · NEGOTIATOR · VESTIARIVS
SODALITATI · VINCENTIANAE
SVA · OMNIA · TESTAMENTO · LEGAVIT

HAEREDITATIS · HAEC · SVMMA
AVLAEA · AVRO · ET · ARGENTO · TEXTA · IIII ·
ACV · PICTA · VIII · PERISTROMATIS · PVRPVRATI
CONCLAVIA · II · CITRINI · TOTIDEM · CVM · LECTVLIS
ET · OMNI · INSTRVMENTO · ET · SEDIVM · CONCOLORVM
PARIBVS · XII · SEDECVLIS · IIII · SEDILIBVS · GEMINIS
SPECVLA · PRAEGRANDIA · CVM · ABACIS · AVRATIS · IIII ·
LYCHNI · CVM · LVCIBVS · XVIII · RADIATI · EX
CRYSTALLO · IIII · BRACTEATVS · ARGENTO · VNVS
MENSAE · BRASILICAE · GEMINAE · EX · MARMORE · IIII
SCRINIA · EX · EBORE · III · PICTAE · TABVLAE · MELIORIS
NOTAE · XX · PRAETEREA · INSTRVMENTI · COQVINARI
ESCARI · ET · SVPELLECTILIS · ET · VOLVMINVM · MAGNVS
NVMERVS · CVM · HAEREDITATE · NOMINVM · ET
PECVNIAE · IDEM · VILLAM · SVBVRBANAM · CVM
HORTO · INSTRVCTO · ET · SALTV · AESTIVO · AD
DIVERSANDVM · FERIATIS · DIEBVS · POST · SCHOLAS
MYSTERIORVM · ET · SACRAS · PRECES · SODALIBVS
DEDIT · AN · M · DCC · LXI ·

Iam pecuniam qui legabant donabantve, illud quoque addidisse invenies, quem in usum quodve ad opus darent (3). alii beneficia etiam commemoranda putaverunt, quae ipsis aut filiis eorum collata essent, et gratiam se referre, donumque ejus rei caussa se dare, donare professi sunt (4):

(1) v. inscr. 274. 278. etc.
(2) Inscr. secund. edit. p. 269.
(3) v. inscr. 273. 280.
(4) Grut. p. 99. n. 9.

P · CORNELIVS
THALLVS
P · CORNELI · ARCHITECTI · FIL ·
MAG · QVINQ · COLL · FABR·
TIGNAR · LVSTRI · XXVII ·
NOMINE
P · CORNELI
ARCHITECTIANI · FIL · SVI
ALLECTI · IN · ORDINEM · DECVRION·
FIDEI · SIGNVM · DONVM · DEDIT

quibus autem signum dederit Thallus, ideo adjectum non esse crediderim, quod in ipsa Collegii Fabrûm Schola staret, idque Collegio donatum esse, minime in ambiguo relinqueretur.

Illud demum animadvertes, quum in titulo pecuniae legatae aut donorum fit mentio, quae testamento relicta sint, arbitrorum aliquando aut haeredum subjecta esse verba, quibus ea se praestitisse ostenderent, quaecumque testatores fieri jussissent (1). aliae hisce in exemplis clausulae vix unquam occurrent: ipsi etiam consules annorum indicandorum caussa perraro adscripti (2), quod saepe magistratus in ipsis titulis nominentur. ceterum nomina interdum haud omissa eorum, in quorum honorem aliquid alicui concessum esset, ut quum locus sepulturae dabatur publice (3):

IVLIAE · PLEBEIAE
IN · HONOREM
ALEXANDRI · ET · DEME
TRI · CAESARIS · AVG · L·
EX · DECRETO · DECVR·
OLLA · PVBLICE · DATA · EST

atque id multo rectius significaveris, quum aliquid datum legatumve sit religionis caussa: nam inde fere dignitatis plurimum atque etiam perspicuitatis tituli habere solent: quare inter inscriptiones, quas nuper pro collegio Canonicorum Fabrianensium confeci, ut in pronao aedis S. Nicolai Magni ponerentur, haec quoque nunc legitur, in qua id diserte indicarim:

CAESAR · PICVS
CANONICVS
ANNO · M · D · LI ·
IN · HONOREM
SANCTI · NICOLAI · MAGNI
FVNDOS · SVOS · COLLEGIO · CANONICORVM
TESTAMENTO · LEGAVIT
ET · EX · EORVM · REDITV · DIVISIONEM · QVOTANNIS
VIRITIM · DARI · HAC · LEGE
VOLVIT
VT · QVARTO · QVOQVE · PER · HEBDOMADEM · DIE
QVI · PROFESTVS · ESSET
SACRVM · SINGVLI · IN · TEMPLO
FACERENT

II· Quod reliquum est, indices ii, qui res venditas aut emptas declarant, varie quidem contexti sunt; at saepius tamen ea verborum dispositione, ut emptor primus

(1) v. inscr. 273. 274. (2) v. inscr. 280. (3) Grut. p. 424. n. 4.

recenseatur, venditor secundo loco memoretur (1). de ipsa autem stipulatione ac de pecunia soluta vix quidquam adjectum (2). exempla tantum non ita pauca exstant (3) imaginariae cujusdam venditionis, quae tamen, non ut Vlpianus de nuda et imaginaria venditione scripsit (4), pro non facta erat, sed vera rei alienatio intelligebatur. hanc, ut a Fabretto animadversum est, in Vitruvio etiam habemus (5), ubi ille Salapiae veteris incolis ob caeli gravitatem quotannis aegrotantibus a M. Hostilio lucum idoneum ad moenia transferenda conquisitum electumque narrat. is enim possessionem loco salubri secundum mare mercatus, ab senatu populoque Romano petiisse dicitur, ut liceret transferre oppidum: ac moenia idem construxisse, et divisisse areas. easque *Nummo sestertio singulis municipibus mancipio dedisse*: quem locum Galianus minus commode interpretatus est. verum ea jam consuetudo obsolevit; nec ad donationem nunc aut venditionem libripende utimur, aut aere quidquam aeneaque libra emi solet; quare neque exemplis neque formulis ejusmodi opus est.

Id unum hic adnotabo, antiquae quot exstant privatorum inscriptiones, in quibus de venditione aut emptione agatur, totidem fere circa monumenta et sepulcra maceriamque eorum versari, in aedium enim aut praediorum titulis haec enunciare veteres non solebant. idcirco inscriptiones illae saepe epitaphia eaedem sunt: quo e numero est, quam subjiciam (6):

M · INSTEIVS · M · L · EVTYCHVS
MONIMENTVM · SIVE · ID · SEPVLCRVM · EST
FECIT · SIBI · ET · INSTEIAE · ARESCVSAE
L · ARISTIVS · L · L · LVCRIO
EMIT · EX · PARTE · DIMIDIA
SIBI · ET · SVIS
ARISTIAE · L · L · DAPHNE
L · ARISTIVS · L · L · TYRANNVS · V · A · XXIIII·

Haec habui, quae de toto historicarum inscriptionum genere exponerem. plura his nemo jure requirat, quum praeclaris veterum exemplis abundemus.

(1) v. inscr. 283. 284. Fabr. p. 49. n. 282. etc.
(2) v. inscr. 286.
(3) Grut. p. 956. n. 4. p. 108. n. 1.
(4) l. 55. D. de contr.
(5) l. 1. c. 4.
(6) Maff. M. V. p. 285. n. 8.

CAPVT V.

De Ellogiis

§. I.

DE RATIONE GENERIS VNIVERSA

I. Ellogia hactenus qui scripsere, viri eruditi, ea quisque suo arbitratu confecerunt: quippe nulla horum exstare exempla antiqua et germana putabantur. itaque pro ellogiis honorariae passim inscriptiones occurrunt qua Caelitum sanctorum qua priscorum ducum imaginibus subscriptae. hujusmodi fere sunt, quas Ferrarius (1) condidit ad Pinacothecam Antistitum Mediolanensium: hujusmodi, quas Fridericus Vrbinatium Dux in aedibus suis ad imagines praestantium virorum adscribi jussit (2). haec tamen qui probant, veteri, opinor, exemplo carent: nam honorariae inscriptiones vivis omnes vel certe recens mortuis ponebantur, eaeque, ut vidimus, senatus aut decurionum aut collegiorum decreto: neque ullum usquam exemplum est sine nomine aut indicio aliquo eorum, qui honorem habuerint. tum alia etiam dedicationis caussa esse solebat: neque enim statuas illustribus viris ponebant ad fori aut basilicarum ornatum, sed ut gratiam benemeritis referrent, et quam ipsi experti essent, virtutem honore afficerent. quae sane plerisque in ellogiis spectari non possunt; quum fere de iis agatur, qui minime ad nos pertinuerint, vel quod aliis temporibus vel quod aliis in urbibus floruere. nec vero, si statuae aliquando sanctis Caelitibus, civitate periculis liberata, ponuntur, honorariae tum inscriptioni locus est, quum sacra omnino sive votiva requiratur.

II. Iam ne ii quidem veteris ellogii vim et naturam adumbrasse mihi videntur, qui vel exiguas res dignas putaverunt, quae in ellogio quolibet recenserentur: perinde quasi epitaphia obscurorum hominum scriberent, non immortalium virorum memoriam celebrarent. nam veteres quidem in ellogiis quum res gestas enunciarent, ea tantum proferenda duxerunt, quae quis aut solus fecisset, aut primus aut certe unus e paucis: praesertim si haec vulgo commendarentur, aut inde maxima in rempublicam utilitas derivata esset. quapropter a veterum utique exemplis, nec in melius, aberret, qui de magno viro scribens, pueritiae studia aut adolescentiae communes laudes attingat; quumque is multa in magistratu gesserit, ea consectetur, quae privatus fecit: aut hoc statuat, nullum fieri ellogium posse praestantius, quam in quo nihil omissum esse videatur. ista equidem in vitae scriptore probaverim, a quo singula, id enim historici profitentur, investiganda, prodenda, explicanda sunt: ut non modo virtutes et quidquid fortiter aut feliciter gestum est, sed vitia etiam et varios casus acceptasque calamitates eodem in libro non tam ad voluptatem quam ad veritatem descripta reperiamus. at in ellogio, quum inventum id esse constet (3), quo posteri ad virtutem legendo excitarentur, ut vitia, si qua offendas aut quae recte facta non videantur, dissimulanda ac praetermittenda sunt; ita ex ipsis virtutibus praeclarisque factis ea solum deligenda, quae eximia putantur, quaeque habent admirationem: non tam ut breves fuisse, quam ut propositum tenuisse videamur.

(1) Inscr. p. 118. n. 257. (2) Sweert. in Delic. p. 129. (3) v. Svet. in Aug. c. 31. n. 7.

Stilo autem utere presso et circumscripto, nec tamen exili atque rudi. exempla id melius te, quam oratio mea doceat. videsne, apposita quam parce veteres adhibuerint, ut nullis orationem flosculis adsperserint, ut sententias ipsas et dicta repudiarint? at lectis iidem atque illustribus verbis usi, nec sine dignitate quidquam loquuti; nihil in antiquis ellogiis obscurum, nihil ambiguum est, verbis sane perpaucis in Fabii ellogio Minucii Magistri equitum vices perstringuntur, quas Livius longa historia est persequutus: quis tamen plura requirat, ut sententiam adsequatur? eodem modo perscriptum fuisse L. Papirii Cursoris ellogium, ostendit ejusdem particula, quam Vrsinus servavit, Gruterus edidit (1):

. . . .
BELLO · SAMNITIVM
CVM · AVSPICII · REPE
TENDI · CAVSA · ROMAM
REDISSET · ATQVE · INTE
RIM · Q · FABIVS · AMBVSTVS
MAXIMVS · MAGISTER
EQVITVM · INIVSSV
EIVS · PROELIO · CON
FLIXISSET · · · · · · · · · · ·

hic nempe Dictator ille est, qui Magistrum equitum, quod contra edictum cum hoste pugnaverat, vel victorem, atque exercitu omni pro eo deprecante, spoliari a lictore jussit, ut securi feriret, receptumque a militibus et clam e castris Romam profectum sequutus est cum lictoribus, ut in senatu et ad populum infensus adesset, poenamque sumeret, a qua illum aegre populi consensus et tribunitia potestas liberavit. sed haec omnia, quae a Livio fusa oratione multisque verbis narrantur (2), in ellogio paucis plane versibus scite comprehensa fuisse apparet. atque in his ceterisque exemplis compositionem veteres probarunt ejusmodi, quae non continua esset, sed veluti membratim concisa; quod ad distinctionem rerum atque ad gradationem etiam plurimum confert. tum illud praeterea veteres cavisse deprehendes, ne finem modumque transirent, pluraque congessisse viderentur, quam quae semel perlecta facile meminisse quis posset.

III· Finis ellogio idem, qui rerum enumerationi constitutus; nec clausula ulla subjicienda est; totum enim ellogium ad personam pertinet unam, cujus simulacro subjectum est: quare nusquam in eo de monumenti auctore, nusquam de imaginis dedicatione mentionem factam esse reperias.

At quid facias, si quis tamen suum adscribi velit? quod nempe simulacrum ipse dono dederit, aut monumentum pecunia sua constituendum curaverit. dandum certe aliquid auctori operis, et aequo animo ferendum est, cujus munere monumentum ipsum exstet, ejus nomen in eodem ad posteritatis memoriam inscriptum esse: nec repugnabo, si quis curatores etiam adjutoresque adscribi velit. ceterum illud curae esse debet, ne his gratificando a consuetudine veterum recedamus. ellogium in basis fronte legatur: tum alius si locus deerit, quo illa commode incidi possint, ad basis latera inscribantur: quemadmodum in honorariis titulis dedicatio interdum dextro latere, curatores operis laevo inscripti sunt: itaque si Arpinates, exempli gratia, statuam M. Tullio municipi in foro statuentes, ellogium ea conditione in basi ejus inscriptum probarent, ut eadem in basi dedicati operis publicorumque sumptuum index emineret: facile utrumque hac, opinor, ratione praestari posset.

(1) p. 298. n. 4.

(2) l. 8. a c. 25. n. 29. v. et Val. Max. l. 2. c. 7. n. 8.

M · TVLLIVS · M · F · CICERO
COS · PROCOS · PRAET · AED ·
QVAEST · TRIB · MIL · AVGVR
IN · CONSVLATV · CONIVRATIONEM
L · CATILINAE · DEPREHENDIT
ET · RE · PVBLICA · E · PERICVLIS
EREPTA · PRIMVS · OMNIVM
A · SENATV · PARENS · PATRIAE
APPELLATVS · EST
IN · PROCONSVLATV · CILICIA
PROVINCIA · SANCTE · ADMINISTRATA
IVSTI · ETIAM · TRIVMPHI · RES · GESSIT
IMPERATOR · AB · EXERCITV · DICTVS
PRIVATVS · QVOQVE · MAGNO · VSVI
REI · PVBLICAE · SEMPER · FVIT
IN · CVRIA · IN · ROSTRIS · IN · FORO
DEFENSOR · SENATVS · VINDEX · LIBERTATIS
ARTES · IDEM · ET · STVDIA
VNVS · EX · OMNIBVS · MAXIME · COLVIT
ORATOR · OPTIMVS · ET · PHILOSOPHVS
PRAESTANTISSIMVS · DISCIPLINAS
GRAECORVM · LATIO · INTVLIT

CIVI
MAXIMO
DECR · DEC ·
PVBLICE

DEDIC ·
KAL · APRIL ·
AN · M · D · C · C ·
LXXVIII ·

Tanto viro ellogium olim in urbe ipsa non defuisse, pro certo habeo. nam imaginem ei, si minus in foro Augusti, at in Palatio positam haud dubium est, quum Tacitus Hortensii etiam inter oratores sitam ibidem imaginem memoret (1).

§. II.

DE ELLOGIIS CAELITVM SANCTORVM

I. Augustum in foro suo primum ellogia posuisse iis diximus, quibus, ut ait Svetonius (2), proximum a Diis immortalibus honorem praestandum esse putabat: ducibus nempe, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. factum deinde est, ut aliis quoque nec fama nec virtute paribus honos idem haberetur, ac triplex jam ellogiorum uno in genere species exsisteret, magistratuum, virorum privatorum et feminarum. hanc porro distributionem hic quoque instituerem, nisi clarorum ducum loco primas deferri par esset patronis caelestibus, quos secundum Deum colimus: quum tituli saepe sub imaginibus eorum inscribi soleant. idcirco primum de his, tum acervatim, neque enim valde differunt, de ellogiis dicam, quibus virorum feminarumque illustrium recte facta memoriae prodamus.

Enimvero initium ellogiorum unum omnium erit a nomine, quod recto casu est usurpandum: nisi quod appositum *Sanctus* ante ipsum etiam nomen recte scribetur; quippe illud veteres in sacris inscriptionibus ante postque jungebant. sacerdotia deinde sanctis Caelitibus, muneraque adscribenda sunt, quaecumque in vita obiere: et si quis

(1) Ann. l. 2. c. 37. v. etiam ibid. c. 83. (1) in Aug. c. 31. n. 7.

constitutor collegiorum fuerit, aut familiae religiosae parens atque auctor, ne id quidem omittendum est. praecipue autem ea subjicienda cognomina, quae quisque a rebus gestis invenerit, efferendique tituli, quos sibi quisque laboribus et virtute pepererit: hos certe antiquitas pluris prope faciebat, quam magistratus quam triumphos. quare Scipio ille Nasica, quem senatus *Virum Optimum* judicarat, eoque nomine ad accipiendam Matrem Idaeam miserat, id sibi spondebat, ut est apud Livium (1), hoc titulo, etsi nec consulatus nec triumphus adderetur, *satis honestam honoratamque P. Scipionis Nasicae imaginem fore*. atque haec ipsa eo majore apud nos in pretio esse debent, quo insigniorum meritorum indicia sunt praestantiorisque virtutis: cujusmodi illa habentur, *Apostolus, Martyr, Thaumaturgos*: et qui doctrinam atque eloquentiam designant, *Evangelistes*, *Doctor*, *Theologus*, *Chrysologos*, *Chrysostomos*: esto plerique omnes Latinis veteribus ignoti fuerint: satis est, si apud priscos Christianos in honore fuisse constet, quorum et in Latina lingua, siquidem de appellationibus tantum agatur, utique aliquid valere debet auctoritas: quemadmodum praestantissimi Grammaticorum censuerunt, qui ex Tertulliano, ex Lactantio, ex aliis non paucis multa plane vocabula, quae vetustiorum scriptorum libri non habent, in commentarios suos derivarunt.

Hos tamen titulos apposito ornari, antiqua exempla vetant: in quibus non secus atque in honorariis inscriptionibus, post personarum nomina unus tantum honorum, munerum, perpetuarumque appellationum census et descriptio instituitur.

II. Post haec narratio incipiat, quae res gestas dilucide, at breviter tamen, complectatur: delectusque rerum is habeatur, quem adhibendum esse, superius dixi. formulas quidem, quae opus sint, non omnes ex antiquorum exemplis dare possum: quippe novi pleraque ignotique veteribus argumenti tractentur, oportet: sed latine qui sciat, nihil habiturus negotii est, quum ellogii formam et leges noverit. quas enim dictiones Latina huic lingua non suppeditet? aut quid offendi unquam possit, quod latine explicari designarique non queat? res autem sic exponendae, ut aut ordinem sequaris, quo gestae sunt, aut a minoribus ad majores progrediare: quod ipsum simplici tamen dictione faciendum est; neque sententiarum sunt adhibendae figurae, quae fusiori tantum orationi aut historiae conveniunt: ita certe veteribus visum, in quorum ellogiis, neque haec pauca sunt, si et fragmenta numeres, nullum plane figuratae orationis vestigium deprehendas. exempla id te doceant, quae libro primo protulimus. quibus adde particulam hanc ex ellogio Furii Camilli, quod ceteris persimile fuisse apparet (2):

VEIOS · POST · VRBEM
CAPTAM · COMMIGRARI
PASSVS · NON · EST
ETRVSCIS · AD · SVTRIVM
DEVICTIS · AEQVIS · ET
VOLCIS · SVBACTIS
TERTIVM · TRIVMPHA
VIT · QVAR · : : : SE :
VELITERNIS : : : : :

Iamvero ubi facta exposueris, virtutes etiam, si libeat, commemorato, quae praeclarissimae fuerint: Metelli maxime et Fabii ellogia (3) exemplo esse possunt. atque hoc quidem loco appositis uti liceat, quae virtutis praestantiam extollant, animique excellentiam et magnitudinem. sed illud cavendum maxime, ne agnominationibus argutiisque utamur ejusmodi, in quibus neque veritatis multum inesse solet, neque dignitatis: quam-

(1) l. 36. c. 26. n. 40.
(2) Rein. Cl. 6. n. 43. v. et Grut. p. 298. n. 4. et Fabr. p. 751. n. 584.
(3) v. inscr. 289. 290.

quam erunt fortasse, qui ellogium hisce spoliatum ornamentis, nullaque specie fucatum valde contemnant, atque insulsum etiam et illitteratum appellent; nondum enim, quae jamdiu plurimos infuscarat, omnis est deleta barbaries.

II Extremis potissimum ellogii versibus de extraordinario honore mentionem fieri convenit, si cui quis habitus sit. hujusmodi enim sunt, quae in magistratuum ellogiis extremo plerumque loco enarrantur. magnis porro viris, qui ex hominum vita ad Caelitum religionem sanctimoniamque demigrarunt, raro ante ipsum excessum vel studia urbium vel populorum praeconia defuerunt. hi saepe legationum principes fuere, hisque auctoribus foedera aliquando composita et pax constituta: amplissima iisdem sacerdotia ultro delata, aut ornatissima facta decreta, in quibus municipiorum Parentes ac Conservatores appellati, gratiae publice actae, aut publice ad honores invitati. haec autem hisque similia, si qua erunt, sub ellogii finem apposite indicabis: nam sanctitatis, quae in egregio viro eluxisse dicatur, indicium est vel maximum, publico eam esse judicio comprobatam.

Itaque addebant interdum veteres quidquid etiam post mortem in clarorum virorum honorem publice factum esset. ellogii sane particulam edidit Gruterus (1) his verbis: *Mortem Ejus Iustitio Per Consules* Indicto *Omnes Luxerunt*. ita si quis censorio funere elatus esset, non id in ellogio omissum putarim: pariterque a Severo Alexandro, quem *Divis imperatoribus* in Nervae foro statuas cum ellogiis posuisse diximus (2), adnotatum esse crediderim, a quo quisque in Deorum numerum relatus esset. quare ne nos quidem in Caelitum sanctorum ellogiis ea negligemus, quae ad honores eorum postumos spectent: et benefica etiam voluntas celebrabitur, quod caelo potiti mortalium vota audierint, et calamitates praesenti auxilio propulsarint. haec tamen generatim indicanda, leviterque perstringenda esse puto: studendum est enim brevitati, nisi forte de singulari aliquo beneficio agatur, quo tota civitas in perpetuum devincta sit.

Hactenus de iis, quae Caelitum sanctorum ellogiis conficiendis ornandisque quam aptissima videantur. verum antiqua exempla alias plerumque nobis res exhibent, quam quae in his nostris exponi debeant: bella enim in illis et triumphi et opera publica recensentur, quas res sancti viri fere numquam attigerunt: quid tamen? multa omnino de his ad illorum normam dici possunt, ut si res aliae, non alia esse dictio atque forma videatur. exempli ego gratia Magni Chrysostomi ellogium, qualecumque est, libens subjiciam, quod adolescens composui, studio quodam incensus tanti viri celebrandi. inde jam agnoscas, liceat, quantum ipse ad veterum exemplaria possis accedere.

(1) p. 493. n. 2. (2) v. praef. c. 5. l. 1.

IOANNES · SANCTVS
DOCTOR · CHRYSOSTOMOS
PATER · ECCLESIAE
PONTIFEX · MAIOR · CONSTANTINOP ·
PRIMVS · SACERDOTVM · MINORVM · CONCIONES
ANTIOCHIAE · AD · POPVLVM · HABVIT · CIVESQVE
SVOS · AD · RELIGIONEM · ET · VIRTVTEM · INSTITVENS
AB · AVREA · ELOQVENTIA · COGNOMEN · INVENIT
IDEM · DEDVCTVS · AB · IMP · ARCADIO · AVG ·
ECCLESIAE · CONSTANTINOP · SANCTISSIME
PRAEFVIT · VITIORVM · OMNIVM · INSECTATOR
ET · HAERETICARVM · FACTIONVM · HOSTIS · PRO
MAIESTATE · SACERDOTII · TVENDA · PRO · ECCLESIAE
LEGIBVS · CONSERVANDIS · SAEPE · IN · DISCRIMEN
CAPITIS · VOCATVS · PERICVLA · IMMOBILI · PIETATE
CONTEMPSIT · ODIA · IMPROBORVM · EXPLEVIT
BIS · OMNIVM · BONORVM · MOERORE · IN · EXILIVM
ACTVS · MORTE · IN · EXILIO · FORTISSIME · OPPETITA
QVEM · ORBIS · TERRARVM · VT · PARENTEM · LVXIT
NOMEN · EIVS · IVSSV · INNOCENTII · I · PONT · MAX ·
FASTIS · EST · SACRIS · ADSCRIPTVM
CORPVS · AB · IMP · CAES · THEODOSIO · AVG · F · AVG ·
TRIVMPHALI · POMPA · CONSTANTINOPOLIM · AD · TEMPLVM
MAXIMVM · EFFVSA · OBVIAM · CIVITATE · RELATVM · EST

Sed haec quidem felicius aliis et melius succedent: praesertim si haec tractantibus contingat, ut non unum aliquod, sed multa simul ad unius loci ornatum ellogia scribenda sint: his enim ab ipsa rerum varietate venustatis accedet non parum, atque alterum alteri decus ac speciem afferet vel afferre videbitur.

§. III.

DE ELLOGIIS VIRORVM ET FEMINARVM ILLVSTRIVM

I. Vno demum articulo de virorum simul ac feminarum illustrium ellogiis agamus, quorum discrimen in appositis fere titulisque omne consistit: in eum prope modum, quo honorarias inscriptiones haud multum inter se discrepare adnotavimus.

Ac initium quidem ellogii cujusque a nomine hic quoque ducito, et recto id casu efferto; nisi forte patrio aliquando uti praestet, unde Comense Sepiciani ellogium inchoatum est (1): quod ad perspicuam cognominum enunciationem conferre aliquid potest. sequentur autem eodem casu magistratus et propria cujusque munera: tum a relativo pronomine narratio instituetur, ne scilicet nomina prima reliquae orationi male haerere videantur. at ubi ea recto casu efferantur, nullo jam pronomine opus erit; quum reliqua oratio ab ipsis nominibus tota pendere, et prima extremis uno nexu conjungi possint.

(1) v. inscr. 297.

Verum si de ellogio ejus agatur, de quo aut non multa enuneiari debeant, aut una res tantum proferri possit; sie a nomine et adjunetis muneribus orationem sejungere fas sit, ut demonstrativo pronomine aut relativo subinde utaris; quo paeto veteres ellogia scripsere eorum potissimum, quos de collegiis bene meritos honore statuae in scholis suis dignabantur (1).

C · ATTIVS · Ɔ . L ·
IANVARIVS
VI · VIR · S · F · VIIII · VIR · VAL ·
HIC · COLLEGIO · SVO · CENTO
NARIORVM · LEGAVIT · HS · ∞ · EX
CVIVS · REDITV · QVOTANNIS
DIE · PARENTALIVM · NE · MINVS
HOMINES · XII · AD · ROGVM · SVVM
VESCERENTVR
CVRA · COLL · CENT ·

Mevaniae Attius *Sevir* fuerat *Sacris Faciundis*, idemque *Novemvir Valetudinarius*: quam curationem nummus etiam Morellianus fortasse refert, in quo legitur (2) M' · ACILIVS · III · VIR · VALETV · etsi nec Morellio id nec Spanhemio placet (3). porro quum haec tantum fuissent Attii munera, haud tamen alii excogitati sunt tituli, quibus ille ex rhetorum pompa honestaretur. satis esse Centonarii putaverunt, si liberalitatis ejus memoriam posteris traderent, nomenque immortalitati commendarent.

Eadem ratione mihi nuper scribenda existimavi ellogia Pontificum maximorum, qui Bibliothecam Vaticanam ditaverunt, quum nempe simulacra eorum iconica vir eminentissimus Franc. Xaverius Zelada Card. in aedibus suis Vaticanis dedicaret: ecce enim quae singulis imaginibus subscribenda tradidi:

NICOLAVS · V · PONT · MAX ·
QVI · OPTIMIS · ARTIBVS · REVOCATIS
PRIMVS · BIBLIOTHECAM · VATICANAM
VETVSTISSIMIS · CODICIBVS
GRAECIAE · ET · ORIENTIS · EXSVVIIS
ORNAVIT



XYSTVS · IIII · PONT · MAX ·
QVI · BIBLIOTHECAM · VATICANAM
PRAEFECTO · DATO · CVSTODIBVS · SCRIBISQ ·
LIBRARIIS · CONSTITVTIS · DEDICAVIT
ET · INGENIA · SAPIENTIVM
REM · PVBLICAM · FECIT



XYSTVS · V · PONT · MAX ·
CVIVS · MVNIFICENTIA
MAGNVM · BIBLIOTHECAE · VATICANAE
CHALCIDICVM
OPERIBVS · A · SOLO · AMPLIATIS
EXSTRVCTVM · EST



CLEMENS · VIII · PONT · MAX ·
HIC · FVNDVM · VENTICANVM
IN · TVITIONEM
BIBLIOTHECAE · VATICANAE
MANCIPAVIT



PAVLLVS · V · PONT · MAX ·
HIC · BIBLIOTHECAE · VATICANAE
CONCLAVIA · ADSTRVXIT · BINA
GRAECOS · SYRIACOS · PERSICOS · CODICES
ET · LITTERATAS · E · TILIA · TABELLAS
INTVLIT



GREGORIVS · XV · PONT · MAX ·
HIC · BIBLIOTHECAM · PALATINAM
QVAM · A · DVCE · BAVARIC · MAXIMILIANO
DONO · ACCEPERAT
VATICANAE · AMPLIFICANDAE
DESTINAVIT



(1) Don. Cl. 5. n. 189. v. inscr. 298. (2) Thes. Num. t. 2. p. 3. (3) diss. 10. p. 15.

VRBANVS · VIII · PONT · MAX ·
HIC · PALATINAE · BIBLIOTHECAE · LIBROS
IN · VATICANA · ORDINARI · IVSSIT
GRAECOS · CODICES
LOMELLINI · PONTIF · BELVNENS ·
DONVM · DEDIT



ALEXANDER · VII · PONT · MAX ·
HIC · VETERES · LIBROS
QVOS · DVCES · VRBINATIVM
LONGO · STVDIO · CONGESSERANT
IN · BIBLIOTHECAM · VATICANAM
DEPORTANDOS · CVRAVIT



INNOCENTIVS · XI · PONT · MAX ·
HIC · BIBLIOTHECAM · VATICANAM
SINENSIVM · LIBRIS
QVALES · EVROPAEI · REDDIDERE
AVTOGRAPHISQ · VETERVM · CODICIBVS
ATQVE · APOGRAPHIS · ADORNAVIT



ALEXANDER · VIII · PONT · MAX ·
HIC · VTRIVSQVE · LINGVAE · CODICES
QVOS · REGINA · SVEDORVM · CHRISTINA
LECTISSIMOS · RELIQVERAT
IN · BIBLIOTHECAM · VATICANAM
INFERRI · IVSSIT



CLEMENS · XI · PONT · MAX ·
HIC · EDENDORVM · IN · VRBE · LIBRORVM
EXEMPLA · BIBLIOTHECAE · VATICANAE
SINGVLA · DECRETO · ADDIXIT
VETERES · EX · OMNI · ORIENTE · PLVRIMOS
PER · SIM · ASSEMANVM · COMPARAVIT



BENEDICTVS · XIII · PONT · MAX ·
HIC · BIBLIOTHECAE · VATICANAE
LIBROS · VETERES · LATINOS · GRAECOSQ ·
ET · EX · ATHO · QVOSDAM · AVECTOS · ADTRIBVIT
NOVOS · LITTERARVM · FORMIS · EXPRESSOS
PLVRES · SVPERADDIDIT



CLEMENS · XII · PONT · MAX ·
HIC · BIBLIOTHECAM · VATICANAM
AD · TERTIVM · CONCLAVE · PRODVXIT
PRISCA · FIGLINA · LITTERATAS · PAPYROS
MISSILIA · AVGG · NVMISMATA · DICAVIT
SVMPTIBVS · SVBLATIS · CENSVM · AVXIT



BENEDICTVS · XIIII · PONT · MAX ·
HIC · BIBLIOTHECAE · VATICANAE
OTTOBONIANAM · ADIVNXIT
MVSEVM · CHRISTIANVM · FECIT
NVMMIS · PONTT · MAXX · SCILLANAM · SERIEM
AVGVSTORVM · CARPEGNANAM · ADIECIT



CLEMENS · XIIII · PONT · MAX ·
HIC · BIBLIOTHECAE · VATICANAE · MVSEIS
REGVM · COAEQVALIVM · NOMISMATA
GEMMAS · NVMMOSQ · ANTIQVOS
FICTILIA · ETRVSCA · SIGNAQ · AEREA · ADDIDIT
LITTERATAS · PAPYROS · ORNATV · EXCOLVIT



PIVS · VI · PONT · MAX ·
CVIVS · LIBERALITATE
BIBLIOTHECAE · VATICANAE · MVSEA
NVMMIS · AVREIS · LOCVPLETATA
SIGNIS · TABVLISQ · AEREIS · INSTRVCTA
LAETO · CVLTV · ET · MAGNIFICO · ORNATA · SVNT

II. Ad feminarum ellogia quod attinet, ea veteres multo etiam breviore verborum ambitu comprehendebant. nam post earum nomina, vix aliud plerumque, quam indicia generis legas et munera, quibus functae sint. neque enim veteres commemoranda putabant, quae illae privatim gessissent; vel etiam privatae vitae laudes in ipso publici muneris titulo atque in sacerdotii dignitate contineri arbitrabantur. hanc porro brevitatem nunc quoque in iis feminarum ellogiis retineamus, quae publico loco prostare debeant; facilius enim et concinnitate praestare, et dignitatem habere videantur.

Sed si qua in domorum atriis privatisque pinacotheeis ponenda erunt, non ego hoc statuam, ut exilia semper, et nulla facti narratione nulloque ornatu insignia esse debeant. non, si exemplum hujusmodi nullum ex antiquis praesto est, idcirco nullum etiam usquam fuisse, certo comperi: nec vero, si constaret, satis jam caussae esset, cur generosarum mulierum egregias virtutes et praeclara facta laude sua et memoria fraudaremus. fiant utique ad feminas etiam, quae summo loco natae sint, celebrandas ellogia quamvis longa; sed tamen ad modum omnino atque ex forma ceterorum. initio quidem adscribas, licebit, quo parente genitae sint, cui viro nupserint, quos filios genuerint: munera etiam, si qua obierint, et titulos omnes recte appones, quibus ornatae fuerint. sed hic quoque, ut in illis ellogiis, singula quaeque appellationibus tantum suis indicanda, nec adjunctis distinguenda ullis: ne praepropera festinatione nullum iis, quae infra commendanda sunt, locum relinquamus. post haec nempe si quid splendide, si quid fortiter a claris matronis factum accepimus, simplici et gravi oratione exponendum est: eae autem e virtutibus omnibus prodendae maxime, quas in femina omnes suspiciunt, neque ceterarum communes putant: et quae civibus utiles et patriae salutares esse solent, liberalitas in primis et munificentia et benignitas, ob quas multi saepe egentes abundare, imbecilli valere coeperunt. extremis denique versibus illa quoque locum habeant, si cui quis a Principe honor habitus, aut laus tributa sit, si qua filiam virtutum suarum et laudis haeredem reliquerit, et quae sunt hujusmodi.

II. Cetera jam ellogia sive Principum sive ducum sive senatorum, de quibus multa fere proferri possunt, eo more singula fient, quo magistratuum ellogia scripta esse vides. in his autem qui ordo rerum, quae forma loquutionis, quam haec emendata, quam Latina esse debeat; ex iis, quae superius dicta sunt, facile quisque comprehenderit. itaque regibus quidem apposita illa perpetua, quibus in vita utebantur, ceteris munera cuique sua gestosque magistratus, et si qua sibi cognomina praeclaris factis pepererint, simpliciter presseque adscribet: nec aliud quidquam; nisi forte, ut in Octavii ellogio (1), de parente Principis agatur: quo in ellogio post majorum praenomina merito adjectum est *Pater Augusti*. res autem domi militiaeque gestae sic exponentur, ut narratio brevis quidem sit, at dilucida et plena dignitatis: quo nomine vetera exempla maxime commendanda sunt. opera etiam publica indicanda erunt, quae quis sua pecunia fecerit. de ea demum laude mentio fiet, qua quisque potissimum floruerit; et si cui quid obtigit vel ad amplitudinem ejus vel ad famam immortalitatemque memorandum, recte ad calcem describetur.

Quibus autem haec formulis designanda sint, diu quaerendum non erit: liber enim tertius harum quoque numerum non exiguum suppeditabit. sit modo qui ea praestet, quae hactenus praemonui, quique simplici veraque oratione contentus, pigmentis fucoque puerili abstineat; germanam ille veterum ellogiorum formam facile exprimet. nequo vero non et litteratos viros ellogio, si libet, ornare possis, eos maxime, qui pietatem cum litteris conjunxerunt: de quibus sane multa interdum praedicari possunt, quae illustria et magna habeantur. hujusmodi ellogium scripsi nuper pro Viterbiensibus, qui docti viri deque republica eorum optime meriti imaginem in curia dedicarunt. is est, quo ego in theologicis praeceptore usus sum, Ioannes Baptista Faures vir summus, cujus et epitaphium superius jam protuli.

( ) v. inscr. 293.

IOANNES · BAPTISTA · FAVRES
ROMANVS · IN · AMPLISS · ORDINEM · VITERB · COOPTATVS
IN · SOCIETATE · IESV · QVAMDIV · EA · STETIT
SODALIS · PROFESSVS · SACERDOS · ANNOS · LII·
PRAEFECTVS · SODALIVM · MARIALIVM · COLLEGI · ROMANI
DOCTOR · DECVRIALIS · SACRIS · DISCIPLINIS · TRADENDIS
AB · IPSA · ADOLESCENTIA · OSOR · DESIDIAE · DOMITOR · CVPIDITATVM
SVMMA · DEVM · RELIGIONE · COLVIT · MAGNAMQVE · DEI · MATREM
AVGVSTE · VENERATVS · EST · HVMANOS · CASVS · FORTI · ANIMO
SEMPER · TVLIT · CONVICIA · INSECTATIONES · PROPOSITI · TENAX
CONTEMPSIT · IN · STVDIOSAE · IVVENTVTIS · MORIBVS · CONFORMANDIS
IN · INFIMA · ETIAM · PLEBE · INSTITVENDA · REGENDA · DIVTVRNAM
OPERAM · ET · VTILEM · POSVIT · IDEM · EXCELLENTI · INGENIO · FLORENS
STVDIIS · LITTERISQ · DEDITVS · ATQVE · OMNI · DOCTRINA · ORNATISSIMVS
MVLTA · AD · ERVDITIONEM · LITTERASQ · FOVENDAS · PLVRIMA · PRO
ECCLESIA · TVENDA · SCRIPSIT · EGREGIE · DICTAVIT · EDIDIT
THEOLOGVS · AETATIS · SVAE · PRAESTANTISSIMVS · HABITVS · EST

CAPVT VI.

De constitutionibus publicis

§. 1.

DE RATIONE GENERIS VNIVERSA

I. Quod has quoque partes susceperim, ut de constitutionibus publicis ad superiorum capitum exemplar rationemque dissererem; erit fortasse, cui et opera et oleum philologiae nostrae periisse videatur. jamdiu enim apud plerasque gentium, repudiato Latini sermonis usu, quidquid publice edicitur, vernacula explicari lingua institutum est: quin multos jam legum novarum codices habemus, alia omnes, quam Latina lingua, perscriptos: quaecumque tandem ejus consilii capiundi caussa fuerit, quae nihil plane ad Grammaticos pertinet (1). decreta etiam, rescripta, acta quaelibet quotidie prodeunt vulgari descripta lingua: ut quae veteres constitutionum publicarum exempla reliquerunt, ad eruditionem quidem permultis, ad usum nemini conferre videantur.

Verum enim vero quod priscus ille tantae auctoritatis sermo atque stilus a senatu et a rostris amotus repudiatusque sit, non adeo deinde neglectum putes, nemo ut eum eruditorum e numero adamarit. eo certe usi sunt identidem atque utuntur non pauci: tametsi in argumento fere versantur non ita magno. leges potissimum latine ac veteri prope stilo conscriptae nonnusquam occurrent, in hortis puta ad exhedras xystorum, quales olim Nicius Erytraeus in villa sua incidendas curavit. hujusmodi sunt, quas Vincentius Gravina scripsit pro collegio poëtarum, qui Arcades appellantur, nusquam vero frequentius, quam in bibliothecis leguntur. cujus moris origo ab ipso forsitan Pollione ducitur, qui primus, ut a Plinio accepimus (2), bibliothecam ex manubiis Romae publicavit, et ingenia hominum rem publicam fecit. decreta etiam quandoque invenies, qualia olim de Vicennalibus fecerunt Sodales Cortonenses (3), aut de honoribus regis Philippi V. vulgavit Egizius (4). alias item hujus generis inscriptiones alii confecere: quos inter me etiam numeres; nam et mihi non semel contigit, ut opera mea quidam in eam rem uterentur. quae quum ita sint, non inutilis plane labor hic meus futurus est, si quae in his etiam vel cavenda maxime vel servanda esse ducam, ea in partes quaeque suas meo more tributa, diligenter tradiderim.

II. Iamvero quum hoc in genere formularum magna sit copia, nolim, quae tibi opus fuerint, in XII. Tabularum fragmentis atque in veteribus senatus consultis sacratisque legibus quaerendas putes. merito risum debent, qui haec consectantur, nec serio sed joco loqui videntur ita et Tullium ipsum sensisse constat, quum praeclaras illas leges summatim scriberet, quas in republica esse vellet: qui quamquam certa quaedam esse legum verba sciebat, tamen paullo quidem antiquiora, quam tum sermo esset, se usurpasse dicit, quo plus auctoritatis haberent (5); at quae prisca essent, id est, ut Horatii utar verbis, cinctutis olim Cethegis vix exaudita, ea omnino se rejecisse testatur. sed legum ipsarum caput unum proferam, ut tute videas, quem verborum delectum,

(1) v. Artur. Duch. de usu et auct. I. C. l. 2. c. 1. n. 13.

(2) H. N. l. 7. c. 30. n. 31. l. 35. c. 2. n. 2.

(3) Ac. Cort. t. 5. in praef. p. 13.

(4) Opusc. p. 396.

(5) de leg. l. 2. c. 7. n. 18.

quum Latinae litterae maxime florerent, Tullius habuerit: sit autem caput de magistratibus majoribus, cujus potissimum formulae nunc quoque usui esse possunt (1):

CENSORES · POPVLI · AEVITATES · SOBOLES · FAMILIAS · PECVNIASQVE CENSENTO · VRBIS · TEMPLA · VIAS · AQVAS · AERARIVM · VECTIGALIA TVENTO · POPVLIQVE · PARTES · IN · TRIBVS · DISTRIBVVNTO · EXIN PECVNIAS · AEVITATES · ORDINES · PARTIVNTO · EQVITVM · PEDITVMQVE PROLEM · DESCRIBVNTO · CAELIBES · ESSE · PROHIBENTO · MORES POPVLI · REGVNTO · PROBRVM · IN · SENATV · NE · RELINQVVNTO BINI · SVNTO · MAGISTRATVM · QVINQVENNIVM · HABENTO · RELIQVI MAGISTRATVS · ANNVI · SVNTO · EAQVE · POTESTAS · SEMPER · ESTO

IVRIS · DISCEPTATOR · QVI · PRIVATA · IVDICET · IVDICARIVE · IVBEAT PRAETOR · ESTO · IS · IVRIS · CIVILIS · CVSTOS · ESTO · HVIC · POTESTATE PARI · QVOTCVMQVE · SENATVS · CREVERIT · POPVLVSVE · IVSSERIT TOT · SVNTO

REGIO · IMPERIO · DVO · SVNTO · IIQVE · PRAEEVNDO · IVDICANDO CONSVLENDO · PRAETORES · IVDICES · CONSVLES · APPELLANTOR MILITIAE · SVMMVM · IVS · HABENTO · NEMINI · PARENTO · OLLIS SALVS · POPVLI · SVPREMA · LEX · ESTO · EVNDEM · MAGISTRATVM NI · INTERFVERINT · DECEM · ANNI · NEQVIS · CAPITO · AEVITATEM ANNALI · LEGE · SERVANTO

delectum autem hujusmodi qui adhibeat, perspicuitatem etiam adsequetur, quae, ut ait Quintilianus (2), in verbis praecipuam habet proprietatem. quapropter mihi etiam curae erit, ut qui opella mea usuri sunt, formulas libro tertio habeant quam electissimas, caveant tamen, qui uti volent, ne nimis multas et varias jungendo colligandoque obscuritatem ipsi rebus afferant, quas illustrare conentur.

II· Stilus quidem avorum nostrorum et argutandi illa libido jamdiu refrixit, sed vestigia in hoc litterarum genere quaedam manere video: sunt adhuc indomito quidam ingenio et inanis illius laudis appetentes. idcirco illud quoque monendum, ne, quae merae ineptiae sunt, ea pro ornamentis luminibusque habeamus. summis olim laudibus in caelum extulit Majansius (3) sanctionem quamdam sive legem, quam pro bibliotheca sua Emmanuel Martinius scripsisse ferebatur (4). quid tamen? mitto plagiarium fuisse Martinium, eaque, ut nuper didicimus, sibi adrogasse (5), quae in Aloisii Tribaldi Toletani adversariis scripta repererat: tolerabilia ne illa videantur, quae auctor, ut libris suis caveat, hoc modo edicit (6)?

HVNC · NE · MANCIPIVM · DVCITO · LIBER · EST · NE · IGITVR · NOTIS · COMPVNGITO
NE · CAESIM · PVNCTIMVE · FERITO · HOSTIS · NON · EST
ATRAMENTVM · VLTRA · PRIMVM · LAPIDEM · EXESTO · MORI · MAVVLT · QVAM · FOEDARI

mihi quidem vel multo suavius in scurrae Sarmenti servitutem jocatus olim videtur Cicirrus ille Messius in Coccei villa, quum ibi Horatius cum amicis cenaret (7).

Enimvero sanctionem Tribaldianam diligenter legerat, qui abhinc annos non ita multos legem pro bibliotheca regia Florentinorum conscripsit, cujus hoc est initium:

IMP · CAES · FRANCISCVS · PIVS · FEL · AVG · BIBLIOTHECAE · SVAE · VSVM · COMMVNEM · FACIT
NEMO · LIMEN · CLANCVLVM · TRANSCVRRITO · NIVE · LOCVLIS · MANVM · ADMOVETO

(1) de leg. l. 3. c. 3. n. 7.
(2) Inst. l. 8. c. 2.
(3) in Martin. vit. n. 140. et Mart. l. 12. ep. 35.
(4) Mart. l. 12. ep. 24.
(5) Efem. Rom. 1772. p. 71.
(6) nn. 1. 2. 6.
(7) l. 1. Sat. 5. v. 65.

nihil quidem in his simile: sed tamen mecum qui sentiunt, his decorum ille minus servasse videatur, quod Imperatorem Aug. minuta istaec et levia vetantem induxerit:

NE · IGITVR · CAESIM · PVNCTIMVE · FERITO · NEQVE · NOTIS · COMPVNGITO · · · ·
IN · EO · NE · INCVMBITO · EXSCRIPTVRVS · NE · PAPYRVM · IMPONITO
ATRAMENTVM · ET · ARENAM · LONGE · DEXTRORSVM · ARCETO · · ·

quae sane cum edictis certare possint, quae Claudius Aug. in censura proposuit, quorum altero admonebat, inquit Svetonius (1), *Vt uberi vinearum proventu bene dolia picarentur*: altero, *nihil aeque facere ad viperae morsum, quam taxi arboris succum*. dicet fortasse aliquis, verba illa seorsum legenda esse: ita plane; at quum tot in illa sanctione jubentis sint formulae, quem quis jubere putet, nisi qui solus initio scriptus est?

Ad summam quum inanium jocorum insulsitas, aut levissimarum rerum minuta consectatio nullam ornare inscriptionem possunt; tum vero eas maxime deformant, in quibus personarum, quae inducuntur, majestas ac dignitas gravitatem orationis verborumque splendorem requirit. quis autem hoc potissimum numero publicas constitutiones non habeat, quae aut senatus aut magistratuum aut Principis nomine proponuntur? itaque ista tractanti nihil antiquius esse debet, quam ut decorum et sequatur et servet: quod quidem praestare facile possit, judicio et exemplis si utatur; neque enim recondita quadam ratione cernitur, sed fere in promptu est, quotiescumque, non quid nos, sed quid alios deceat, quaeratur.

III. Multa denique genus hoc satis varium excolentes haud raro offendent, quae Latinis ignota quum fuerint, nullis veterum formulis designari posse videantur: cujusmodi sunt non modo quaedam munerum et curationum appellationes, sed novi etiam ritus, novi mores, novae artes, quae ad inventa pertinent recentiorum aetatum, postquam Latini sermonis usus esse desierat. atqui haec omnia aevo nostro scriptores non pauci latine et eleganter explicare potuerunt; quae quum leguntur, nemo haeret aut interpretem quaerit. ergo de his quum mentio incidet, audendum et nobis aliquid, atque ex Latinae linguae penu ad Grammaticorum praescriptum certis indiciis ea declaranda, quae antiquis nominibus appellari non possint: versatilis enim ad omnia Latinus est sermo, et verborum ubertatem ac divitias lectio dabit.

Quod si veteres multas constitutionum publicarum proprias habuere formulas, plura etiam communi omnino sermone explicarunt; nec quod pressius fere et adstrictius loquuti sunt, idcirco recondita semper verba neque ex medio petita usurparunt. stili autem illius et priscae dictionis quasi colorem nostra quoque oratio facile ducet, si ad veterum exemplar et formam expressa, nihil abjectum, nihil humile offerat: gravibusque distincta verbis, brevis etiam in praecipiendo, in narrando dilucida esse reperiatur.

§. II.

DE LEGIBVS ET EDICTIS

I. Legum et edictorum finis unus fere atque idem, jubere aut vetare: ob eam rem de utrisque eodem articulo mihi agendum esse putavi. sed legum hoc proprium, ut

(1) in Claud. c. 16. n. 9.

multas plerumque res comprehendant, et quae fieri vel jubent vel vetant, ea civium communia omnium sint: contra edicta circa rem unam singula fere versantur; eaque non omnibus semper sed huic aut illi ordini et societati proposita sunt: deinde haec brevi fere orationis ambitu descripta, leges vero non unam tabulam implere solent. idcirco utraque mihi seorsum exponenda sunt.

Primum igitur, ut quae legum propria erant, dicamus, initium omnibus idem fuisse videtur, quod in libri primi exemplo legimus (1); nisi quod in plebiscitis Tribuni plebis, qui legem tulerant, plebem, non populum, rogasse dicebantur. hoc nunc uti initio ut possis, perraro accidet: vel quia vix jam ullae eo more leges feruntur; vel quia leges fere scribendae tibi erunt, quas viri privati domi suae sanciant. sed legum quae a Principe prodeunt, quale exordium esse possit, Theodosii tibi et Iustiniani veteres codices declarant: ceterae autem, quae privatae haberi possint, vel nullo etiam ejusmodi initio recte scribentur, si locus, quo prostare debent, de legislatore ipse loquatur. ut si de legibus Colonicis agatur, quas Varro memorat (2), fundi utique dominum auctorem earum esse, quisque vel sine ullo nomine intelligat. exemplo sit Vilici lex Catoniana, ob antiquam etiam simplicitatem ac venustatem digna plane, quae describatur (3):

HAEC · ERVNT · VILICI · OFFICIA

DISCIPLINA · BONA · VTATVR · FERIAE · SERVENTVR · ALIENO · MANVM ABSTINEAT · SVA · SERVET · DILIGENTER · LITIBVS · FAMILIA · SVPERSEDEAT SI · QVIS · QVID · DELIQVERIT · PRO · NOXA · BONO · MODO · VINDICET

FAMILIAE · MALE · NE · SIT · NE · ALGEAT · NE · ESVRIAT · OPERE · BENE EXERCEAT · FACILIVS · MALO · ET · ALIENO · PROHIBEBIT · VILICVS SI · NOLET · MALE · FACERE · NON · FACIET · SI · PASSVS · ERIT DOMINVS · IMPVNE · NE · SINAT · ESSE · PRO · BENEFICIO · GRATIAM REFERAT · VT · ALIIS · RECTE · FACERE · LIBEAT

VILICVS · NE · SIT · AMBVLATOR · SOBRIVS · SIET · SEMPER · AD · COENAM NE · QVO · EAT · FAMILIAM · EXERCEAT CONSIDERET · QVAE · DOMINVS IMPERAVERIT · FIANT · NE · PLVS · CENSEAT · SAPERE · SE · QVAM DOMINVM · AMICOS · DOMINI · EOS · HABEAT · SIBI · AMICOS · CVI IVSSVS · SIET · AVSCVLTET

REM DIVINAM · NISI · COMPITALIBVS · IN · COMPITO · AVT · IN · FOCO NE · FACIAT

INIVSSV · DOMINI · CREDAT · NEMINI · QVOD · DOMINVS · CREDIDERIT EXIGAT · SATVI · SEMEN · CIBARIA · FAR · VINVM · OLEVM · MVTVVM DEDERIT · NEMINI · DVAS · AVT · TRES · FAMILIAS · HABEAT · VNDE VTENDA · ROGET · ET · QVIBVS · DET · PRAETEREA · NEMINI · RATIONEM CVM · DOMINO · CREBRO · PVTET · OPERARIVM · MERCENARIVM POLITOREM · DIVTIVS · EVMDEM · NE · HABEAT · DIE · NE · QVID EMISSE · VELIT · INSCIENTE · DOMINO · NEV · QVID · DOMINVM CELAVISSE · VELIT

PARASITVM · NE · QVEM · HABEAT · HARVSPICEM · AVGVREM · HARIOLVM CHALDAEVM · NE · QVEM · CONSVLVISSE · VELIT

SEGETEM · NE · DEFRVDET · NAM · ID · INFELIX · EST · OPVS · RVSTICVM OMNE · CVRET · VTI · SCIAT · FACERE · ET · ID · FACIAT · SAEPE · DVM NE · LASSVS · FIAT · SI · FECERIT · SCIBIT · IN · MENTE · FAMILIAE QVID · SIET · ET · ILLI · ANIMO · AEQVIORE · FACIENT · SI · HOC FACIET · MINVS · LIBEBIT · AMBVLARE · ET · VALEBIT · RECTIVS · ET DORMIBIT · LIBENTIVS

PRIMVS · CVBITV · SVRGAT · POSTREMVS · CVBITVM · EAT · PRIVS · VILLAM VIDEAT · CLAVSA · VTI · SIET · ET · VTI · SVO · QVISQVE · LOCO · CVBET ET · VTI · IVMENTA · PABVLVM · HABEANT

(1) v. inscr. 304. (2) R. R. l. 1. c. 2. (3) R. R. c. 5.

BOVES · MAXIMA · DILIGENTIA · CVRATOS · HABETO · BVBVLCIS · OBSEQVITOR PARTIM · QVO · LIBENTIVS · BOVES · CVRENT
ARATRA . VOMERESQVE · FACITO · VTI · BONOS · HABEAS · TERRAM CARIOSAM · CAVETO · NE · ARES · NEVE · PLOSTRVM · NEVE · PECVS IMPELLAS · SI · ITA · NON · CAVERIS · QVO · IMPVLERIS · TRIENNII FRVCTVM · AMITTES
PECORI · ET · BVBVS · DILIGENTER · SVBSTERNATVR · VNGVLAE · CVRENTVR SCABIEM · PECORI · ET · IVMENTIS · CAVETO · ID · EX · FAME · ET · SI IMPLVIT · FIERI · SOLET
OPERA · OMNIA · MATVRE · CONFICIAS · FACE · NAM · RES · RVSTICA · SIC EST · SI · VNAM · REM · SERO · FECERIS · OMNIA · OPERA · SERO · FACIES
STRAMENTA · SI · DEERVNT · FRONDEM · ILIGNEAM · LEGITO · EAM SVBSTERNITO · OVIBVS · BVBVSQVE
STERQVILINIVM · MAGNVM STVDE · VT · HABEAS · STERCVS · SEDVLO CONSERVA · CVM · EXPORTABIS · PVRGATO · ET · COMMINVITO · PER AVTVMNVM · EVEHITO · CIRCVM · OLEAS · AVTVMNITATE · ABLAQVEATO ET · STERCVS · ADDITO · FRONDEM · POPVLNEAM · VLMEAM · QVERNEAM CAEDITO · PER · TEMPVS · EAM · CONDITO · NON · PERARIDAM · PABVLVM OVIBVS · ITEM · FOENVM · CORDVM · SICILIMENTA · DE · PRATO · EA ARIDA · CONDITO
POST · IMBREM · AVTVMNI · RAPINAM · PABVLVM · LVPINVMQVE · SERITO

plures haec in articulos tribui, quo legum latarum formam exprimerem, quarum multa erant capita: itaque Tullius quadragesimum legis agrariae caput (1), Caelius unum et centesimum legis judiciariae (2) nominant.

Catonianum vero exemplum nuper sequutus, legem scripsi, quam vir summus Alexander Albanus Cardinalis domi fixit in bibliotheca optimis quibusque libris scriptisque instructissima, cui me jamdiu, beneficio plane singulari, praeesse voluit. auctor tamen legis hic eminet magis, quod e regione tabulae historica incisa est inscriptio, quam hic primam leges:

ALEXANDER · HOR · F ·
ALBANVS · CARD ·
AD · DOMESTICAE · LAVDIS · STVDIVM
IN · POSTEROS · PROROGANDVM
BIBLIOTHECAM · A · MAIORIBVS
INSTITVTAM
QVAM . CLEMENS · XI · PONT · MAX ·
PATRVVS · MEVS
FLORENTISSIMORVM · AVCTORVM
LIBRIS · SCRIPTISQVE
INSTRVXIT
AVCTIS · ORDINATISQVE · PLVTEIS
REFECTAM · ET · NOVO · CVLTV
EXORNATAM
EXQVISITIS · OMNIVM
DISCIPLINARVM · VOLVMINIBVS
AD · TRIA · MILLIA · ET · QVINGENTA
LOCVPLETAVI

(1) de l. Agr. 3. c. 2. n. 4. (2) Famil. l. 8. ep. 8.

PRAEFECTI · BIBLIOTHECAE
HAEC · ERVNT · OFFICIA
LIBRORVM · CODICVM · MEMBRANARVM · CHARTARVMVE · QVAECVMQVE · INLATA · DESCRIPTA DEDICATAVE · SIENT · CVSTOS · ESTO · QVAE · NOVA · ADCREVERINT · IN · ELENCHVM IN · INDICEM · REFERAT
QVAE · PECVNIA · EMENDORVM · VOLVMINVM · NOMINE · AVT · IN · TVITIONEM · DATA ADTRIBVTA · FVERIT · EAM · PECVNIAM · INFERAT · RATIONIBVS · TABVLASQVE ACCEPTI · ET · EXPENSI · CONFICIAT
LIBRVM · SCRIPTVMVE · VTI · LIMINE · EFFERAT · DEDERIT · NEMINI
AMICOS · DOMINO · ET · FAMILIARES · COMIS · RECIPITO · IGNOTVM · NE · QVEM ADMITTITO
ADESTO · A · MERIDIE · ALTERNIS · DIEBVS · QVI · PROFESTI · ERVNT · MANE · KALENDIS ET · IDIBVS · OCTOBRI · MENSE · FERIATOR
ARMARIA · QVVM · ABERIT · CLAVSA · VTI · SIENT · ET · OSTIVM · NE · CVI · PATEAT CVRATO
QVI · MVNDICIAS · FACIAT · SERVVM · HABETO · CONSIDERET · QVAE · DOMINVS IMPERAVERIT · FIANT
QVID · SIBI · CREDITVM · THESAVRI · SIET · VNVS · NOSCITET · MAXIME · IDEM · LIBRIS SAPIENTER · VTATVR · DISCENDI · TERMINOS · ESSE · NVLLOS · MEMINERIT

II· Iamvero non leges modo veterum, sed ipsa earum capita idem fere aut persimile habuerunt initium: quippe a relativis pronominibus prope omnia inchoantur, quemadmodum fragmenta veterum tabularum ostendunt. plebiscitum exempli caussa, quo Thermenses majores Peisidae *liberi, amici sociique populi Romani* declarati sunt, haec capitum initia exhibet: *Qui Thermenses Majores Peisidae Fueruut* · · · . *Qui Agri Quae Loca Aedificia Publica Preivatave* · · · · *Quae Thermeusium Majorum* · · · · *Quos Thermenses Majores* · · · · *Nei Quis Magistratus Prove Magistratu Legatus* · · · · *Quae Legis Quodque Ious* · · · · *Quam Legem Portorieis Terrestribus Maritimeisque* · · · · ac similia his pleraque exempla sunt. nimirum ii ante indicari saepe solent, qui lege teneantur, deinde res ipsa, quam praestare debeant: ut in tabula Heracleensi apud Maffejum (1):

QVOIVS · ANTE · AEDIFICIVM · SEMITA · IN . LOCO · ERIT · IS · EAM SEMITAM · EO · AEDIFICIO · PERPETVO · LAPIDIBVS · PERPETVEIS INTEGREIS · CONTINENTEM · CONSTRATAM · RECTE · HABETO ARBITRATV · EIVS · AED · QVOIVS · IN · EA · PARTE · H · L · (2) VIARVM PROCVRATOR · ERIT

interdum res ipsa primo ennunciatur, circa quam lex versetur; tum ii, quibus imposita lex sit, et qua etiam conditione sit dicta (3):

QVAE · VIAE · IN · V · R · (4) SVNT · ERVNT · INTRA · EA · LOCA · VBI CONTINENTI · HABETABETVR · NE · QVIS · IN · IEIS · VIEIS . POST K · IANVAR · PRIMAS · PLOSTRVM · INTER · DIV · POST · SOLEM ORTVM · NEVE · ANTE · HORAM · X · DIEI · DVCITO · AGITO · NISI QVOD · AEDIVM · SACRARVM · DEORVM · IMMORTALIVM · CAVSSA AEDIFICANDARVM · OPERISVE · PVBLICE · FACIVNDEI · CAVSSA · ADVEHI PORTARI · OPORTEBIT · AVT · QVOD · EX · VRBE · EXVE · IEIS · LOCEIS EARVM · RERVM · QVAE · PVBLICE · DEMOLIENDA · LOCA · ERVNT PVBLICE · EXPORTAREI · OPORTEBIT · ET · QVARVM · RERVM · CAVSSA

(1) M. V. p. 459. n. 53.
(2) *Hac Lege*.
(3) ibid. n. 56.
(4) *Vrbe Roma*.

PLOSTRA · II · L · CERTEIS · HOMINIBVS · CERTEIS · DE · CAVSSIS AGERE · DVCERE · LICEBIT

nec mirum, Latinos veteres trajecta ejusmodi loquutione admodum esse delectatos: quippe ad perspicuitatem et dignitatem ea plurimum confert. utramque nuper rationem sequutus, viri eminentissimi Xaverii Zeladae Cardinalis rogatu, has Museo Kircheriano leges perscripsi:

QVAE · DONO · DATA · COMPARATA · EMPTAVE · IN · MVSEVM · AD · HANC · DIEM · INLATA DEDICATA · SVNT · QVAEQVE · POSTEA · INFERENTVR · DEDICABVNTVR · EA · OMNIA COLLEGI · ROMANI · PRIVATA · PROPRIAQVE · IVRE · MANCIPI · SVNTO

SI · QVID · EORVM · QVIS · CLEPSERIT · AVT · DOLO · MALO · CORRVPERIT · VIOLARIT HIC · SIBI · PONTIFICIS · MAXIMI · DECRETO · SACRIS · INTERDICTVM · SCIAT

CIVES · HOSPITESVE · QVICVMQVE · AMANT · LITTERAS · STATIS · DIEBVS · SPECTATVM ADMITTVNTOR · IIDEM · CVM · LIBVERIT · REDEVNTO

HIS · DESCRIBERE · QVAE · VELINT · ET · IN · CHARTIS · EFFINGERE · LICETO

MOVERE · QVID · ALIOVE · TRANSFERRE · NE · LICETO

Verbis autem, quae ad jubendum aut vetandum aut permittendum adhibeantur, extremus utique locus fere tribuitur; eaque imperativo maxime modo usurpari solent: nec, nisi perraro, occurrit, quod in lege de aquarum ductibus animadversum est (1), pro imperativo modo indicativus, praesenti potissimum tempore usurpatus; quamquam personae verborum declinatusque, quemadmodum res quaeque poscit, varie miscentur: itaque et negotium iis, qui lectioni assueti non sunt, aliquando facessunt.

Sed tamen illud quoque, ne nimis antiqua consectemur, rursum hic admonebo, legum nempe, quae sub Augustis scriptae sunt, multo etiam expeditiorem esse rationem planioremque sermonem, quam earum, quae republica incolumi prodierunt: ut appareat, stilum priscarum legum, quum optima quaeque probarentur, multis horridulum visum esse. id, opinor, exemplo quod libro primo attulimus, satis declaratur: sed longe plurimum confirmat legis particula, quam *Regiam* quidam appellant, tu *Imperatoriam* rectius dixeris: qua lege Vespasiano Aug. datum est, ut imperio potitus ea optimo jure facere posset, quaecumque ante ipsum probatis imperatoribus facere licuisset (2).

FOEDVSVE · CVM · QVIBVS · VOLET · FACERE · LICEAT · ITA · VTI LICVIT · DIVO · AVG · TI · IVLIO · CAESARI · AVG · TIBERIOQVE CLAVDIO · CAESARI · AVG · GERMANICO

VTIQVE · EI · SENATVM · HABERE · RELATIONEM · FACERE · REMITTERE SENATVS · CONSVLTA · PER · RELATIONEM · DISCESSIONEMQVE · FACERE LICEAT · ITA · VTI · LICVIT · DIVO · AVG · TI · IVLIO · CAESARI · AVG · TI · CLAVDIO · CAESARI · AVG · GERMANICO

VTIQVE · CVM · EX · VOLVNTATE · AVCTORITATEVE · IVSSV · MANDATVVE EIVS · PRAESENTEVE · EO · SENATVS · HABEBITVR · OMNIVM · RERVM IVS · PERINDE · HABEATVR · SERVETVR · AC · SI · E · LEGE · SENATVS EDICTVS · ESSET · HABERETVRQVE

VTIQVE · QVOS · MAGISTRATVM · POTESTATEM · IMPERIVM · CVRATIONEMVE CVIVS · REI · PETENTES · SENATVI · POPVLOQVE · COMMENDAVERIT QVIBVSQVE · SVFFRAGATIONEM · SVAM · DEDERIT · PROMISERIT EORVM · COMITIIS · QVIBVSQVE · EXTRA · ORDINEM · RATIO · HABEATVR

VTIQVE · EI · FINES · POMERII · PROFERRE · PROMOVERE · CVM · EX REPVBLICA · CENSEBIT · ESSE · LICEAT · ITA · VTI · LICVIT · TI · CLAVDIO · CAESARI · AVG · GERMANICO

VTIQVE · QVAECVMQVE · EX · VSV · REIPVBLICAE · MAIESTATE · DIVINARVM HVMANARVM · PVBLICARVM · PRIVATARVMQVE · RERVM · ESSE · CENSEBIT

(1) inscr. 304. (2) Grut. p. 242.

EI · AGERE · IVS · POTESTASQVE · SIT · ITA · VTI · DIVO · AVG · TIBERIOQVE · IVLIO · CAESARI · AVG · TIBERIOQVE · CLAVDIO · CAESARI AVG · GERMANICO · FVIT

VTIQVE · QVIBVS · LEGIBVS · PLEBEIVE · SCITIS · SCRIPTVM · FVIT · NE DIVVS · AVG · TIBERIVSVE · IVLIVS · CAESAR · AVG · TIBERIVSQVE CLAVDIVS · CAESAR · AVG · GERMANICVS · TENERENTVR · IIS · LEGIBVS PLEBISQVE · SCITIS · IMP · CAESAR · VESPASIANVS · SOLVTVS · SIT QVAEQVE · EX · QVAQVE · LEGE · ROGATIONE · DIVVM · AVG · TIBERIVMVE · IVLIVM · CAESAREM · AVG · TIBERIVMVE · CLAVDIVM CAESAREM · AVG · GERMANICVM · FACERE · OPORTVIT · EA · OMNIA IMP · CAESARI · VESPASIANO · AVG · FACERE · LICEAT

VTIQVE · QVAECVMQVE · ANTE · HANC · LEGEM · ROGATAM · ACTA · GESTA DECRETA · IMPERATA · AB · IMPERATORE · CAESARE · VESPASIANO AVG · IVSSV · MANDATVVE · EIVS · A · QVOQVE · SVNT · EA · PERINDE IVSTA · RATAQ · SINT · AC · SI · POPVLI · PLEBISVE · IVSSV · ACTA ESSENT

SANCTIO

SI · QVIS · HVIVSCE · LEGIS · ERGO · ADVERSVS · LEGES · ROGATIONES PLEBISVE · SCITA · SENATVSVE · CONSVLTA · FECIT · FECERIT · SIVE QVOD · EVM · EX · LEGE · ROGATIONEVE · PLEBISVE · SCITO · S · VE C · (1) FACERE · OPORTEBIT · NON · FECERIT · HVIVS · LEGIS · ERGO ID · EI · NE · FRAVDI · ESTO · NEVE · QVIT · OB · EAM · REM · POPVLO DARE · DEBETO · NEVE · CVI · DE · EA · RE · ACTIO · NEVE · IVDICATIO ESTO · NEVE · QVIS · DE · EA · RE · APVD · SE · AGI · SINITO

porro hanc ego scribendi rationem antiquae illi et jam obsoletae praeoptaverim, quae, quum a communi scribendi genere non parum abeat, molesta plerisque atque ingrata esse possit: nam hanc quidem, quae modum servat, et justis distincta formulis, gravitatem cum elegantia conjungit, his temporibus atque his litterarum studiis, quae nunc florent, apprime convenire putaverim.

Quod reliquum est, Imperatoriae legi *Sanctionem* quasi clausulam subjectam esse vides: quae quidem aliis in legibus vel certam poenam, ut ait Papinianus (2), irrogabat iis, qui praeceptis legis non obtemperassent; vel etiam legem ipsam difficultate abrogationis sepiebat: quamobrem a Festo (3) adnotatum est, in sanctione legum adscribi, *Neve per saturam abrogato aut derogato*. neutrum tamen in Imperatoria cautum est, sed de impunitate solum, si quid contra alias leges ejusdem legis ergo factum esset. contrariam huic sanctionem paraverant octo illi tribuni plebis, qui rogationem de M. Tullio ab exsilio revocando ferre statuerant: quae quidem sanctio minime exsuli Ciceroni placebat; eratque ei suspicio malitiae alicujus, quum caput ejusmodi nulla in lege inveniretur. verba ipsa, ut legenda censeo, hic subjiciam, de quibus multa ille ad Atticum scripsit (4):

SI · QVID · IN · HAC · ROGATIONE · SCRIPTVM · EST · QVOD · PER · LEGES PLEBISVE · SCITA · PROMVLGARE · ABROGARE · DEROGARE · OBROGARE NON · LICEAT · NON · LICVERIT · QVODVE · EI · QVI · PROMVLGAVIT ABROGAVIT · DEROGAVIT · OBROGAVIT · OB · EAM · REM · POENAE MVLTAEVE · SIT · E · H · L · N · R · (5)

III· Venio jam ad edicta, quae Dionysius Halicarnasseus (6) τα των δικαιων και αδικων επιταγματα appellat; sed quibus tamen singuli magistratus non modo quae juris erant, sed etiam quae ad ritus et consuetudines pertinerent, ac quaecumque e republica visa essent, vel ex sua vel ex senatus auctoritate edicebant.

Edicto cuilibet a fausto omine initium erat, ejusque rei caussa duae illae litterae B·

(1) *Senatusve Consulto*.
(2) l. 41. D. de poen.
(3) v. Satura.
(4) l. 3. ep. 23.
(5) *Ejus Hac Lege Nihil Rogator*.
(6) Antiq. Rom. l. 5. p. 336.

F. praeponi solebant, de quibus dixi ad inscr. cccv. eo sane spectat Plauti versus (1),

Bonum factum est, edicta ut servetis mea:

idemque alludentes designarunt, qui olim, Caesarem ut carperent, quod peregrinos in senatum allegisset, libellum tamquam edictum proposuerunt his verbis (2):

BONVM · FACTVM
NE · QVIS · SENATORI · NOVO · CVRIAM · MONSTRARE · VELIT

aliud initium fuisse puto, quod veteres, ut ait Tullius (3), omnibus rebus agendis praefabantur, *Quod Bonum, Faustum, Felix Fortunatumque Sit.* hoc certe initio aliquoties utitur Livius, quum magistratus aliquid edicentes inducit; ut quum de rege post Romulum creando haec ab Interrege prolata narrat (4):

QVOD · BONVM · FAVSTVM · FELIXQVE · SIT · QVIRITES · REGEM · CREATE ITA · PATRIBVS · VISVM · EST · PATRES · DEINDE · SI · DIGNVM · QVI SECVNDVS · AB · ROMVLO · NVMERETVR · CREARITIS · AVCTORES FIENT

Praefati autem felicitatem, nomina sua magistratus primo scribebant et muneris officiique sui appellationem: tum narrationem fere ordiebantur, post quam brevissime sententiam suam explicabant. si quid vetarent, formula erat *Non Placere*: quam et Augustus usurpavit: quippe ut Athletarum spectaculo muliebrem sexum submoveret, edixit, inquit Svetonius (5), *Mulieres ante horam quintam venire in theatrum Non Placere.* at si quid fieri juberent, plerumque se *Edicere* pronunciabant, ut apud Livium consul Quintius Cincinnatus (6).

EDICIMVS
OMNES · QVI · IN · VERBA · IVRASTIS
CRASTINA · DIE · ARMATI
AD · LACVM · REGILLVM · ADSITIS

ac primae fere personae figura loquuti videntur: quemadmodum veterum quoque edictorum particulae, quas Gellius in libros suos retulit, satis declarant. haec enim, exempli caussa, praetoris verba fuisse scribit ex edicto perpetuo de flamine Diali et de sacerdote Vestae (7): *Sacerdotem Vestalem Et Flaminem Dialem In Omni Mea Iurisdictione Iurare Non Cogam.* erant autem edicta perpetua, quae praetores singuli inito magistratu proponebant, ut sciret populus quo illi jure cum civibus usuri essent: itaque in certam deinde juris reddendi normam transierunt: e quibus demum sub Hadriano Aug. *Edictum Iulianum Perpetuum* exstitit, legis instar, in plura capita tributum, de quo legendi tibi sunt Ranchinus maxime et Gothofredus. porro quum edictorum ingens et varia sit materies; formulae etiam in promptu sunt permultae, sive circa res sacras edicta versentur, sive rem militarem aut administrationem urbanam attingant.

Sed tamen edictorum exempla, quae minus antiqua, ea oratorio prope stilo exarata sunt, nec sine praefatione aliqua esse solent: quo pacto edictum suum Nerva scripsit (8). ea vero edictorum forma si arridet, nihil tibi expeditius esse potest: cui etiam Cassiodorii epistolae magno adjumento erunt: plurimum enim ille copia orationis et ejusmodi praefationibus, quae jamdiu diplomatum propriae sunt, in primis abundat (9).

III. Est aliud edictorum genus, quae Laconum prope more scripta dixeris: adeo contracta omnia, et nihil in illis redundans: quin ipsa magistratuum nomina desideran-

(1) Poen. prol. v. 16.
(2) Svet. in Iul. c. 80. n. 4.
(3) de Divin. l. 1. c. 45. n. 102.
(4) l. 1. c. 7. n. 17. et c. 11. n. 28. etc.
(5) in Aug. c. 44. n. 8.
(6) l. 3. c. 8. n. 20.
(7) N. A. l. 10. c. 15. v. l. 11. c. 17.
(8) v. inscr. 306. et Grut. p. 647. n. 6. 7.
(9) v. Maff. Dipl. p. 92.

tur; quod nempe satis esse videbatur, si locus ipse ea publice proposita indicaret. hujusmodi est, quod olim prope Tiberis ripam sub Aventino, ubi emporium fuit, repertum esse, tradit Nardinus (1):

QVIDQVID · VSVARIVM · INVEHITVR
ANSARIVM · NON · DEBET

vectigal scilicet, qualecumque id fuerit, quod ceteri pendebant, qui promercalia importarent. simile autem huic, quamquam plenius paullo atque fusius, Ferrarii edictum quoddam, pastoribus, opinor, subulcisque litteratis nec plane vulgaribus propositum (2);

GREGI · OVILLO · ET · CAPRINO
IN · HAC · REGIONE
PABVLARI · AVT · ESSE
VLTRA · BIDVVM · NE · LICETO
SVILLO · SVNTO · PASCVA
IN · EA · PLAGA · SYLVAE · PVBLICAE
QVAE · PRATIS · ADIACET

elegans etiam est ejusdem Ferrarii stilo perscriptum de Novariensium nocturna quadam supplicatione edictum hujusmodi (3):

EX · PATRICIIS · VIRI · MATRONAEQVE
QVI · QVAEVE · IN · SVPPLICATIONEM
VENIENT · CVLTV · ET · HABITV
CVMPRIMIS · GRAVI · PRO · DIEI
MYSTERIIQVE · SANCTITATE
SVB · NOCTEM · ADSVNTO · MODESTE
COMPOSITE · PROCEDVNTO · PATRIAE
RELIGIONEM · ET · PIETATEM · PRAESEFERVNTO

his tamen adscribi malim, cujus auctoritate proposita sint, quemadmodum apud Gruterum duobus in edictis, nec ita antiquis, diserte initio legimus, *Ex Auctoritate Turci Aproniani V. C. Praef. Vrb.* (4).

Edicta privata dixeris, quae quis privatae rei caussa promulgabat: ut quum funus indicebatur: cujus indicendi formulam Terentius expressit (5):

Exsequias Chremeti quibus est commodum ire, hem tempus est:

in eum autem modum, quum rhetoris officio Romae fungerer, edictum scripsi ad litterarium auditorum meorum certamen indicendum:

QVOD · FELIX · FAVSTVMQVE · SIT
TRIGINTA · PRIMI
E · SCHOLA · RHETORICA · COLL · ROM ·
SI · CVI · COMMODVM · EST · INTERESSE
IDIBVS · AVGVSTIS
DISCIPLINARVM · LIBERALIVM · EXPERIMENTA
PVBLICABVNT

edictis nimirum haec quoque adnumerari possunt; quum Augusti aliquando suadendi etiam et docendi aut consolandi caussa edicta proposuerint (6): neque Augusti solum,

(1) Rom. l. 7. c. 9.
(2) Inscr. p. 197. n. 407.
(3) ibid. p. 191. n. 396.
(4) Grut. p. 647. n. 6. 7.
(5) Phorm. 5. 8. 37.
(6) v. inscr. 305.

sed ante hos aliquando et praetores; ut quum more majorum ferias concipiebant: nam praetorem hac formula *Compitalia* indicere consuevisse, tradit Gellius (1).

DIE · NONI
POPOLO · ROMANO · QVIRITIBVS
COMPITALIA · ERVNT
QVANDO · CONCEPTA · FVERINT
NEFAS

Die autem *noni* et *die pristini*, *die crastini*, *die quarti*, *die quinti*, et similia M. Tullii aetate ac supra eam veteres scripsisse et pronunciasse, auctor est Gellius.

§. III.

DE S. C. ET DECRETIS CIVITATVM

I. Quae Romae *senatus consulta*, aut, si Tribuni intercessissent, *senatus consultorum Auctoritates* appellabantur, ea in Municipiis *Decreta* aut *Decretorum Auctoritates* nominabant. sed haec quoque simili adeo ratione formaque scripta sunt, ut de utrisque simul agi posse videatur. neque vero nulli erunt usui quae hic exponentur, quum nunc quoque contingat interdum, ut decreta publica latine scribenda sint, ac potissimum, in quibus de magnis viris ornandis agatur, atque ut in statuarum etiam basibus honoris caussa incidantur: cujusmodi est, quod olim Neapoli scite admodum confecit Egizius (2), quum Regi Philippo V. Borbonio statua equestris ex aere decreta esset.

Senatus consultorum, quae exstant, non idem omnium exordium fuisse videtur, siquidem ea, qualia accepimus, inter se comparentur. sed ea caussa est, quod scriptores, quorum saepe hoc unum intererat, ut senatus sententiam proferrent, sic aliquando in libros ea suos retulerunt, ut exordium totum omitterent. nihil scilicet ad ea, quae tractabant, conferre poterat, si et haec traderent, quo potissimum die, quo loco, quinam quotve numero senatores scribendo adfuissent. haec enim sunt, quae initio passim legebantur, veteri plane more: quum in ipso senatus consulto de Bacchanalibus, quod factum est Q. Marcio Sp. Postumio Cos. (3) haec omnia perscripta sint (4). jam quod in Centumvirorum Municipii Vejentis Auctoritate nomina decurionum infra legamus, ideo factum puto, quod decretum illud extraordinarium esset, neque sollemne ac legitimum haberetur, quum Centumviri nec frequentes convenissent, et a curia atque a municipio suo abessent: itaque, quorum nomina cientur, ii non scribendo adfuisse, sed tantum adfuisse dicuntur, quo nempe statuerent, quae in decreto publico ex omnium sententia scribenda essent. decretum autem, quod a concilio conventus Cluniensis ad Pudentem Cornelianum missum fuisse diximus (5), non ipsum decretum est integrum, quod in concilio scriptum fuerat, sed sententiae tantum exemplar, unde Cornelianus, ad quem legatus tabulam detulit, patronum se cooptatum esse intelligeret.

At decreta ipsa, quae in municipiis coloniisque fierent, ne in hoc quidem a senatus consultis differre solebant (6): inter quae Pisanorum decurionum decreta eminent Augusti aevo scripta: quae Norisius minus commode *Cenotaphia* appellavit. haec at-

(1) N. A. l. 10. c. 24.
(2) Opusc. p. 396.
(3) An. Varr. 568.
(4) Fabr. p. 427. n. 1. et Egiz. in Explic.
(5) v. inscr. 310.
(6) v. Grut. p. 443. n. 6. 456. n. 1. 475. n. 4. etc.

que alia non pauca a diei nota incipiunt, quo decretum scriptum erat; indicaturque in his locus, quo decuriones convenere, Augusteum, puta, vel Curia Aug. vel templum aliquod, interdum et Bibliotheca (1): tum nomina adscribuntur eorum, quibus praesentibus decretum exaratum sit: aderant autem quasi testes, qui sententiae auctores fautoresque fuissent, tum praesertim, quum de honoribus agebatur, quod Romae etiam in more positum erat, itaque Catoni Tullius Procos. scripserat (2) *Res ipsa declarat, tibi illum honorem nostrum supplicationis jucundum fuisse, quod scribendo adfuisti: haec enim senatus consulta non ignoro ab amicissimis ejus, cujus de honore agitur, scribi solere.*

II· Post nomina eorum, qui scribendo adfuissent, versu a capite inchoato, cum protinus designabant, qui verba fecisset, sententiae scilicet auctorem, cui patres adsensi essent: quem fere magistratum fuisse video. *Quod C. Canius C. F. Saturninus II. Vir. V. F. De Augendis Honoribus L. Caesaris* : . . . (3), enimvero si multi de re eadem loquuti essent, alio veteres initio usi; *Quod Verba Facta Sunt* (4), vel *Quod Vniversi Verba Fecerunt* (5): tum indicato, quid magistratus proposuissent suasissentque, formula illa sollemnis subjiciebatur, *Quod De Ea Re Fieri Placuit, De Ea Re Ita Censuerunt*, vel etiam brevius, *De Ea Re Ita Censuerunt*: quae quia nota erant, litteris fere singulariis scribebantur. hinc jam quid patres censuissent, exponi solebat, rebus saepe multis et breviter et dilucide explicatis, quas aegre quis vel longa nunc oratione expediret.

Singula jam veteri in exemplo animadvertas, licet, nisi quod consules tantum initio desiderantur: quippe infra ambo in ipsa sententia cientur, item ii, qui in annum proximum designati essent: est autem exemplum ejus senatus consulti, quod M. Caelius ad M. Tullium misit (6).

PRIDIE · KAL · OCT · IN · AEDE
APOLLINIS · SCRIBENDO · ADFVERVNT
L · DOMITIVS · CN · F · AHENOBARBVS
Q·CAECILIVS·Q·F·METELLVS·PIVS·SCIPIO
L · VILLIVS · L · F · POMP · ANNALIS
C · SEPTIMIVS · T · F · QVIRINA
C · LVCCEIVS · C · F · PVP · HIRRVS
C · SCRIBONIVS · C · F · POP · CVRIO
L · ATEIVS · L · F · AN · CAPITO
M · OPPIVS · M · F · TERENTINA

QVOD · M · MARCELLVS · COS · (7) V · F · DE · PROVINCIIS · CONSVLARIBVS D · E · R · I · C · VTI · L · PAVLLVS · C · MARCELLVS · COS · CVM MAGISTRATVM · INISSENT · EX · A · D · KAL · MART · QVAE · IN · SVO MAGISTRATV · FVTVRAE · ESSENT · DE · CONSVLARIBVS · PROVINCIIS AD · SENATVM · REFERRENT · NEVE · QVID · PRIVS · EX · KAL· MART · NEVE · QVID · CONIVNCTIM · DE · EA · RE · REFERRETVR A · CONSVLIBVS · VTIQVE · EIVS · REI · CAVSSA · PER · DIES · COMITIALES SENATVM · HABERENT · S · Q · C · FACERENT · ET · CVM · DE · EA RE · AD · SENATVM · REFERRETVR · A · CONSVLIBVS · QVI EORVM IN · CCC · IVDICIBVS · ESSENT · EOS · ADDVCERE · LICERET · SI QVID · DE · EA · RE · AD · POPVLVM · PLEBEMVE · LATO · OPVS · ESSET VT · SER · SVLPICIVS · M · MARCELLVS · COS · PRAET · TRIB · PL · QVIBVS · EORVM · VIDERETVR · AD · POPVLVM · PLEBEMVE · FERRENT QVOD · II · NON · TVLISSENT · VTI · QVICVMQVE · DEINCEPS · ESSENT AD · POPVLVM · PLEBEMVE · FERRENT

(1) Grut. p. 475. n. 4.
(2) Fam. l. 15. ep. 6.
(3) Noris. Cen. Pis. n. 2.
(4) v. inscr. 307.
(5) v. inscr. 311.
(6) Famil. l. 8. ep. 8.
(7) Cos. an. Varr. 703.

At quum de viris fortibus honorandis ageretur, primum res gestas ac meritum cujusque commemorabant, ut deinde judicii testimoniique sui laudem tribuerent. multa hujusmodi exempla in M. Tullii Philippicis praesto sunt (1): itaque verba hic tantum proferam, quibus ille senatus consultum de D. Bruto faciendum censuit: cujus quidem cetera illa, quae, quum senatus consulta scriberentur, praeponi solebant, facile quisque supplere possit (2).

CVM · D · BRVTVS · IMP · COS · DESIGNATVS · PROVINCIAM · GALLIAM IN · SENATVS . POPVLIQVE · ROMANI · POTESTATE · TENEAT · CVMQVE EXERCITVM · TANTVM · TAM · BREVI · TEMPORE · SVMMO · STVDIO MVNICIPIORVM · COLONIARVMQVE · PROVINCIAE · GALLIAE . OPTIME DE · RE · PVBLICA · MERITAE · MERENTISQVE · CONSCRIPSERIT COMPARARIT · ID · EVM · RECTE · ET · ORDINE · EXQVE · RE · PVBLICA FECISSE · IDQVE · D · BRVTI · PRAESTANTISSIMVM · MERITVM · IN REM · PVBLICAM · SENATVI · POPVLOQVE · ROMANO · GRATVM · ESSE ET · FORE · ITAQVE · SENATVM · POPVLVMQVE · ROMANVM EXISTIMARE · D · BRVTI · IMP · COS · DESIGNATI · OPERA · CONSILIO VIRTVTE · INCREDIBILIQVE · STVDIO · ET · CONSENSV · PROVINCIAE GALLIAE · REI · PVBLICAE · DIFFICILLIMO · TEMPORE · ESSE SVBVENTVM

eodem modo, quum in senatu quidam auctores fuissent, ut qui *Sextilis* mensis dicebatur, ex Octaviani cognomine *Augustus* nuncuparetur, in senatus consulto caussae allatae sunt, ob quas patres in eam sententiam venissent, deque ea re ita censuerunt (3):

CVM · IMP · CAESAR · AVGVSTVS · MENSE · SEXTILI · ET · PRIMVM CONSVLATVM · INIERIT · ET · TRIVMPHOS · TRES · IN · VRBEM INTVLERIT · ET · EX · IANICVLO · LEGIONES · DEDVCTAE · SEQVVTAEQVE SINT · EIVS · AVSPICIA · AC · FIDEM · SED · ET · AEGYPTVS · HOC MENSE · IN · POTESTATEM · POPVLI · ROMANI · REDACTA · SIT FINISQVE · HOC · MENSE · BELLIS · CIVILIBVS · IMPOSITVS · SIT ATQVE · OB · HAS · CAVSSAS · HIC · MENSIS · HVIC · IMPERIO FELICISSIMVS · SIT · AC · FVERIT · PLACERE · SENATVI · VT · HIC MENSIS · AVGVSTVS · APPELLETVR

II. Haec plerumque senatus consultorum decretorumque veterum forma erat; sed nonnulla tamen in quibusdam occurrunt, quae in ceteris desiderantur. nam initio aliquando magistratus enunciabatur, qui senatum consuluisset, tum nempe, quum senatum ille idem vocasset, quo de iis, quae muneris sui essent, ad eum referret (4), ut quum consules de Bacchanalibus tollendis retulerunt. deest interdum vetus formula D · E · R · I · C · pro qua scriptum est *Ita Exdicendum Censuerunt,* vel etiam post nomina testium sententia senatus continuo subjecta (5). huc, si libet, arbitrorum sententiam referas de finium controversiis inter Genuates et Veturios (6): horum legatis praesentibus, arbitri *Q. et M. Minutii*, postquam de controversiis cognituri, agros populi utriusque lustrassent, *Romae Coram Sententiam Ex Senati Consulto Dixserunt Eidib. Decemb. L. Caecilio Q. F. Q. Minutio Q. F. Cos.* (7) quae mihi sententia pro ipso senatus consulto in aere incisa esse videtur.

Est quoque, vetustissimorum consultorum instar, ejusmodi senatus responsum, ut patres ipsi Tiburtium legatos, quibus senatus datus fuerat, alloquentes inducantur: quod ego hic non invitus afferam; est enim, ut illis temporibus, elegans et plenum dignitatis (8):

(1) orat. 3. 5. 9. 10. 11. 14.
(2) phil. 5. c. 13. n. 36.
(3) Macrob. Sat. l. 1. c. 12.
(4) v. inscr. 307. et Fabr. p. 427. n. 1.
(5) Fabr. ibid. Grut. p. 499. n. 12.
(6) Grut. p. 204.
(7) An. Varr. 637.
(8) Grut. p. 499. n. 12. Viscont. Iconogr. Rom. part. 1. cap. 2. §. 16.

L · CORNELIVS · CN · F · PR · SEN · CONS · A · D · III · NONAS · MAIAS · SVB · AEDE · KASTORVS
SCR · ADF · A · MANLIVS · A · F · SEX · IVLIVS · L · POSTVMIVS · S · F ·
QVOD · TEIBVRTES · V · F · (1) QVIBVSQVE · DE · REBVS · VOS · PVRGAVISTIS · EA · SENATVS ANIMVM · ADVORTIT · ITA · VTEI · AEQVOM · FVIT · NOSQVE · EA · ITA · AVDIVERAMVS VT · VOS · DEIXISTIS · VOBEIS · NONTIATA · ESSE · EA · NOS · ANIMVM · NOSTRVM NON · INDOVCEBAMVS · ITA · FACTA · ESSE · PROPTER · EA · QVOD · SCIBAMVS EA · VOS · MERITO · NOSTRO · FACERE · NON . POTVISSE · NEQVE · VOS · DIGNOS · ESSE QVEI · FACERETIS · NEQVE · ID · VOBEIS · NEQVE . REI · POBLICAE · VOSTRAE OITILE · ESSE · FACERE · ET · POSTQVAM · VOSTRA · VERBA · SENATVS · AVDIVIT TANTO · MAGIS · ANIMVM · NOSTRVM · INDOVCIMVS · ITA · VTEI · ANTE ARBITRABAMVR · DE · EIEIS · REBVS · AF · VOBEIS · PECCATVM · NON · ESSE QVONQVE · DE · EIEIS · REBVS · SENATVEI · PVRGATI · ESTIS · CREDIMVS . VOSQVE ANIMVM · VOSTRVM · INDOVCERE · OPORTET · ITEM · VOS · POPVLO ROMANO · PVRGATOS · FORE

quam in suspicionem Tiburtes apud Romanos vocati essent, difficile est definire: nisi haec ad nimis antiqua tempora revocemus, quum agro multati a Livio dicuntur (2), non ob recens tantum rebellionis commune cum aliis Latinis crimen, sed quod, taedio imperii Romani, cum Gallis, gente efferata, arma quondam consociassent (*a*). utcumque se ea res habuit, descripta haec ex aenea Fulvii Vrsini tabula tradit Gruterus, eamque veterem ac germanam esse Fabrettus quoque censuit (3). sed elevavit Maffejus, litterati alicujus viri lusum fuisse affirmans (4). scriptura certe, ut ille ait, et lingua mire dissentiunt. litterae ipsae consonantes geminantur, quod priscis temporibus non fiebat: quod tamen ei fortasse vertendum vitio est, qui exscripsit. tum forma etiam, ut vocat, *senatus consulti* valde ille offenditur, de qua minus, opinor, laborandum est: Syracusanos quoque legatos in senatum introductos narrat Livius (5), atque ita responsum esse: *Virum bonum egregiumque socium Hieronem esse, atque uno tenore, ex quo in amicitiam populi Romani venerit, fidem coluisse; ac rem Romanam omni tempore ac loco munifice adjuvisse: id perinde ac deberet, gratum populo Romano esse*: et alia hujusmodi. Tiburtes autem quum senatus culpa liberasset, quidni sententia ejus digna legatis videretur, quam in aes inciderent, domumque ad cives suos tamquam senatus testimonium referrent? quidni et testes scribendo adessent, ut responso senatus nihil additum nihil detractum esse Tiburtes certo scirent? ipsa porro sententia belle sibi constat, eademque, unam aut alteram voculam si addideris, etiam dilucida fiat. *Quod, Tiburtes, Verba Fecistis, Senatus, Ita Vti Aequum Fuit, De Quibusque* (id est, ut saepe et Plautus usurpavit, *De Quibuscumque*) *Rebus Vos Purgavistis, Ad Ea Animum Advertit. Nos Quidem Ita Ea Audiveramus Esse, Vt Vos Dixistis Vobis Nunciata Esse: Sed Ea Nos Animum Nostrum Non Inducebamus, Ita Facta Esse*: et quae sequuntur: *Nunc Vero Postquam Vestra Verba Senatus Audivit*: et reliqua.

III. Quia demum quaedam senatus consulta in exemplaria plura transcribebantur (6), ut per Italiam dimitterentur; idcirco in singulis tum exemplaribus adscribebant, quo unumquodque loco in aes incidi et proponi deberet. itaque in tabula senatus consulti de Bacchanalibus, quae Tirioli in Brutiis reperta est, leges ad calcem IN · AGRO · TEVRANO: qui tractus ad fretum Siculum est, atque a Strabone Ταυριανη χωρα dicitur (7). exemplar, non Romae, sed in sua quodque regione, quo missum esset, incisum aeri, ipsa senatus consulti verba declarant: *Atque Vtei Hoce in Tabolam Ahenam Incideretis,*

(1) *V. F. Verba Fecistis.*
(2) l. 8. c. 12. n. 14.
(*a*) Ceterum Enn. Quir. Viscontius in Iconogr. Rom. part. 1. c. 2. §. 16. qui hanc eandem inscriptionem ad fidem autographi exegit, putat hoc senatus responsum factum fuisse ann. V. C. Varr. 664. aut 665. quum nempe sociale bellum exarserat.
(3) Inscr. p. 243. D.
(4) Art. Cr. Lap. p. 160. et p. 344.
(5) l. 22. c. 22. n. 37.
(6) Liv. l. 39. c. 9. n. 14.
(7) l. 3. p. 254. v. Egiz. in Expl. p. 169.

Ita Senatus Aiquom Censuit, Vteique Eam Figier Ioubeatis, Vbei Facilumed Gnoscier Potisit.

Municipalium decretorum illa maxime propria, ut post formulam D · E · R · I · C · addatur aliquando qui primus censuerit: *Primo Censente Calfurnio Certo* (1): quamquam id ipsum in fine etiam legimus, quemadmodum libro primo adnotatum est (2): tum etiam ut extremo loco iterum scribatur *Censuerunt*, quo verbo Decuriones decreti formam approbasse significetur (3). id tamen verbum in quibusdam etiam senatus consultis leges (4), quibus etiam senatorum numerus, qui in curiam venissent, adscriptus est: *In Senatu Fuerunt* CCCLXXXIII (5). ut vero quibusdam in municipiis ordo decurionum *Senatus* audiebat, ita horum decreta aliquando *Senatus Consulta* appellata sunt. exemplo sit Aquilejensium decretum (6), quo statuam C. Alvio Pollioni decreverunt, quod repugnantibus, ut reor, ceteris, ne *Praefecti Iuri Dicundo* in annum proximum crearentur, ultro ipse nomen dedisset. inest vero et illud singulare, quod magistratus initio enuncientur recto casu: quamquam id fortasse eo consilio factum, ut constaret, eosdem fuisse, qui in curia de Alvii honoribus verba fecissent:

K · NOVEMB ·
L · NONIVS · RVFINVS · POMPONIANVS
Q · VESONIVS · FVSCVS · P · I · D ·
SCRIB · ADF · C · LVCRETIVS · HELVIANVS
M · TREBIVS · PROCVLVS
L · CAMMIVS · MAXIMVS
S · C ·
CVM · PRONA · VOLVNTATE · HONESTISSIMO · ANIMO · VLTRO · C · ALVIVS · POLLIO · IIII . VIR · I · D · IN · PROXIMVM · ANNVM PROFESSVS · SIT · QVO · FACTO · HAESITATIONI · PVBLICAE · IN PARTEM · MORAM · ADEMERIT · PLACERE · EI · QVO · MAGIS · ETIAM CETERI · AD · BENEFACIENDVM · IN · REPVBLICA · PROVOCENTVR STATVAM · EQVESTREM · AVREAM · IN · FORO · N · PONI · CENSVER ·
PRIM · CENS · C · LVCRETIVS · HELVIANVS

Ceterum Decretorum exempla, et quae in municipiis perscripta sint, alia saepe aliis vel initiis vel distributionibus vel clausulis distincta inveniuntur, ut genus eorum unum, formulae plures fuisse videantur. quapropter ne nos quidem unum semper circa exemplum haerebimus, ac, si res poscat, aliquid etiam aliquando novabimus, formulis tamen usi et aptis et antiquis. velut si ad eum, qui in amplissimum ordinem cooptatus fuerit, Decreti exemplum publice mittendum sit, cui subscribi oporteat, unde descriptum id fuerit; et quo illud loco adservetur, non modo formulas recte quis ad decretum condendum e quibuslibet veterum decretis legat, sed commode etiam, opinor, antiquorum Diplomatum clausulam huc transferet: quemadmodum a me etiam nuper Anagnini municipii nomine Decretum perscriptum est, eujus exemplum Decuriones ad praestantissimum virum et de se optime meritum honoris caussa miserunt. est autem hujusmodi:

(1) Grut. p. 408. n. 1.
(2) ad inscr. 311.
(3) v. inscr. eand.
(4) Grut. p. 503. n. 1.
(5) Don. Cl. 2. n. 66.
(6) id. ibid. n. 64.

PIO · VI · PONTIFICE · MAXIMO

QVATVORVIRATV · ANDREAE · CONTI · DEC :
MARCI · ROMITI
IACOBI · PESOLI
ALEXANDRI · TEDESCHINI

XXXX · VIRI · MVNICIPI · ANAGNINI · IN · CVRIAM
QVVM · CONVENISSENT · PLACVIT · VNIVERSIS
ANTON · LAMBERTVM · RVSCONVM · V · C·
DOMO · CENTO · ANTISTITEM · VRBANVM · XII · VIRVM · SVMPTIBVS · MINVENDIS
QVI · REI · PVBLICAE · CAVSSA · SVSCEPTA · MVNICIPIVM · ANAGNINVM · CONSILIO ET · GRATIA · ADIVVERIT · CIVIVMQVE · CONTROVERSIS · EX · OMNIVM SENTENTIA · COMPOSITIS · SECVRITATEM · OTIVM · CONCORDIAMQVE · CONSTITVERIT OB · TANTA · EIVS · IN · SINGVLOS · VNIVERSOSQVE · MERITA · IPSVM FRATRESQVE · EIVS · DIONYSIVM · ET · PETRVM · RVSCONOS · ET · PETRI LIBEROS · POSTEROSQVE · EORVM · IN · AMPLISSIMVM · ORDINEM · COOPTARI EIVSQVE · REI · CAVSSA · DECRETVM · CONSCRIBI · VT · DECVRIONVM · NVMERO HABERENTVR · VTIQVE · HONORES · MVNICIPALES · PETERE · ET · EO · QVISQVE IVRE · GERERE · POSSET · QVO · QVI · OPTIMO · ANTE · GESSISSENT · ITEM · NE QVOD · AB · IS · VECTIGAL · MVNICIPI · ANAGNINI · EXIGERETVR · CENSVERVNT
ACTVM · NON · IANVAR ·
ANNO · M · DCC · LXXVIIII ·

DESCRIPTVM · ET · RECOGNITVM
EX · CODICE · AVREO
QVI · IN · TABVLARIO · ADSERVATVR
N · VI ·
X · KAL · APR · AN · M · DCC · LXXX ·
ANDREAS ( ) GISCVS
ADIVTOR · ET · SCRIBA · IIII · VIR · R · P · C ·

V. Hactenus quae prolata sunt, eruditioni data dixeris: nam usus quidem et imitationis caussa, diutius hoc in argumento videor mihi esse versatus: quum perraro decreta hujusmodi latine nunc scribantur, nec semper rem seriam agenti ea includer omnia liceat, quae antiquorum magis, quam nostrae consuetudini respondeant. sed tamen fusius haec dicta esse juverit, vel si quis forte ludibundus antiquitatem exprimere, et quae novae res sunt, eas velit prisco more et ornatu repraesentare: quod olim quidam animi caussa satis lepide fecerunt. atque ejus rei ergo non invitus hoc loco commentitium senatus consultum subjiciam ex Satyra Lipsii Menippaea, ad cujus exemplar, si otium erit et voluntas, alia quis facile possit perscribere, quamquam in ea ego sententia habito, res ut ludicras existimem et Latini sermonis et stili hujus dignitati parum semper convenire.

S · C ·

M · TVLLIO · M · F · CICERONE · M · ATTIO · PLAVTO · COS · PRID · KAL · OCTOB · IN AEDE · APOLLINIS · PALATINI · SCRIBVNDO · ADFVERVNT · M · TERENTIVS · VARRO P · NIGIDIVS · FIGVLVS · VERRIVS · FLACCVS · C · CORNELIVS · TACITVS
QVOD · M · TVLLIVS · COS · V · F · DE · CORRECTORIBVS · D · E · R · S · ITA · CENSVIT CORRECTORES · HOC · DIFFICILLIMO · REI · LITTERARIAE · TEMPORE · VTILES NECESSARIOSQVE · ESSE · NON · EOS · TAMEN · PROMISCVOS · NON · INDOCTOS

RVPICES · PETRONES · SED · QVI · CONSILIO · REQVE · APSE · IVVARE · SCRIPTORES PRISCOS · POSSINT

EA · RE · SENATVI · PLACERE · VTI · LEX · ANNARIA · SERVETVR · NEV · QVIS · MINOR XXV · ANNIS · CORRECTVRAM · PETERE · GERERE · POSSIT · QVIQVE · ALITER PETIERIT · GESSERIT · VITIO · CREATVM · VIDERI · ET · CORRECTIONES · EIVS IN · ACTA · NON · MITTI · IN · SENIBVS · DEPONTANIS · QVIQVE · MAIORES · ANNIS LX · SIREMPSE · LEGEM · ESSE

VTIQVE · CENSORES · M · FABIVS · POMPONIVS · ATTICVS · ALTER · AMBOVE · DE DOCTRINA · DEQVE · MORIBVS · PETITORVM · COGNOSCANT · STATVANT · IVDICENT QVOS · HISCE · ADMISERINT · PROBOS · ESSE · QVOS · REIECERINT · REPVLSOS ET · REICVLOS

SI · QVIS · E · LIBRIS · BONIS · FIDISQVE · CORREXERIT · LAVDI · SEMPER · ESSE · SI QVIS · E · CONIECTVRIS · NOXAE · NISI · EAE · CLARAE · LIQVIDAE · CERTAE · SINT QVI · ALITER · CVMQVE · DIVINATIONIBVS · VSVS · IN · EO . LEGES · VETERES ET · EDICTA · DE · MATHEMATICIS · VALERE · PORCIAS · FABIAS · SEMPRONIAS LEGES · NON · VALERE

ITEMQVE · QVONIAM · DVPLEX · MORBVS · CORRECTORES · PLEROS · TENEAT · LITIGIVM ET · PRVRIGO · VTRIQVE · REI · SENATVM · PROSPECTVM · PRAECAVTVMQVE VELLE · DE · LITIGATORIBVS · VTI · QVICVMQVE · POST · HVNC · DIEM · CVM · ALTERO VELITARI . PRAELIARI · VERBIS · SCRIPTISVE . AVSVS · FVERIT · EVM · EOSVE · IN · LVDI GLADIVM · DAMNARI · VTI · PROXIMO · MVNERE · COLLIGATI · INTER · SE · PVGNENT SINE · MISSIONE · DE · PRVRIGINOSIS · QVOS · MANVM · STILVMQVE · ABSTINERE A · NVLLO · LOCO · AVDIANT · SANO · SIVE · INSANO · VTI · CORNELIVS · CELSVS AEDILIS · DISPICIAT · QVI · EX · IIS · SANARI · POSSINT · QVIQVE · NON · POSSINT QVI · POSSE · VIDEBVNTVR · EOS · DEPONI · IN · TEMPLO · AESCVLAPII · QVOD IN · INSVLA · EST · IBIQVE · ELLEBORI · BIBERE · QVANTVM · SATIS · ERIT · QVI NON · POSSINT · EOS · IN · EXSILIVM · AD CIMMERIOS · DEPORTARI · VBI · LVCEM NON · VIDEANT · ET · LIBROS · NON · LEGANT · SI · QVIS · AMBIGVAE · VALETVDINIS ERIT · EVM · AD · TEMPVS · RELEGARI · IN · ATLANTIDEM · INSVLAM · VBI MEMORANTVR · SOMNIA · NON · VIDERI

QVONIAMQVE · MVLTI · EX · HOC · ORDINE · PVLSATOS · ACCEPTOSQVE · INDIGNE · SE A · CORRECTORIBVS . QVERANTVR · PLACERE · VNIVERSIS · CONSCRIPTIS · EAM INIVRIAM · CONTVMELIAMVE · IMPVNEM · NON · ESSE · IN · VIVIS · MORTVISQVE IN · VIVIS · PLACERE · VTI · L · CASSIVS · PRAETOR · DE · CAVSSA · EORVM COGNOSCAT · QVOSQVE · NOXAE · EIVS · COMPERERIT · EOS · MELLE · ET · SESAMO OBLITOS · DIEM · VNVM · DESTITVI · AD · CALDVM · SOLEM · STILIS · VESPARVM ET · MVSCARVM · IN · MORTVIS · VTI · MENIPPVS · PHILOSOPHVS · QVI · VIAM NOVIT · AD · INFEROS · PROFICISCATVR · ET · CVM · AEACO · DE · POENIS EORVM · AGAT

HAEC · ITA · CENSVERVNT · SI · QVIS · HVIC · S · C · INTERCESSISSET · PLACERE AVCTORITATEM · PERSCRIBI · DEQVE · EA · RE · AD · SENATVM · POPVLVMQVE REFERRI

§. IIII.

DE TABVLIS FOEDERVM ET HOSPITIORVM

I. Foedera latine scribi plurimum refert: quae enim vigent linguae, atque in usu omnium sunt, eae, vocabulis, quae in honore erant, paullatim cadentibus, permutantur, nec jam iisdem verbis in ore posterorum ea semper designant, quae apud majores indicabant. quamobrem Polybii aetate multum haesisse Romani perhibentur (1), quum foedus legerent, quod primum cum Carthaginiensibus ictum fuerat. Latinus contra sermo, quo maxime viri eruditi in scribendo utuntur, quum e librorum veterum fontibus manet, nec alios nunc fines habeat, quam qui olim florentibus litteris descripti sunt; ita communis omnium est, ut nemo quidquam mutare audeat, nemo vel uno vocabulo ad praeposteram significationem jure uti possit. quare, quum maxime intersit foederum leges, ne controversiae unquam exsistant in posterum, dilucide scripta esse, suamque nominibus, verbis, sententiis vim perpetuo manere; non alius quisquam id melius ac felicius adsequatur, quam qui tabulas ejusmodi latine potissimum scribendas conficiendasque curaverit. viderant hoc majores, quorum foedera et conditiones pactionesque bellicas Latinis perdiu litteris scripta esse videmus: neque in Italia solum, sed apud Gallos etiam et Germanos et Britannos id olim obtinuisse constat. testes tot foederum συλλογαί, quae jamdiu in lucem editae sunt, ac Rimerii potissimum et Sandersonii codices septemdecim: sume quos libet in manus; in actis hujusmodi scribendis primos fere proavos nostros vernacula usos esse lingua reperies: majores, quibus saepe studii satis ac litterarum non erat, Latina tamen probasse.

Vt ut haec sunt, non eum me tamen esse profiteor, quem ii audire debeant, qui negotium publicum agunt. sed si cui aliquando publica foedera latine describenda erunt, optimum ille habebit exemplum conditiones pacis, quas Asiae regi Antiocho Senatus Populique Romani nomine P. Scipio dixit (2); vel quibus tandem ex decem legatorum sententia foedus conscriptum est (3). addam et quas Aetolis senatus tulit, quum legatos Romam pacis petendae caussa misissent (4).

IMPERIVM · MAIESTATEMQVE · POPVLI · ROMANI · GENS · AETOLORVM CONSERVATO · SINE · DOLO · MALO · NE · QVEM · EXERCITVM · QVI ADVERSVS · SOCIOS · AMICOSQVE · EORVM · DVCETVR · PER · FINES SVOS · TRANSIRE · SINITO · NEVE · VLLA · OPE · IVVATO · HOSTES EOSDEM · HABETO · QVOS · POPVLVS · ROMANVS · ARMAQVE · IN EOS · FERTO · BELLVMQVE · PARITER · GERITO

PERFVGAS · FVGITIVOS · CAPTIVOSQVE · REDDITO · ROMANIS · SOCIISQVE PRAETERQVAM · SI · QVI · CAPTI · CVM · DOMOS · REDISSENT · ITERVM CAPTI · SVNT · AVT · SI · QVI · EO · TEMPORE · EX · IIS · CAPTI SVNT · QVI · TVM · HOSTES · ERANT · ROMANIS · CVM · INTER PRAESIDIA · ROMANA · AETOLI · ESSENT · ALIORVM · QVI · COMPAREBVNT INTRA · DIES · CENTVM · CORCYRAEORVM · MAGISTRATIBVS · SINE DOLO · MALO · TRADANTVR · QVI · NON · COMPAREBVNT · QVANDO QVISQVE · EORVM · PRIMVM · INVENTVS · FVERIT · REDDANTVR

OBSIDES · XXXX · ARBITRATV · COS · ROMANI · DATO · NE · MINORES XII · ANNORVM · NEV · MAIORES · XXXX · OBSES · NE · ESTO · PRAETOR PRAEFECTVS · EQVITVM · SCRIBA · PVBLICVS · NEV · QVIS · QVI · ANTE OBSES · FVERIT · APVD · ROMANOS

(1) Polyb. l. 3. p. 177. A.
(2) Liv. l. 37. c. 29. n. 45.
(3) v. inscr. 312.
(4) Liv. l. 38. c. 9. n. 11.

CEPHALENIA · EXTRA · PACIS · LEGES · ESTO · QVAE · VRBES · QVI · AGRI QVI · HOMINES · AETOLORVM · IVRIS · ALIQVANDO · FVERVNT · QVI EORVM · L · QVINTIO · CN · DOMITIO · COS · POSTVE · EOS · COS · AVT · ARMIS · SVBACTI · AVT · VOLVNTATE · IN · DITIONEM · POPVLI ROMANI · VENERVNT · NE · QVEM · EORVM · AETOLI · RECEPISSE VELINT · OENIADAE · CVM · VRBE · AGRISQVE · ACARNANVM · SVNTO

a victore, ut par erat. conditiones latas esse vides. initium autem his quoque idem fuisse arbitror, quod illis est, quas in libri primi exemplo legimus: nempe, *Amicitia Aetolis Cum Populo Romano His Legibus Et Conditionibus Esto*. hanc quippe foederum omnium legibus inchoandis veterem sollemnemque formulam fuisse, haud obscure Polybius nos docuit (1), quo loco foedera retulit, quae Romani atque Carthaginienses ante Punica bella pepigerant: quorum scilicet hoc est exordium: *Επι τοισδε φιλιαν ειναι Ρωμαιοις και τοις Ρωμαιων συμμαχοις, και Καρχηδονιοις και τοις Καρχηδονιων συμμαχοις.*

Porro quae conditiones pacis amicitiaeve convenissent, eae legum more atque stilo efferebantur: quae fere ita scriptae sunt, ut cum prudentia dignitas in illis quaedam singularis eluceat. hanc vero ut assequamur, enitendum est maxime: ab ea enim potissime foederum tabulis commendatio erit. neque id magnam habet difficultatem, quum veterum formularum non modo ingens sit copia, sed ea etiam natura atque genus, ut pleraeque rebus his, quae nunc tractantur, apte conveniant.

II· Foederis conditionibus jusjurandum subscriptum esse, non est ambigendum: quamquam enim his, quae attulimus, exemplis formula a Livio subjecta non est; de foedere tamen, quod cum Antiocho percussum fuerat, haec diserte tradit (2): *Consul juravit in hoc foedus: ab rege qui exigerent jusjurandum, profecti Q. Minutius Thermus et L. Manlius*. itaque exemplum jurisjurandi, quod foederibus subscribatur, hoc esse possit, ex eodem Livio desumptum (3), ubi foedus ictum inter Albanos et Romanos describit: sic enim ante Horatiorum Curiatiorumque certamen, recitatis legibus, Sp. Fusius paterpatratus a feciali M. Valerio factus, pronunciasse dicitur:

AVDI · IVPITER · AVDI · PATER · PATRATE · POPVLI · ALBANI · AVDI TV · POPVLVS · ALBANVS · VT · ILLA · PALAM · PRIMA · POSTREMAVE EX · ILLIS · TABVLIS · CERAVE · RECITATA · SVNT · SINE · DOLO · MALO VTIQVE · EA · HIC · HODIE · RECTISSIME · INTELLECTA · SVNT · ILLIS LEGIBVS · POPVLVS · ROMANVS · PRIOR · NON · DEFICIET · SI · PRIOR DEFECERIT · PVBLICO · CONSILIO · DOLO · MALO · IN · ILLO · DIE IVPITER · POPVLVM · ROMANVM · SIC · FERITO · VT · EGO · HVNC · PORCVM HODIE · FERIAM · TANTOQVE · MAGIS · FERITO · QVANTO · MAGIS · POTES POLLESQVE

haec tum paterpatratus populi Romani pronunciavit: et sua item carmina, inquit Livius, Albani, suumque jusjurandum per suum dictatorem suosque sacerdotes peregerunt. uterque enim dux, uterque populus in foederibus feriendis fidem suam obligare debebat. quare si populi duo, Atellanus exempli caussa et Calatinus amicitiam nunc foedusque jungerent, in hunc aut similem modum concipere jurisjurandi verba posses, quae legibus et conditionibus subscriberentur:

(1) lib. 3. p. 177. A et p. 178. E. *secundum haec amicitia esto Romanis Romanorumque sociis cum Carthaginiensibus et Carthaginiensium sociis*.

(2) l. 38. c. 24. n. 39.

(3) l. 1. c. 9. n. 24.

IVSIVRANDVM · ATELLANORVM

AVDI · DEVS · OPTIME · MAXIME · AVDI · VIRGO MATER · ET · PATRONI · OMNES · CAELESTES AVDITE · VT · HAE · LEGES · HAE · CONDITIONES IN · TABVLA · IN · ALBO · SCRIPTAE · SVNT VTIQVE · HODIE · RECTISSIME · INTELLECTAE SVNT · HIS · LEGIBVS · HIS · CONDITIONIBVS POPVLVS · ATELLANVS · CVM · POPVLO · CALATINO PACEM · AMICITIAMQVE · FACIT · SI · PRIOR POPVLVS · ATELLANVS · PVBLICO · CONSILIO · DOLO MALO · PACEM · AMICITIAMQVE · CVM · POPVLO CALATINO · RVPERIT · VIOLAVERIT · IN · ILLO · DIE DEVS · OPTIME · MAXIME · POPVLVM · ATELLANVM ET · DOMOS · FAMILIAS · REMQVE · PVBLICAM POPVLI · ATELLANI · PESSIMO · LETO · AFFICIAS

IVSIVRANDVM · CALATINORVM

AVDI · DEVS · OPTIME · MAXIME · AVDI · VIRGO MATER · ET · PATRONI · OMNES · CAELESTES · AVDITE VT · HAE · LEGES · HAE · CONDITIONES · IN · TABVLA IN · ALBO · SCRIPTAE · SVNT · VTIQVE · HODIE RECTISSIME · INTELLECTAE · SVNT · HIS LEGIBVS · HIS · CONDITIONIBVS · POPVLVS CALATINVS · CVM · POPVLO · ATELLANO · PACEM AMICITIAMQVE · FACIT · SI · PRIOR · POPVLVS CALATINVS · PVBLICO · CONSILIO · DOLO · MALO PACEM · AMICITIAMQVE · CVM · POPVLO · ATELLANO RVPERIT · VIOLAVERIT · IN · ILLO · DIE · DEVS OPTIME · MAXIME · POPVLVM · CALATINVM · ET DOMOS · FAMILIAS · REMQVE · PVBLICAM · POPVLI CALATINI · PESSIMO · LETO · AFFICIAS

post haec vero dies et annus adnotandus esset, quibus ea convenissent; tum locus etiam, quo res acta, et magistratus, per quos acta esset: quemadmodum in Ariliensium jurejurando vidimus (1), quod pro foederis tabula haberi potest.

III· Ad hospitiorum tabulas quod pertinet, vix eae nunc usui esse possunt; quum hospitia esse paene desierint, nec jam qui hospites sunt, iidem et patroni aut clientes sint. umbra tamen est quaedam veteris hospitalitatis inter Romanas hasce sodalitates, et quae per Italiam aut etiam extra Italiam constitutae sunt. nam hae quidem, quae peregre celebrantur, quum nec antiquitate fere praestent, nec amplissimis sint Pontificum Maximorum honestatae decretis, Romanas ultro, quae primae omnium aut vetustate aut dignitate putantur, coloniarum veterum more quasi parentes suas verentur, ab eisque contendere solent, ut se in religiosam nominis societatem atque in officiorum et utilitatum communicationem adsumant. quibus autem id datum est, eas tamquam in clientelam commendatas Romanae sodalitates fovent, tuentur: quumque Romam illae religionis caussa pro collegio veniunt, quod anno sacro potissimum faciunt, hae obviam ad faces et cereos procedere solent, templaque ad supplicandum una adeunt, et magnifico eas hospitio accipiunt. hinc vero si quando Romanae sodalitates vicissim ad earum urbes et templa visenda veniunt, sui illae officii esse putant, ut, instituta pompa, ad primum aut alterum lapidem salutandi caussa obviam occurrant, easque maxima celebritate in urbem ad templumque suum deducant et hospitium item praebeant.

Ergo si qua municipalis sodalitas apud urbanum aliquod sodalium collegium gratia valuerit, et per legatos curatoresve effecerit, ut in ejus societatem reciperetur, haec autem ipsa, ut par est, consignanda litteris monumentisque mandanda sint; nullum equidem veterum exemplar, quod sequaris, exstare aptius ac rei magis accommodatum puto, quam priscas hospitiorum tabulas, quae libro primo prolatae sunt. initium a temporis nota sumes, inscripto Pontificis Maximi nomine, et anno ac die designato, quibus pactio illa confecta sit: tum qui honorem eum petierint atque adsequuti fuerint, iis adjectis appositis, quae propria sodalitatis sint, et municipio item ejus appellato, primi inducentur. sic deinde urbanum collegium indiciis prodetur suis, et quae exterae sodalitati spoponderit, breviter exponentur. ad calcem ii demum scribentur, per quos ea res acta sit. sed haec, quae leviter oratione perstrinxi, exemplo plana ut fiant, novam hospitalitatis tabulam subjiciamus:

(1) inscr. 313.

PIO · SEXTO · PONTIFICE · MAXIMO
ANNO · M · D · C · C · C · LXXVIIII ·
KAL · IANVAR ·
MAGISTER · ET · SODALES · MARIALES
ALBATI · PERVSIA · AVGVSTA
RELIGIONIS · PIETATISQVE · ERGO
HOSPITIVM · FECERVNT · CVM · PRAEFECTO
COLLEGIOQVE · VRBANO · FRATRVM
MARIALIVM · ALBATORVM · IPSVM
FRATRES · MARIALES · ALBATOS
SVCCESSORES · POSTEROSQVE · EORVM
SIBI · SVCCESSORIBVS · POSTERISQVE
SVIS · PATRONOS · COOPTAVERVNT
PRAEFECTVS · COLLEGIVMQVE · VRBANVM
FRATRVM · MARIALIVM · ALBATORVM
RELIGIONIS · PIETATISQVE · ERGO
MAGISTRVM · ET · SODALES · MARIALES
ALBATOS · PERVSIA · AVGVSTA
SIBI · SVCCESSORIBVS · POSTERISQVE
SVIS · IN · FIDEM · CLIENTELAMQVE
SVAM · RECEPERVNT
EGERVNT
HANNIBAL · M · F · STASIVS · PROMAG ·
PAVLLVS · ANT · F · BALBVS LEG ·
DEMETRIVS · FEL · F · FESTVS

alii ne sint contractus aliaeque pactiones, quibus consignandis veteres hospitiorum tabulae exemplo esse possint, non ego hic disquiram. id, simul atque opus fuerit, tute videris; nec, si res ipsa quadrabit, non tibi etiam stilus succedet.

§. V.

DE RESCRIPTIS ET DIPLOMATIBVS PRINCIPVM

I. Alio nunc stilo haec scribi solent, eademque rarius in marmore aut in aere incisa occurrunt, quae passim apud veteres legebantur. praestat tamen de his etiam aliquid tradi, ut qui priscam consuetudinem revocare velint, illis minime defuisse videamur.

Rescriptorum, quibus *Mandata* etiam et *Decreta* et *Epistolas Principum* velim adnumeres, satis expedita ratio est. responsa enim sunt litterarum more scribenda, cujusmodi e litteris Theodosii et Iustiniani exstitit codex. sed in utriusque codicis exemplis, brevitatis caussa, omissi fere, quos Imperatorum nominibus addebant, plerique tituli; qui antiquis contra in tabulis ferme leguntur, eodem ordine, quo in historicis inscriptionibus enunciabantur. itaque ad earum exemplar nunc quoque singuli adscribendi sunt (1). communis deinde salutatio sequatur, et eorum nomina, ad quos Princeps rescribit: qui si in magistratu sint, dignitatis quoque nomine sunt appellandi.

(1) v. inscr. 316.

Iam materies quidem varia esse potest: sed vetera exempla circa jus maxime ac leges constitutionesque versantur: et modo interpretationes aut definitiones, modo jussiones sanctionesque continent, quibus scilicet Princeps praesidibus fere provinciarum de negotiis forensibus respondebat. quo autem veterum stilum orationemque exprimamus, cum sapientibus sententiis gravibusque verbis uti debemus, tum nihil antiquius habere, quam ut presse et dilucide loquamur: in antiquis enim rescriptis vix offendes, quod redundet, aut quod non satis explicatum sit; ut ut multa saepe paucis admodum verbis exponantur. exemplo sit Antonini Pii rescriptum, quod Vlpianus libro octavo *de officio proconsulis* inseruerat (1):

IMP · CAESAR · DIVI · HADRIANI · F · DIVI · TRAIANI · PARTHICI · N· DIVI · NERVAE · PRON · T · AELIVS · HADRIANVS · ANTONINVS AVG · PIVS · PONT · MAX · TR · POT · III · COS · III · P · P· SALVTEM · DICIT

AELIO · MARCIANO · PRO · COS · PROV · BAETICAE

DOMINORVM · QVIDEM · POTESTATEM · IN · SVOS · SERVOS · ILLIBATAM ESSE · OPORTET · NEC · CVIQVAM · HOMINVM · IVS · SVVM · DETRAHI SED · DOMINORVM · INTEREST · NE · AVXILIVM · CONTRA · SAEVITIAM VEL · FAMEM · VEL · INTOLERABILEM · INIVRIAM · DENEGETVR · HIS QVI · IVSTE · DEPRECANTVR · IDEOQVE · COGNOSCE · DE · QVERELIS EORVM · QVI · EX · FAMILIA · IVLII · SABINI · AD · STATVAM CONFVGERVNT · ET · SI · VEL · DVRIVS · HABITOS · QVAM · AEQVVM EST · VEL · INFAMI · INIVRIA · AFFECTOS · COGNOVERIS · VENIRE · IVBE ITA · VT · IN · POTESTATEM · DOMINI · NON · REVERTANTVR · QVI SI · MEAE · CONSTITVTIONI · FRAVDEM · FECERIT · SCIAT · ME ADMISSVM · SEVERIVS · EXSECVTVRVM

Quia vero controversiae aliquando ad Principem tamquam ad judicem deferebantur, ut lite in judicium deducta, caussaque cognita pronunciaret: idcirco Princeps sic interdum rescribebat, ut litteris suis decretum ipsum subjiceret, quemadmodum in Domitiani Aug. rescripto videre licet (2), qui *adhibitis utriusque ordinis splendidis viris cognita caussa* pronunciaverat, *subseciva possessorum esse*. ob eam quoque rem subscripti, qui caussae interfuerant, Curator et Legati Faleriensium: quo nempe omnia juste et legitime acta esse constaret.

At brevius alias de jure respondebant, ut quum Severus Alexander ex jurisconsulti sententia rescripsit (3):

IMP · CAESAR · M · AVRELIVS · SEVERVS · ALEXANDER · PIVS · FELIX AVG · PONT · MAX · TR · POT · COS · P · P·

SABINAE

SECVNDVM · RESPONSVM · DOMITII · VLPIANI · PRAEFECTI · ANNONAE IVRISCONSVLTI · AMICI · MEI · EA · QVAE · STIPVLATA · EST · CVM MORERETVR · PARTEM · DIMIDIAM · DOTIS · CVI · VELIT · RELINQVERE REDDI · SIBI · CVM · MORERETVR · EAM · PARTEM · DOTIS · STIPVLATA VIDETVR · P · P · (4) II · KAL · APRIL · ALEXANDRO · AVG · COS·

neque enim epistolam, ut Domitianus fecit, rescripto huic praepositam puto; eamque a Triboniano, quum Codicem institueret, sublatam esse. exstant Trajani rescripta ad Plinium bene multa: quae tamen, nullo inserto decreto, unis singula litteris constant, ambituque verborum scripta sunt contracto et brevi.

II· In Domitiani rescripto legimus ad calcem *Valete*: in aliis non item: neque Tra-

(1) l. 2. D. de his, qui sui vel alieni jur. sunt.

(2) v. inscr. 316.

(3) l. 4. C. de contrah. et comm. stipul.

(4) *Propositum*,

jani rescripta, neque ea, quae in legum codicibus sunt, illud habent verbum. quin ipse Plinius, qui aliis scribens *Vale* semper in fine addidit, in iis epistolis, quas ad Trajanum misit, numquam ea formula usus est. itaque verbum illud familiarius denique habitum esse videtur, quam ut Princeps cum privato, aut privatus cum Principe usurparet: nisi illud magis arrideat, in libris salutationem illam, quia communis erat, omissam esse: quippe in Severi et Antonini Augustorum rescripto graece exarato, tot jam post Trajanum annis, haud dubiis litteris adjectum in fine leges, ΕΥΤΥΧΕΙΤΕ (1).

Tempus vero, interdum et locum, quo rescriptum datum sit, in Codice subjectum video; quamquam ipsis Imperatorum titulis annus plerumque satis indicabatur. sed mensem etiam diemque et consules quoque adscribi intererat, ne quis legis initium et juris ignoraret, nec quidquam in ambiguo relinqueretur. eodem nunc pacto annus Dionysianus et mensis et dies, nedum regni aut pontificatus anni subjici solent. porro et tabellionis olim mentio aliquando facta, sed ejus rei caussa, quae in rescripto concessa esset. Graecam inscriptionem edidit Sponius (2), quae libellum exhibet Sextilii cujusdam Acutiani ab Antonino Pio petentis, ut sibi exemplar describere liceat sententiae, quam Hadrianus secundum eum dixerat: deinde latine Antonini rescriptum hujusmodi:

IMP · CAESAR · T · AELIVS · HADRIANVS
ANTONINVS · AVGVSTVS · PIVS
SEXTILIO · ACVTIANO
SENTENTIAM · DIVI · PATRIS · MEI
SI · QVID · PRO · SENTENTIA · DIXIT
DESCRIBERE · TIBI · PERMITTO · RESCRIPSI
RECOGN · VNDEVINCESIMVS · ACT ·
VI · IDVS · APRIL · ROMAE · CAES ·
ANTONINO · II · ET · PRAESENTE · II · COS ·

Principis subscriptio est RESCRIPSI, altera vero tabellionis, cui nomen erat Vndevicensimo: isque Hadriani sententiam ex autographis litteris descriptam se recognovisse testatur.

Sunt et singulariae quaedam litterae, quas saepe in rescriptorum fine leges. his veteres, ut a Guthero expositum est (3), significabant, rescripta eo die *Data* esse vel *Scripta, Subscripta, Emissa, Petita, Accepta, Antelata, Proposita, Supposita, Recitata, Lecta, Regesta, Gesta:* sub uno etiam rescripto tres litterae interdum occurrent P · D · S · (4) idest *Propositum, Datum, Scriptum:* sed de his Gutherus tibi ceterique Iurisconsulti legendi sunt, et ex eorum praescripto haec aut illa formula usurpanda est.

II· Diplomata Latini dixere magistratus aut Principis litteras, quibus illi aliquid vel uni vel multis concessissent: eoque vocabulo Tullius quoque non semel usus est. sed veterum diplomatum exempla in aere aut marmore incisa vix exstant alia, quam quae *Honestae Missiones* appellantur: ceterorum, vel in antiquis scriptoribus, indicia magis, quam exempla reperias: cujusmodi sunt, quae Flavius Iosephus una cum Romanis decretis in libros suos graece ac saepe summatim retulit: quippe ea, inquit (5), *εν τῳ Καπετωλιῳ αλλα και στηλαις αναγεγραπται χαλκαις*, quamquam accuratius redditum ab eo est Augusti diploma, quo Iudaeos hic jubebat (6), *χρησθαι τοις ιδιοις θεσμοις κατα τον πατρωον, αυτων νομον, καθως εχρωντο επι Υρκανου αρχιερεως Θεου υψιστου:* tum aliis item beneficiis ornabat.

(1) Marm. Oxon. in app. p. 304.
(2) Misc. p. 352.
(3) de off. Dom. Aug. l. 1. c. 36.
(4) l. 2. C. ne de stat. defunctor.
(5) l. 14. Ant. c. 10. n. 1. *in Capitolio atque adeo in aereis columnis inscripta sunt.*
(6) l. 16. c. 6. n. 2. *uti suis legibus secundum patria ipsorum instituta, quemadmodum usi erant sub Hyrcano sacerdote Dei altissimi.*

Ceterum ea, opinor, diplomatum forma omnium fuit, quam libri primi exempla significant. primum quidem Imperatoris nomen et titulos referunt, quemadmodum de rescriptis diximus. tum quia plures erant, quibus beneficium dabatur, eorumque nomina infra scribi solebant, generatim tantummodo post Principis titulos indicantur; nec formula tamen omittitur *Liberis Posterisque Eorum*; quod beneficium in familia cujusque perpetuum esse deberet: exponitur demum collati beneficii quae gratia, qui honor, quae jura sint. hoc autem rescripta et diplomata differunt inter se, quod Princeps in illis primae fere personae, in his tertiae semper figura loquatur.

III· Quae infra in Galbae ac Vespasiani diplomatibus legimus, ea proprie ad diplomata non pertinent, sed ad exempla tantum referenda sunt. nam diplomata ipsa aereis incisa tabulis ad aram gentis Iuliae in Capitolio prostabant, in iisque nomina veteranorum omnium inscripta erant, quibus singuli Imperatores honestam missionem, civitatem jusque conubiorum dedissent: quo sane verba illa diplomatum spectant *Quorum Nomina Subscripta Sunt*. militi autem, cui datum esset beneficium, publicarum litterarum testimonium petenti, ceterorum nomina describi minime opus erat: itaque post diplomatis verba, ejus tantum nomen in exemplo scribebatur; utque constaret, ipsum e numero esse eorum, quorum nomina in tabula diplomatis legebantur, aderant testes, qui ex ea descriptum et recognitum diplomatis exemplum esse affirmarent, ipsasque tabellas subinde occlusas anulo quisque suo obsignarent: in quibus testium etiam nomina incidebantur. idcirco etiam dies, mensis, consules additi, quibus haec acta essent. quapropter, nisi forte diplomatis exemplum edendum fuerit, minime his locus erit: excipe temporis notam, quae infra ipsum diploma, ut epistolarum consuetudo postulat, recte adscribetur: litterae certe Principis non egent testibus.

At ubi contigerit, exempli caussa, ut civibus aliquot de patria optime meritis, qui in amplissimum ordinem cooptati sint, publicum singulis testimonium reddi oporteat, veterum jam diplomatum formam imitari ac totam prope exprimere fas erit: quod fere in hunc modum fieri possit, siquidem eorum nomina publicis incisa tabulis in ipsa curia reapse legantur:

ORDO · DECVRIONVM
CIVIBVS · HONESTISSIMIS · QVI · VRBE · AB · HOSTIBVS
OBSESSA · LIBERTATIS · RETINENDAE · AVCTORES · FVERVNT
AERARIOQVE · SVMPTIBVS · EXHAVSTO · PATRIMONIVM
SVVM · IN · SALVTE · PATRIAE · COLLOCAVERVNT
QVORVM · NOMINA · SVBSCRIPTA · SVNT · IPSIS
LIBERIS · POSTERISQVE · EORVM · VIRTVTIS · ERGO
HONOREM · DECVRIONATVS · GRATVITVM · DEDIT
ET · CONVBIVM · CVM · PATRICIIS · AVT · SI · QVI
VXOREM · HABERENT · VT · VXORES · EORVM · INTER
PATRICIAS · CENSERENTVR
NON · AVG · AN · M · D · C · C · LXX·
M · SILVIO · FAVSTINO · V · C·
DESCRIPTVM · ET · RECOGNITVM · EX · TABVLA · AENEA
QVAE · IN · CVRIA · FIXA · EST · AD · SVBSELLIA · II · VIR ·
Q · FABIVS ( ) MERVLA DEC·
C · ANTONIVS ( ) FABER DEC·
L · CAECILIVS ( ) NOBILIS DEC·

V. Eadem ratio honestarum missionum esse potest: in quibus ex veteri more (1) stipendia militum commemoranda erunt. at hic fortasse requiras, quum missionis caussa triplex esset, *honesta, caussaria, ignominiosa*, sua ne ut honestae, sic ceterarum formula fuerit: est enim *Caussaria*, inquit Macer (2), *quum quis vitio animi vel corporis minus idoneus militiae renunciatur: Ignominiosa caussa est, quum quis propter delictum sacramento solvitur; et is qui ignominia missus est, neque Romae neque in sacro comitatu agere potest: et si sine ignominiae mentione missi sunt, nihilominus ignominia missi intelliguntur*. porro formulam utique suam his quoque missionibus fuisse, ipsa Macri verba declarant: sed quae tamen non aeri non marmori incideretur. quare de his quidem meo quodam jure silere possum. sed quum missionis ignominiosae praeclarum in Hirtio sive Oppio exemplum sit, cujus pleraeque dictiones usui aliquando esse possint, illud ego haud gravatim hoc loco subjiciam. sunt autem Caesaris verba milites quosdam ab exercitu dimittentis, qui petulantiae suae nimiaeque libertatis nullum facerent finem (3):

C · AVIENE · QVOD · IN · ITALIA · MILITES · POPVLI ROMANI · CONTRA REM · PVBLICAM · INSTIGASTI · RAPINASQVE · PER · MVNICIPIA · FECISTI QVODQVE · MIHI · REIQVE · PVBLICAE · INVTILIS · FVISTI · ET · PRO MILITIBVS · TVAM · FAMILIAM · IVMENTAQVE · IN · NAVES · IMPOSVISTI TVAQVE · OPERA · MILITIBVS · TEMPORE · NECESSARIO · RES · PVBLICA CARET · OB · EAS · RES · IGNOMINIAE · CAVSSA · AB · EXERCITV · MEO TE · REMOVEO · HODIE · QVE · EX · AFRICA · ABESSE · ET · QVANTVM POTEST · PROFICISCI · IVBEO

ITEMQVE · TE · A · FONTEI · QVOD · TRIBVNVS · MILITVM · SEDITIOSVS MALVS · QVE · CIVIS · FVISTI · AB · EXERCITV · DIMITTO

T · SALIENE · M · TIRO · C · CLVSINAS · QVVM · ORDINES · IN · MEO EXERCITV · BENEFICIO · NON · VIRTVTE · CONSEQVVTI · ITA · VOS GESSERITIS · VT · NEQVE · BELLO · FORTES · NEQVE · PACE · BONI · AVT VTILES · FVERITIS · ET · MAGIS · IN · SEDITIONE · CONCITANDISQVE MILITIBVS · ADVERSVS · VESTRVM · IMPERATOREM · QVAM · PVDORIS MODESTIAEQVE · FVERITIS · STVDIOSIORES · INDIGNOS · VOS · ESSE ARBITROR · QVI · IN · MEO · EXERCITV · ORDINES · DVCATIS · MISSOSQVE FACIO · ET · QVANTVM · POTEST · ABESSE · EX · AFRICA · IVBEO

§. vI.

DE INSCRIPTIONIBVS MENSVRARVM ET PONDERVM

I. Paucorum hae verborum inscriptiones sunt: neque enim multis locus esse solet. itaque eorum delectu recta inscriptio consistit. neque tamen ego auctor fuerim, ut in mensuris ponderibusque, quibus nunc utimur, inscriptiones veteri more linguaque incidantur. sed si quis hoc malit, is levia quaedam et trita, ipsius gratia, hic subjecta esse sciat.

Primum nomina magistratuum saepe inscripta sunt, vel ut tempus indicaretur, quo mensurae aut pondera ad archetypon exacta essent; vel ut ea tractantibus pateret, quis probasset. idcirco in his modo consules leguntur, modo quaestores, modo praefecti urbis. minores autem magistratus illud quoque addidere, se ex senatus consulto de ea re cognovisse (4). quin praeter magistratus nomen etiam Principis aliquando insertum est: sed exempla minus antiqua sunt (5):

(1) v. inscr. 319.
(2) l. 13. D. de re milit.
(3) de B. Afric. c. 22. n. 54.
(4) v. inscr. 323.
(5) Spon. Misc. p. 303.

SALVO · D · N ·
IVLIO · NEPOTE
P · F · AVG ·

AVDAX · V · C ·
PRAEFECTVS
VRBI · FECIT

Quum autem mensurarum et ponderum archetypa in Capitolio essent, atque ibidem ad ea mensurae omnes et pondera exigerentur; quo haec deinde auctoritatem et fidem haberent, saepe hoc ipsum inscriptio designabat (1): quod nunc etiam Romae iisdem verbis signari potest, quum adhuc in Capitolio archetypa adserventur.

II· Notam denique quantitatis addebant veteres, quam et initio aliquando inscripserunt, eaque sive in ponderibus sive in mensuris pondo fere indicat, id est libras, item uncias, serupula et hujusmodi: quorum figurae libro tertio proponentur. de his lata aliquando lex, ut Sponius adnotavit (2), quae ponderibus notas indi vulgo cognitas perspicuasque juberet.

Haec Romae, haec in municipiis obtinuerunt (3): sed in municipiis oppidano quodam jure ipsi magistratus de ponderibus et mensuris cognoscere solebant, et quae iniqua essent, tollere; tum sumptu etiam suo nova facere: quapropter historicis aliquando inscriptionibus usi esse videntur, quibus quum fidem illis auctoritatemque adderent, tum etiam liberalitatem suam memoriae proderent (4).

§· VII·

DE DECRETIS ACTISQVE COLLEGIORVM

I· Collegia olim alia magistratuum, alia sodalium fuerunt: nec eadem omnium auctoritas aut jus; quamquam utraque legitime ac fere ex senatus consulto coibant. nam magistratuum collegia, quum reipublicae caussa constituta essent, judicium imperiumve in cives omnes exercebant, cujusmodi consulum, praetorum, tribunorum plebis, quaestorum, decemvirorum collegia erant. at collegiis contra pontificum, augurum, septemvirorum, quindecimvirorum magna quidem auctoritas, sed quum ea senatus consuleret. reliquorum autem sodalium jura his circumscripta erant finibus, ut quae statuissent, ipsi praestare deberent, nec ea ad ceteros cives quidquam pertinerent.

Tribunorum plebis decretum habemus a Gellio (5) ex annalium monumentis exscriptum, cujus ille historiam sic exposuit: *L. Scipioni Asiatico P. Scipionis Africani superioris fratri C. Minucius Augurinus tribunus plebei multam irrogavit: eumque ob eam caussam praedes poscebat. Scipio Africanus fratris nomine ad collegium tribunorum provocabat: petebatque, ut virum consularem triumphalemque a collegae vi defenderent. octo tribuni, cognita caussa, decreverunt:* haec autem decreti sunt verba:

QVOD · P · SCIPIO · AFRICANVS · POSTVLAVIT · PRO · L · SCIPIONE · ASIATICO
FRATRE · QVVM · CONTRA · LEGES · CONTRAQ · MOREM · MAIORVM
TRIBVNVS · PLEBEI · HOMINIBVS · ACCITIS · PER · VIM · INAVSPICATO
SENTENTIAM · DE · EO · TVLERIT · MVLTAMQ · NVLLO · EXEMPLO
IRROGARIT · PRAEDESQ · OB · EAM · REM · DARE · COGAT · AVT · SI
NON · DET · IN · VINCVLA · DVCI · IVBEAT · VT · EVM · A · COLLEGAE
VI · PROHIBEAMVS · ET · QVOD · CONTRA · COLLEGA · POSTVLAVIT
NE · SIBI · INTERCEDAMVS · QVO · MINVS · SVAPTE · POTESTATE · VTI

(1) v. inscr. 320. 327.
(2) Misc. p. 303.
(3) v. inscr. 320.
(4) v. inscr. 321. 322.
(5) N. A. l. 7. c. 19.

LICEAT · D · E · R · NOSTRVM · SENTENTIA · OMNIVM · DATA · EST
SI · L · CORNELIVS · SCIPIO · ASIATICVS · COLLEGAE · ARBITRATV
PRAEDES · DABIT · COLLEGAE · NE · EVM · IN · VINCVLA · DVCAT
INTERCEDEMVS · SI · EIVS · ARBITRATV · PRAEDES · NON · DABIT · QVO
MINVS · COLLEGA · SVA · POTESTATE · VTATVR · NON · INTERCEDEMVS

Quum haec tamen legibus edictisque accensere liceat, non ego in his immorabor. ad decreta collegiorum veniam, quae privati homines celebrabant, cujusmodi exempla libro primo attulimus. eorum decreta, quae exstant, persimilia his sunt, quae a municipiorum decurionibus fiebant: ut quae de civitatum decretis diximus, ea his quoque apprime conveniant.

Primum quidem sollemne erat, ut consules et mensem et diem initio seriberent; tum locum etiam adderent, quo convenissent. is deinde ciebatur, qui verba fecerat, et decreti auctor fuerat. ac si plures de eadem re ad collegium retulissent, singuli nominabantur. quia vero de honoribus fere agebatur, viri ejus laudem, quem ornare vellent, in ipso exordio inserebant: eaque a nobilitate, a virtute, a liberalitate duci solebat: simul et honor proponebatur, qui ei deferendus videretur. post haec, quid de ea re fieri placuisset, longo saepe verborum ambitu expositum legas: quippe exempla hujusmodi non ejus aetatis sunt, quum nondum adsentari didicerant. his demum clausula subjecta haec *Censuerunt*, de qua ad civitatum decreta diximus.

Enimvero decreta collegiorum scribi nunc incidique si oporteat, ut quum sodales magistri creandi caussa convenerunt; facile quis veterum decretorum formam possit exprimere, in hunc fere modum:

ANNO · M · D · C · C · LXXVIII.
PRID · ID · SEPTEMBR ·
IN · TEMPLO · COLLEGI · FABRVM · CAPITOLINORVM
QVOD · L · LAVRENTIVS · BASSVS · PRO · MAG · VERBA · FECIT · DE · MAGISTRO · IN
DEMORTVI · LOCVM · CREANDO · Q · D · E · R · F · P · D · E · R · I · C ·
QVVM · C · MARIVS · AVITVS · IS · VIR · IN · COLLEGIO · NOSTRO · ESSE · VIDEATVR
CVI · VIRTVTE · ET · AVCTORITATE · PAVCI · COMPARARI · NEMO · ANTEFERRI
POSSIT · QVVMQ · IDEM · DE · COLLEGIO · NOSTRO · OPTIME · MERVERIT
MEREAT · AC · POTISSIMVM · AVCTOR · LEGVM · OPTIMARVM · ALIQVANDO
FVERIT · PLACERE · VNIVERSIS · C · MARIVM · AVITVM · COLLEGI · NOSTRI · NOMINE
MAGISTRVM · DICI · IN · ANNOS · DECEM · EIQVE · POTESTATEM · CVRATIONEMQ ·
RERVM · OMNIVM · DARI · ITA · VTI · DATA · EST · L · FLAVIO · LONGO
CETERISQVE · QVI · ANTE · EVM · OPTIMO · IVRE · MAGISTRI · CREATI · SVNT
CENSVERVNT

II. At singulari plane forma exaratum est libri primi decretum illud, cujus hoc initium, *Lex Collegi Aesculapi Et Hygiae* (1). nec tamen mirum videri debet. quippe hoc tum ab Aesculapii Hygiaeque sodalibus agebatur, ut quae Marcellina et Zenon collegio donarant, et iis item conditionibus, quibus illi donarant, accipere se fidemque suam obligare, simulque ea, quae de his alias decrevissent, rata se habere, decreto hoc interposito confirmarent. ob eam rem dona enumerata et donorum conditiones perscriptae: ipsaque tot rerum series *Lex* appellata, quod has sibi partes collegium imponeret, ne quid in posterum negligeretur. sanctio demum adjecta, ne quis adversus ea quid faceret, et extremo ea loco subjecta, quae aliis in exemplis initio leguntur, quinquennali etiam et curatoribus praeterea adscriptis: quae eo pertinebant, ut omnia legitime jam constituta et decreta esse declararent.

(1) inscr. 329.

Porro et exemplum proponi ejusmodi, aliquid intererat, ut si lex aliqua hujus generis scribenda sit, haec quoque ex veterum auctoritate scribatur. utram vero decretorum formam praeoptari oporteat, quaeque argumento apta magis futura sit, opportune res ipsa declarabit.

II. Reliquum est, ut de collegiorum actis dicamus: quae quidem tot res tam varias amplexa sunt, nihil ut eorum, quae a collegiis gererentur, neglectum olim omissumque esse videatur. nam in his actorum reliquiis, quae maxime ad urbis collegia pertinuerint, non solum sacra omnis generis et ritus et expiationes reperies, sed sodalium etiam cooptationes, vota pro salute Domus Aug. precationes sollemnes, convivia, viscerationes, sportularum diribitiones; tum contractas rationes et sumptus non mediocres, res legatas, donatas, loca data, accepta et hujusmodi. collegii autem Fratrum Arvalium acta multo plura supersunt, quam ceterorum, eaque luculentissima: quae aliquando Cajetanus Marinius apte, ut solet, digesta et erudito commentario illustrata, simul omnia vulgabit (*a*). at vel in his, quae nuper in Vaticano reperta idem edidit, etsi non pauca invidit vetustas, apparet tamen quam multa in ea relata sint.

Primum hic ut lapidem, qui οπισθογραφος est (*b*), tantum attingam, in eo Imperatoris Elagabali et ceterorum sacerdotum nomina initio scripta fuisse, quae infra sunt verba satis indicant, *Imp. Aug. Et Ceteri Sacerdotes Q. S. S. S.* quo loco annum etiam et diem et templum, quo convenissent, adscriptum esse, ne quis ambigat. deinde non obscure quae eo die quotque numero victimae, ac quibus illae Diis immolatae essent, traditur: simul et legas, quibus ritibus Fratres Arvales epulati sint, et quibus acclamationibus epulo finem fecerint. eodem modo alterius diei sacra et caerimoniae describuntur: quae plane multa ac varia: tum hoc singulare, quod carmen etiam prisca lingua scriptum inseritur, quale sacerdotes e ritualibus libellis pronunciaverant. similia item fuisse videntur, quae sequenti acta die enunciabantur, quorum pars maxima in litura est. quo tamen die Imperator Aug. in collegium illud cooptatus esset, plane et perspicue legitur: quin et formula ipsa, quae *Precatio Cooptationis* appellatur, prope integra exstat, et nomina aliquot apparent Fratrum Arvalium, qui Antonino jam cooptato acclamaverunt. iidem alio demum die in Capitolium convenisse dicuntur *Ante Cellam Iunonis Reginae Ad Vota Annua Suscipienda Pro Salute Et Incolumitate Imp. Caes. M. Aurelii Antonini Pii Fel. Aug. P. M. Tr. Pot. Cos. P. P. Procos. Et Iuliae Maesae Aug. Aviae Aug. N. Totaque Domo Divina Eorum*: atque his tandem voti ipsius formulam subjectam esse, quaedam verborum dictionumque vestigia ostendunt.

III. Haec jam atque alia hujusmodi exempla quum habeamus, quaecumque in collegiis nostris acta fuerint, siquidem digna, ut olim, videantur, quae litteris consignata, monumentis mandentur; hac fere ratione singula describi atque in tabulas referri poterunt.

Primum quidem annus designabitur et dies, quique collegio praeessent, quum ea gesta sunt, quae infra subjiciuntur. hoc nempe est exordium actorum quorundam fratrum Arvalium apud Fabrettum (1) (*c*):

(*a*) Et reapse is vulgavit Romae an. 1795. eo opere egregio, cui titulus: *Gli atti e monumenti de' Fratelli Arvali*. Ad hanc porro editionem exegi fragmenta inscriptionum, quae cl. Auctor in hoc et in sequente numero in exemplum adduxit.

(*b*) Hic in editione Romana Cajet. Marinii exstat in tabula quadragesima prima.

(1) p. 442. n. 49.

(*c*) Apud Marin. Frat. Arv. tab. XXII.

L · CEIONIO · COMMODO
D · NOVIO · PRISCO COS ·
III · NON · IAN·

MAGISTERIO · C · MATIDI · PATRVINI · PROMAGISTRO · L · VERATIO QVADRATO · COLLEGI · FRATRVM · ARVALIVM · NOMINE · VOTA NVNCVPAVERVNT · PRO · SALVTE · IMP · VESPASIANI · CAESARIS · AVG · TRIB · POT · COS · VIII · ET · T · CAESARIS · AVG · F · VESPASIANI COS · VI ·

jam quae gesta sint, narrare incipies, quemadmodum eodem in exemplo haec legimus:

VICTIMIS · IMMOLATIS · IN · CAPITOLIO · QVAE · SVPERIORIS
ANNI · MAGISTER · VOVERAT · PERSOLVIT · ET · IN · PROXIMVM · ANNVM · NVNCVPAVIT
PRAEEVNTE · L · VERATIO · QVADRATO
IN · EA · VERBA · Q · I · S · S · S·

formula scilicet infra post sacrorum seriem subscripta erat, quam tempus delevit: reliqua enim, quae peracta fuerant, protinus enumerantur:

IOVI · OPT · MAX · BOVEM · MAREM · IVNONI · REGINAE
VACCAM · MINERVAE · VACC · SALVTI · VACCAM
ITEM · PRO · T · IMP · VESPASIANO · CAESARE · AVG · F · IDEM · VERBIS Q · S · S · IOVI · OPT · MAXIM · BOVEM · MAREM · IVNONI · REGINAE VACCAM · MINERVAE · VACCAM · SALVTI · VACC·

ut autem haec legitime ac pro collegio acta esse intelligeremus, adjecti subinde qui adfuissent, sex numero, qui ejus collegii pars erat dimidia: quos inter quum is quoque numeraretur, qui pro magistro praeerat, fortasse conventus ille legitimus habebatur. nunc vero si numerus sodalium ingens fuerit, Magistrum et Decem Primos nominaverim.

IN · COLLEGIO · ADFVERVNT · L · VERATIVS · QVADRATVS · C · TADIVS MEFLIANVS · Q · TILLIVS · SASSIVS · L · MAECIVS · POSTVMVS · A IVLIVS · QVADRATVS · C · VIPSTANVS · APRONIANVS

his perscriptis, quia subjicienda erant, quae aliis diebus facta essent, annus iterum et dies indicatur: item templum, quod in scholam suam non convenissent.

ISDEM · COS · VI · IDVS · IAN · IN · AEDE · CONCORDIAE · ADSTANTIBVS FRATRIBVS · ARVALIBVS · MAG · C · MATIDI · PATRVINI · PROMAG · L · VERATIO · QVADRATO · COLLEGI · FRATRVM · ARVALIVM · SACRVM INDICTVM · · · · · ·

sic deinceps alia atque alia adnectebantur: quo pacto nos etiam veteribus actis, quae uno in loco multis inscripta tabulis prostent, nova adjungemus, quaecumque ad collegium idem spectent, sive ea res sacras sive cooptationes sive curationes sive contractus sive sumptus comprehendant. sic ea exempla, quae libro primo attulimus, quum nihil in illis mutilum sit, actorum tamen particulae fuerunt, quae forsitan longa serie in collegiorum scholis digesta legebantur: quamquam partem eorum maximam vetustas, ignis, ruinae aboleverunt.

V. Orationem autem id genus scriptionis desiderat accuratam et gravem, sed quae turgida non sit, nec translatis distincta verbis, aut sententiarum luminibus ornata. veteres magis formulae apte collocatae nitorem orationi ac venustatem afferent. laudibus etiam abstinendum; neque enim acta honoris ergo scripta, sed memoriae videri debent: quamquam honori sodalibus saepe erit, quae ipsi fecerint, ea collegio digna esse visa, quae in acta referrentur. narratio perpetua sit, nec tamen longa: itaque in eam si quid

inutile irrepserit, rejiciatur: praesertim quum res eduntur leves, vel quae quotannis fiant. nam quae extraordinaria et nova, ea fere diligentius explicanda sunt.

Atque his demum votorum etiam et precationum carmina, ipsaque collegiorum decreta, quae separatim perscripta non sint, subjicere identidem aut interserere fas erit: quibus tamen titulos cuique suos praefiges, quo ea perspicue a narratione sejungas: ejusmodi olim haec erant, *Votum, Nuncupatio Votorum, Precatio Cooptationis, Consecratio, Decretum, Auctoritas;* et his similia. sed de ipsis decretis sacrisve carminibus hoc loco nihil a me dicetur, qui haec jam qua forma, quibus verbis scribenda sint, superius exposui.

PARTITIO SECVNDA

DE QVATVOR CONSECTARIIS INSCRIPTIONVM MIXTI GENERIS

Sena illa inscriptionum genera, de quibus hactenus disseruimus, aliae consectantur et numero et varietate insignes: quae quidem singulae quum sint e singulis ortae generibus, in quatuor tamen veluti catervas divisae, servato, ut vidimus, discrimine, aliae ab aliis distinguuntur. de his nunc singillatim agendum est, demonstrandumque quid in quolibet illo ampliori genere proprium insit, quas nobis species usus et imitationis caussa constituendas, quibus legibus exempla veterum reddenda nunc esse existimemus.

CAPVT I.

De inscriptionibus temporariis

§. I.

DE RATIONE GENERIS VNIVERSA

I. Temporariis inscriptionibus usos veteres, libro primo ostendi, exemplis etiam, quae manserunt, in medium prolatis, earum nunc quid proprium certumque sit, breviter inquiramus. nam quidam adhuc non probant, quas e genere hoc potissimum Matthaeo Egizio Guidonique Ferrario in deliciis fuisse vident: quasi vero genus illi novum induxerint, non antiquum germanumque revocarint. nec tamen hoc etiam isti, opinor, contendunt, ne precationum quidem votorumque carmina, quae uterque edidit, ex veterum praescripto confecta esse: quum ea omnia exemplis antiquorum, quae protulimus, persimilia sint. id, credo, negant, quae historicae vel honorariae aut funebres inscriptiones sunt, atque ab illis poëtarum prope licentia conditae prodierunt, eas praeterquam communi ceterarum stilo, recte atque ex Latinorum usu et auctoritate confici potuisse. ego vero non diffiteor, inscriptiones ab antiquis, quae temporariae essent, communi etiam stilo aliquando exaratas: hujusmodi sane quaedam sunt, quas libro primo (1) descripsimus. sed alia quoque forma probatas esse, quae ab illis non parum numero et compositione discreparent, manifestum est. Saturnio versu scribi consuevisse triumphantium titulos, qui in Capitolio proponebantur, testatur Atilius Fortunatianus (2). haec autem sunt, quae Livius non semel (3) *Carmina incondita* appellavit, sive, ut Fortunatianus ait, quae scripta essent *non observata lege, nec uno genere custodito inter se versus; Rhythmos* aliquando appellatos ostendit Maffejus (4). at-

(1) v. inscr. 337. 338. etc.

(2) Gramm. Vet. Putsch. p. 2680.

(3) l. 4. c. 10. n. 20. etc.

(4) Diplom. p. 177. et Art. Cr. L. l. 2. c. 2. p. 33.

que his quidem in versibus casu quodam senarioli exsistebant interdum vel optimi: quippe, ut ait Quintilianus (1), *metrici pedes adeo reperiuntur in oratione, ut in ea frequenter non sentientibus nobis, omnium generum excidant versus: et contra nihil est prosa scriptum, quod non redigi possit in quaedam versiculorum genera*. sed tamen qui carmen ejusmodi conficerent, hoc magis spectabant, ne quid ἀρυθμον, quam ut ευρυθμον esset atque poëticum. itaque Capitolinae illae inscriptiones Saturnio versu confectae nec ad communem titulorum stilum, nec ad poëticum numerum metrumque referri omnino poterant: non aliter atque, quas ex Egizio et Ferrario proferam, lepore quidem contactas poëtico, sed quae tamen in certas mensuras cogi non possint.

Atque eodem plane modo funebres aliquando inscriptiones confectas esse, satis jam indicat titulus nuper repertus in Scipionum sepulcro, qui primum fortasse rogo, deinde sarcophago P. Scipionis P. Africani majoris filii adscriptus est, ejus, opinor, qui Aemilianum adoptavit: nam hujus certe laudes apud Tullium (2) non dissimili sententia attigit Cato: est autem ejusmodi, ut qui scripsit, metrum numerosque illos Saturnios, nec alios sequutus videatur:

QVEI · APICE · INSIGNE · DIALIS · FLAMINIS · GESISTEI
MORS · PERFECIT · TVA · VT · ESSENT · OMNIA
BREVIA · HONOS · FAMA , VIRTVSQVE
GLORIA · ATQVE · INGENIVM · QVIBVS · SEI
IN · LONGA · LICVISET · TIBE · VTIER · VITA
FACILE · FACTEIS · SVPERASES · GLORIAM
MAIORVM · QVA · RE · LVBENS · TE · IN · GREMIV
SCIPIO · RECIPIT · TERRA · PVBLI
PROGNATVM · PVBLIO · CORNELI

ad vetustam scribendi rationem quod attinet, Sirmondi, velim, commentarium legas, quem in Scipionis Barbati filii inscriptionem edidit: ne hic quidem in Grammaticae leges peccatum esse quidquam, facile intelliges.

Iam id carminis genus, quum Romae ante postque Livii Andronici et Q. Ennii aevum in honore fuisset, haud tamen, Graecorum deinde artibus in urbem inlatis, repente jacuit, neglectumque est: ut qui nunc revocare student, ii, aurea aetate posthabita, rudem incomptamque vetustatem perperam fatigare videantur. imo vero quibus temporibus optimi versus fiebant, iis quoque suus erat etiamtum Saturnio carmini honor; exstantque adhuc exempla eruditarum aetatum non ita pauca (3), quibus stilum ejusmodi ac numerum tueri ac sustinere facile possis. neque ab inscriptionum hujusmodi forma multum abit C. Caesaris ille Pontico triumpho titulus VENI · VIDI · VICI; cui quidem aliis in triumphis alios forma item minime communi placuisse, verisimile est; quum quinque ille egerit diverso etiam quemque apparatu et instrumento. in triumphis scilicet nova quisque nec antea spectata proferre conabatur, quo major esset visentis ea populi et voluptas et admiratio.

Quid, quod haec ipsa scriptionis ratio temporariis ornatibus magis conveniebat, quum ceterarum inscriptionum gravitatem dignitatemque respueret? neque enim seria laetis, aut quae paullo grandiora atque illustria sunt, tristibus ac moestis aptantur. inscriptiones scilicet temporarias in triumphis fere pompisque sollemnibus propositas esse ostendimus, aut funerum et luctus caussa: id est iis plane temporibus, quibus vel laetitiae multum vel dolori plurimum dandum est; nec graviter ferendum, si aliquatenus aut incitati aut perculsi animi affectus erumpant, significationemque dent vehementis

(1) Inst. l. 9. c. 4. v. Barth. Advers. l. 31. c. 17.

(2) de Senect. c. 11. n. 35.

(3) v. Svet. in Iul. c. 80. etc. Vopisc. in Aurel. c. 6. etc.

motus: quae quidem veteres quum vidissent atque probassent, paullatim, opinor, factum est, ut haec quasi propria temporariis inscriptionibus forma tribueretur, liberior utique ac solutior, quam ceteris, ne tituli rebus parum convenire viderentur.

II. Quae quum ita sint, nulla jam caussa est, cur inscriptiones hujus generis novas putemus, aut cur omnia poëtarum pigmenta, omnes ab his flosculos abesse velimus. illud potius curae esse debet, quo pacto veterum et modum et venustatem referamus. neque enim in his totum Tibulli aut Horatii μυροθηκιον, vel omnes omnium poëtarum arculae consumendae sunt: sed videndum est quatenus; illudque item meminisse oportet, magis offendere nimium, quam parum, et, ut ait Varro (1), *bellaria ea maxime esse mellita, quae mellita non sunt:* deinde esse quaedam, quae venusta habeantur, alia, quae inepta; ut qui sibi elegantes videantur, saepe aliis risum debeant.

Primum igitur non si poëtis hoc datur, ut rem eandem pluribus verbis designent, hoc tu in temporaria etiam inscriptione tibi sumes; quae, quum brevis esse debeat, sententiis magis quam verbis ornanda ac distinguenda est. tum locus hic quoque ceterarum inscriptionum formulis esse debet; sed non illis utendum indiscriminatim et promiscue: quae sacrarum propriae sunt, cave, eas in honorariis inscriptionibus usurpes: non enim id recte quidam aut ullo veterum exemplo fecerunt. eodem modo suae historicis, suae honorariis tribuentur: in funebres autem inscriptiones pleraeque sepulcralium commode transferentur. sed illa omnino repudianda, quam quidam, ut jam monui, aliis quoque titulis quadrare putant, *Monumentum Posuerunt:* nam monumenta quidem temporaria nulla fiunt. *Ego*, inquit Tullius (2), *quae monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor: ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quam ad praesentis temporis gratiam.* ob eam caussam ne illi quidem modo et ratione faciunt, qui ad aevi notam annos in his inscribunt: quorsum enim ista spectant aut spectare possunt, quum ducta pompa aut exsequiis persolutis, titulos omnes tolli oporteat?

Fabulas porro, et quae perversae religionis vocabula sunt, poëtis veteribus relinquamus. nihil haec ad venustatem leporemque inscriptionis conferre possunt, at contra ad levitatis notam non parum. neque tamen in his ego, ut gravis sis, vel ut subtilis, velim, labores; sed potius medium quiddam ut teneas: quo aliquid ingenio, aliquid dignitati tribuatur: ex utroque enim facile illa exsistet venustas, quam in temporaria inscriptione requirimus, ut haec suavitate ipsa et lepore delectet. nec oratio illa placeat, quae crebris sententiarum figuris exsultat immodice, et poëtica plane jactatur audacia: haec qui probet, facile in avorum nostrorum vitium morbumque delabatur. nimirum sive laudanda virtus sit, sive res gestae celebrandae, sive gaudentis aut flentis populi affectus exprimendi; paucis omnia versibus comprehendenda sunt: qui spatiari velit, eum extra fines excurrere necesse est.

Iam et in ipsa orationis structura studii plurimum ac diligentiae ponendum statuas. ea primum perpetua esse non debet, sed membris carpenda est minutioribus; ita tamen, ut haec etiam vincta numeris sint. tum delectus verborum habendus est, ac singula apte collocanda, ut ne asper eorum concursus aut hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus ac levis: itaque junctura quoque verborum alia in his esse potest, quam quae inscriptionum communium propria est, quo facilius oratio tamquam cera ad arbitrium nostrum formetur atque fingatur. aptissimae autem stilo huic, leviter quidem et parce si asperseris, dictiones erunt e poëtarum penu depromptae: vetusta item verba, quae tamen consuetudo ferre possit, et translata, quae vim habeant illustrandi.

At qui denique inscriptionis erit modus, aut qua lege verba alligabimus? equidem

(1) apud Gell. l. 13. c. 11.

(2) apud Non. c. 1. n. 136.

haec cuique relinquenda arbitror, ut vel suo quisque judicio, vel ad aliorum exempla moderetur. neque enim melius quisquam audiendo, quam experiundo vim hanc numerose scribendi consequatur. illud tantum admonebo, numeros sic esse adhibendos, ut percussiones eorum insignes ne sint, atque ut eos delectationis et aurium, non metri et modorum caussa sequutus esse videare.

§. II.

DE INSCRIPTIONIBVS SACRIS PRECATIONVM VOTORVMQVE CAVSSA

I. Pietatis religionisque caussa, atque ut Deo immortali gratiam justis honoribus ac memori mente persolvamus, sollemnes hujusmodi precationes et carmina proponi solent, eaque et festis fere diebus et sacris semper in aedibus aut certe in earum fronte tabulis inscripta leguntur. in his tamen sancta quoque Dei Mater ac reliqui Caelites appellantur, quod aut praesidio eorum tutelaque freti, a Deo veniam poscimus, aut ope jam implorata, salutem nobis divinitus datam esse profitemur.

Sic autem sermo instituitur, ut populus ipse aut omnes collegii unius sodales loquentes inducantur, quin tamen eos nomine ullo appellari necesse sit: quippe eos vel locus ipse vel precationis verba designant. igitur ab ipsa fere Dei aut Caelitum sanctorum invocatione exordium sumitur; cui precatio aut voti formula continuo subnectitur. hoc olim modo Firmi quum sodalium Marialium collegio praeessem, hique in aedicula sua natalem diem sodalitatis celebrarent, ibidem quum alii circum tituli, tum e regione altaris precatio haec in tabula legebatur:

MARIA · MATER
TE · PRECAMVR · QVAESVMVSQVE
VTI · SIES · VOLENS · PROPITIA · NOBIS · COLLEGIO · SODALITATIQVE · NOSTRAE
QVOIVS · REI · ERGO · SACRA · SOLLEMNIA · OBIMVS · VTI · TV · ERROREM
SOCORDIAM · MORBOS · VISOS · INVISOSQVE · PROHIBESSIS · DEFENDAS
AVERRVNCESQVE
VTIQVE · INGENIO · QVEMQVE · MEMORIA · INDVSTRIA · MACTE · ESSE · IVBEAS
MENTEM · ANIMVM · INTEGRVM · SERVASSIS · DVISQVE · BONAM · SALVTEM
NOBIS · COLLEGIO · SODALITATIQVE · NOSTRAE

verba hic quaedam vetusta atque ex Catone ipso desumpta (1) placuere, nam veteres quoque ea fere sacris in rebus retinuerunt; sive quod, ut ait Quintilianus (2), ob religionem mutari non posse, consecratisque omnino utendum esse censerent; sive etiam quod ea religiosam antiquorum simplicitatem ac sanctimoniam repraesentare quodammodo viderentur.

At cui sermo probetur quam usitatissimus, non eum quisquam jure reprehendat: exempla sunt quaedam antiqua: sunt recentia plura, quorum verba e medio, ut ajunt, atque ex communi Latinorum sermone sublata esse dixeris. ex antiquis feruntur illa, quae ab his recitari video, qui de triumphis scripsere: quamquam neque illi, unde hauserint, tradunt, neque in antiquis ea scriptoribus reperire datum est. Ravaldinus

(1) v. inscr. 336. (2) Inst. l. 1. c. 6.

protulisse primus videtur is qui se *Blondum Flavium* appellavit, libro x. *de Roma triumphante* (1), auctor plerumque non indiligens. primum autem est ejus, qui triumphum ducturus esset, sollemnis ante pompam precatio:

DI · NVTV · ET · IMPERIO · QVORVM
NATA · ET · AVCTA · EST
RES · ROMANA
EANDEM · PLACATI
PROPITIATIQVE · SERVATE

ejusdem, ducto triumpho, quum Capitolium ascenderet, hoc fuisse carmen dicitur (2):

GRATIAS · TIBI · IVPITER · OPTIME · MAXIME
TIBIQVE · IVNO · REGINA
ET · CETERIS · HVIVS · CVSTODIBVS
HABITATORIBVSQ · ARCIS · DIS
LVBENS · LAETVSQVE · AGO
RE · ROMANA · IN · HANC · DIEM · ET · HORAM
PER · MANVS · QVOD · VOLVISTIS · MEAS
SERVATA · BENE · GESTAQ ·
EANDEM · ET · SERVATE · VT · FACITIS
FOVETE · PROTEGITE · PROPITIATI
SVPPLEX · ORO

porro his fere similia sunt, quae jam e Livio produximus, et quae Macrobius (3) habet evocandorum Deorum atque urbium exercituumque devovendorum carmina, a Romanis olim ducibus ante oppugnationem praeliumve pronunciata: quamquam haec fortasse eorum, qui retulerunt, stilo depasta, aut lima recenti polita sunt.

Vt ut haec fuerint, planam item atque usitatam scribendi rationem quidam hac aetate sequuti, inscriptiones id genus valde probabiles condiderunt. cujusmodi est exempli gratia quae Ferrarii stilo exarata, apud Cerenses in templi fronte prostitit, quum ad eos Pontifex major Mediolanensium lustrationis caussa venisset (4):

MARTYRES · FORTISSIMI
CORNELI · ET · CYPRIANE
SI · VOBIS · TEMPLVM · NOVVM · A · FVNDAMENTIS · EXSTRVXIMVS · DEDIMVS
DEDICAVIMVS · VOTA · QVAE · HODIE · NVNCVPAMVS · PRO · IOSEPHO
PVTEOBONELLO · CARD · ARCHIEP · MEDIOL · IIS · VOLENTES · PROPITIIQVE
ANNVITE · VT · EVM · SIC · AMETIS · VOS · VT · NOS · ILLE

mitto alias hujusmodi, quas ab Ferrario pariter atque ab Egizio etiam aliisque confectas facile invenies: neque enim pluribus opus est, quo stili utriusque usum et gratiam tueamur.

II. Iamvero precationum votorumque ampla fere materies et varia: his enim locus est et in secundis et in adversis rebus, gratiarum agendarum caussa, et ad opem auxiliumque implorandum: sed tum maxime, si Princeps convaluerit, si prole auctus sit, si victoriam ex hoste retulerit: item si bella ingruant, si calamitas agris impendeat, si salus civitatis in discrimen vocetur. sive autem gratiae Deo agantur, sive praesens ab eo subsidium petatur, caussa utique subnectenda est, quare alterutrum fiat, eaque usurpanda sunt verba, quae religionem et grati animi officium testentur. tum si votum suscipitur, sic obliganda est fides, ut primum quid a Deo efflagitemus, deinde quid voti compotes praestituri simus, diserte efferamus (5). nam illud quidem libri I. exemplum

(1) edit. Basil. 1559. p. 214.
(2) id. ibid. p. 216.
(3) Sat. l. 3. c. 9.
(4) Ferr. p. 49. n. 109.
(5) v. inscr. 334.

singulare duxeris, cui initium est *Saeculo Felici* (1), in quo et sacerdos nominatur, qui vota nuncuparit; nec tamen, quae vota fuerint, traditur: nisi quod caussam votorum satis indicat illud ipsum tituli initium, vota scilicet ea pro imperii felicitate esse suscepta: vel potius vota eo loco nil aliud sunt, quam sacerdotis preces, quemadmodum Ovidius quoque accepisse videtur, quum ait (2),

Dii maris et caeli, quid enim nisi Vota supersunt?
Solvere quassatae parcite membra ratis.

et Trajanus Plinio (3): *Agnosco Vota, mi Secunde carissime, quibus precaris, ut plurimos et felicissimos natales florente statu reipublicae nostrae agam.*

III· Stilo autem ad haec opus et presso et aequabili, ut oratio et simplex et gravis sit, non sententiis arguta, non verbis sonans: esto et turgida quis atque inflata aliquando usus fuerit: cujusmodi esse videtur precatio illa Senecae (4) pro Claudio Aug. cujus παλινῳδία est sane turpis carmen id, quod post illius mortem idem edidit et Αποκολοκυντωσιν inscripsit. ipsa tamen precationis verba non invitus proferam, quum in his etiam sit, quod tiro utiliter tollere, atque in rem propriam transferre possit. *Dii*, inquit, *illum Deaeque omnes terris diu commodent. acta hic D. Augusti aequet, annos vincat: ac quamdiu inter mortales erit, nihil ex domo sua mortale esse sentiat. Rectorem Romano imperio filium longa fide approbet, et ante illum consortem patris, quam successorem accipiat. sera et nepotibus demum nostris dies nota sit, qua illum gens sua caelo adserat. abstine ab hoc manus tuas, Fortuna, nec in isto potentiam tuam, nisi ea parte, qua prodes, ostenderis. patere illum generi humano jamdiu aegro et affecto mederi: patere, quidquid prioris Principis furor concussit, in locum suum restituere ac reponere. Sidus hoc, quod praecipitato in profundum ac demerso in tenebras orbi refulsit, semper luceat. Hic Germaniam pacet, Britanniam aperiat, et patrios triumphos ducat et novos.*

Haec, inquam, si severius paullo infringantur, leniorique deducta flexu coagmententur, ejusmodi jam fiant, ut sollemnem ex his precationem pro Principis incolumitate conficere atque ornare facile possis. ceterum quanto gravior Velleii Paterculi illa precatio, qua historiae suae volumen alterum finivit: quamquam et haec nimia plane adsentatione scripta est, quod et scriptoris illius et aetatis vitium fuit: *Iuppiter Capitoline, et auctor ac stator Romani nominis Gradive Mars, perpetuorumque custos Vesta ignium, et quicquid numinum hanc Romani imperii molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit, vos publica voce obtestor atque precor, custodite, servate, protegite hunc statum, hunc Principem, eique* (Tiberio Aug.), *functo longissima statione mortali, destinate successores quam serissimos, sed eos, quorum cervices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant, quam hujus suffecisse sensimus: consiliaque omnium civium aut pia* · · · · reliqua desunt. porro hic etiam non pauca esse vides, quae in rem nostram derivare liceat: atque ex his ea etiam, quae nullo negotio Pontificibus Maximis aptari percommode, multoque verius de iisdem dici praedicarique possunt.

Quod superest, precationum votorumque nullae sunt clausulae: quin uno et perpetuo tenore carmen ab initio ad finem deducendum est; ac de brevitate etiam laborandum, ut qui propositas tabulas perlecturi sunt, uno prope adspectu, quae vota publica sint, ediscere ac memoria tenere possint. quidquid praeterea addideris, jure quis adscribat, *Non erat hic locus*.

(1) v. inscr. 335.
(2) 1. Trist. ep. 2. v. 1.
(3) Plin. ep. 90. lib. 10. v. et Vell. l. 2. c. ult.
(4) de consol. ad Polyb. c. 31.

§. III.

DE INSCRIPTIONIBVS AD FESTOS APPARATVS ATQVE POMPAS

I. Festorum apparatuum pomparumque sollemnium non una caussa esse solet. religionis haec pietatisque ergo saepe instruuntur, atque ad publicas supplicationes habendas: interdum laetitiae et gratulationis caussa, quod parta ex hoste victoria fuerit, quod claro civi honores singulares aut summa imperii delata sit, quod adventus Principis, aut regales nuptiae, aut reditus victoris exercitus, triumphi instar, celebretur. inscriptiones autem ad celebritatis caussam prodendam in tabulis propositae, templorum viarumque ornamento passim leguntur, atque in janis etiam et fornicibus temporariis, aut in ipsis urbium portis et in praetoriorum atriis eminent.

Enimvero inscriptiones id genus, qua historicis qua honorariis similes, communi etiam stilo scribi possunt, temporis notam si exceperis, qua in temporariis opus non esse jam admonuimus. sic Pola in arcu ad pontem sublicium, quo Patres Veneti, quum per eorum fines Ferdinandi II. Aug. nova nupta in Germaniam pergeret, Athesim jungendum curaverunt, haec ut inscriberentur, auctor fuit (1):

QVOD · FELIX · FAVSTVMQVE · SIT
ELEONORAE · GONZAGAE
AD · AVGVSTAS · NVPTIAS · PROPERANTI
RESP · VENETA
CONSTRVCTO · PONTE · ITER
APERVIT

satis haec nitide scripta, opinor: et cum dignitate, ut par erat; neque enim de exiguo opere agebatur.

Illud autem, quemadmodum hoc in exemplo factum vides, in aliis fere servari convenit, ut nomen ejus, cujus de honore agitur, sub initium efferatur: quo quisque legendo statim intelligat, quorsum novae moles apparatusque pertineant: praesertim si honor a civitate iis habeatur, qui quum imperio sint, aut quos virtus ac dignitas altius extulerit, quam ut in popularium numero censeri possint. ceterum si quando ipsa celebritas ad religionem revocetur, et honoris quidem caussa, sed tamen grato erga Deum animo templa ornentur, atque in his tituli suspendantur, aeque pietatis et laetitiae publicae testes; tum vero sacrarum inscriptionum more a dedicatione ordiendum erit, atque infra apparatus ratio et caussa exponenda: ut Deo quidem beneficium acceptum referamus, viris autem, quos ornare velimus, adventum eorum aut victoriam aut honorem gratulemur. hoc pacto non ita pridem inscriptio a me confecta est, quae Bononiae sacra in aede proponeretur:

(1) apud Boldon. l. 2. p. 301.

OMNIPOTENTI · DEO · CONSERVATORI
SACR·
SVPPLICATIONE · DECRETA
QVOD · A · PIO · SEXTO · PONT · MAX·
OPTIMO · ET · INDVLGENTISSIMO
PRINCIPE
ANDREAS · GIOANNETTVS
EPISC · HIMERAEORVM
PATRIAE · BONO · ET · CIVIVM · GLORIAE · NATVS
SVMMA · IAM · LAETITIA
OMNIVM · ORDINVM
ARCHIEPISCOPVS · BONONIENSIVM
DICTVS
ET · IN · PATRVM · CARDINALIVM · COLLEGIVM
COOPTATVS · SIT
AD · GRATIAS · RITE · AGENDAS
GENS · BIANCONIA
TEMPLVM · MAIORVM · SVORVM
EXORNAVIT

At contra Romae, quum, Pontifice Maximo recens creato, Ignatiani templi cella, honori ejus et disputationum sollemnium caussa, splendide, ut fit, magnificeque convestita esset, arcusque in introitum exstructus, quo Patres Cardinales, quo Quirites omnes succedentes in aream mediam spectandi et audiendi caussa venirent; rogatus, inscriptionem ut conderem, quae ad summum fornicem figeretur, hanc exaravi;

IN · HONOREM
PII · SEXTI · PONTIFICIS · MAXIMI
CVLTORIS · AVCTORISQ·
STVDIORVM · OPTIMORVM
DOCTORES · LYCEI · ROMANI
CVM · AVDITORIBVS · VNIVERSIS
AD · EXPERIMENTA
DOCTRINARVM · SVARVM · PVBLICANDA
EXORNAVERVNT

frustra tamen, ut saepe alias: quippe repudiata est, titulo quodam supposito, in quem facete quosdam jocatos memini.

Porro honorariae etiam tam arcubus, quam basibus statuarum convenient: quin et elogia probata sunt, statuis nempe subscripta majorum ejus, cujus adventus celebrabatur, ut in *Pompa Antuerpiensi*, et apud Ferrarium (1): de quibus nihil hic addendum iis est, quae partitione superiore exposuimus.

II· Iamvero qui communi titulorum stilo posthabito, genus amet inscriptionum paullo liberius, quale cum paucorum dierum apparatu pompaque congruere diximus; is tamen hoc primum statuat, quae inscriptio prima loco atque ordine esse debeat, eam ut communi stilo et historicarum more perscribat. semel enim edocendus est populus, quae festi apparatus laetitiaeque publicae caussa sit: quo etiam fiet, ut ceteris inscriptionibus lux afferatur, quae propriis saepe nominibus ac certis carent indiciis. hanc

(1) Inscr. p. 71. n. 155. etc.

est rationem sequutus Ferrarius, hanc Egizius, quorum exempla propter elegantiam potissimum ac munditiam sermonis ceteris praeferenda esse videntur. sunt autem Ferrarii exempla ex iis, quae temporarii ornatus caussa scripsit, quum multis in oppidis agri Mediolanensis adventus optatissimi Archiepiscopi celebraretur (1):

QVO · FAVSTVS · FELIXQVE · SIT
COLONIS · INCOLIS · CONIVGIBVS
LIBERISQVE · NOSTRIS
ADVENTVS · ANTISTITIS · OPTIMI
ARCVM · IN · INTROITVM
CERENSES · EXORNAVIMVS

haec in arcu ad oppidi portam legebantur: at in ipso oppido alia atque alia licentius perscripta: cujusmodi multa idem edidit, quae non uno in loco prostiterunt. haec quidem fornicis inscriptio fuit, quem contexti flores late varieque diffusi obtegebant (2):

PVRPVREAE · FLOS · ROSAE
ET · OMNIS · COPIA · ODORVM
SVAVEOLENTIBVS · AGRIS
SPIRET
OPTIMO · PATRONO

eodem pertinent quae sequuntur, rerum item verborumque venustate probabiles (3):

NON · SERICVM · NEC · AVRVM
SED · CANDOR · SIMPLICITAS
ET · HONESTI · BENIGNA · VENA
POMPAM · INSTITVVNT
ADSIS · O · BONVS · O · PRAESENS
PRAESIDIVM · TVIS

TVTELA · PRAESENS · INSVBRIAE
VIDEN
EFFVSAM · OPPIDO · IVVENTAM
AMOR · ET · PIETAS · AGVNT
INTONSAE · SIMILEM · SOBOLI · GREGIS
FESTIVAM · HILAREM
PASTORIS · IN · OCCVRSVM · SVI

VIRGINVM · MATRES
GRANDAEVIQVE · PATRVM
OPTATVS · ADVENIT · DIES
QVI · CORDA · GAVDIIS · EXPLEAT
OMNEMQVE · CVRAM · ANIMI · EXIMAT
PARENTEM · LAETI · ADSPICITE
ET · VOTA · SOLVITE

Similes his ac prope geminas dixeris inscriptiones ab Egizio conditas Neapoli pro reditu Regis e Sicilia (4):

DVLCIS · CVRA
PARTHENOPES
VIDEN
VT · EFFVSA · CIVITAS
TVVM · PRAESTOLATVR
ADVENTVM
ET · VOTIS · SVPEROS
FATIGAT

DILECTE · DEO
TVTELA · PRAESENS · ITALIAE
TVA · REX · AETAS
AGRIS · FRVGES
ET · DECVS · NOSTRIS
RESTITVIT · ORIS

(1) Inscr. p. 48. n. 108.
(2) ibid. p. 50. n. 111.
(3) ibid. n. 112. 113. 116.
(4) p. 313. 1. 2. 3.

AFFVLSIT · TANDEM
GRATVS · ILLE · DIES
AVREA · LVCE · NITENS
QVO · TE · REDVCEM
REGNISQVE · AVCTVM
EXCEPIT · VLNIS
FIDA · NEAPOLIS

adde his, quae eodem Egizio auctore festis diebus Neapoli propositae sunt, quum invicti Martyris Ianuarii memoria sacris anniversariis coleretur (1). harum vero et ceterarum omnium haec fere summa est: sermo plerumque exprimitur populi eum adloquentis, cujus gratia feriae institutae et urbs ornata est. huc laudes, huc gratulationes, huc vota precesque totius civitatis referuntur, sententiae usurpantur breves, verba electissima; numerosa vero ac propior versui oratio quam prosae: sic tamen, ut numeri, quemadmodum superius adnotavi, lege soluti sint.

Ceterum non defuere, qui numerum hunc poëticum studiosius vitarent; quaerentique exempla, quum alibi, tum in *Pandectis* Modii *triumphalibus* quaedam occurrent, e quibus est, quod subjiciam, Philippo Caroli V. Aug. F. a Mediolanensibus temporario in fornice inscriptum (2):

QVI · NOBIS · AVCTOR · ES · PVBLICAE · LAETITIAE
FRVERE · NOBISCVM · COMMVNI · GAVDIO
HONORES · AVTEM · QVI · TIBI · DEBENTVR
DIVINI · ET · IMMORTALES
PATERE · AD · TVVM · REDITVM · RESERVARI
CVM · VICTIS · HOSTIBVS · AGES · TRIVMPHVM
EX · PACATO · ORBE · TERRARVM

tu vero quae magis arriserint, vel utraque etiam, si libet, exempla sequaris. neutra enim antiquis displicuisse quisquam ostenderit. illud tantum caveas diligenter, ne frigida aut levia aut nimis, ut ajunt, librata consecteris: nihil enim praeter modum fieri debet. quamquam hujus terminos demonstrari vix posse puto; nisi forte exemplo esse potest egregius ille Plinii locus de Tullio (3), quem sane, tituli instar, in ejus reditu fornici temporario inscriptum quis non probasset?

SALVE
PRIMVS · OMNIVM · PARENS · PATRIAE
APPELLATE
PRIMVS · IN · TOGA · TRIVMPHVM
LINGVAEQVE · LAVREAM · MERITE
ET · FACVNDIAE · LATIARVMQ·
LITTERARVM · PARENS
ATQVE · OMNIVM · TRIVMPHORVM
LAVREAM · ADEPTE · MAIOREM
QVANTO · PLVS · EST
INGENII · ROMANI · TERMINOS
IN · TANTVM · PROMOVISSE
QVAM · IMPERII

Clausulae denique, quae communium inscriptionum propriae sunt, eae in temporariis haud temere subscribendae: quibus nimirum vix locus esse tum potest, quum temporariae ad communium rationem exiguntur.

(1) p. 286. n. 3.

(2) lib. 2. n. 34. p. 83.

(3) H. N. l. 7. c. 30. n. 31.

§· IIII·

DE INSCRIPTIONIBVS FVNERVM PVBLICORVM

I· Morem, qui Romae potissimum est, quum exsequiae Pontificum Maximorum aut Regum celebrantur, ut templa atque atria inscriptionibus decorentur, a Romanis veteribus fluxisse diximus, pro quorum etiam pyra tribunalia nunc funerum publicorum caussa exstruuntur magnifico saepe opere, ac titulis plerumque insignia: quae veteres in foro temporaria item construebant, interdum et mansura, ut Epidaphne Germanico Caesari Antiochenses, quo in loco, ut ait Tacitus (1), vitam ille finierat.

Quae autem inscriptionum funebrium ratio esse debeat, non ita liquet: nemo enim ista antiquitus memoriae tradidit posterorum. tum pleraque etiam exempla, quae attulimus, quamquam funebria magis esse videntur, quam sepulcralia; paucas tamen formulas habent, quae funerum publicorum illustres titulos ornare possint: communi praeterea et forma et stilo fere scripta sunt; ut ab his, quae paullo ante descripsimus, valde differant. quapropter recte, opinor, ac tute faciunt, qui funebres etiam titulos communi stilo perscribunt: idque maxime probandum videtur, quum de Principis funere agitur, in quo nihil proponi par est, nisi quod et graviter et cum dignitate scriptum sit. sed tamen in exsequiis, ut ita dicam, minorum gentium, quae publice fiant, non adeo illud alterum temporariae scriptionis genus repudiem, ut inscriptionibus nullum nisi communibus locum esse putem. videmus enim in ipsis veterum epitaphiis hoc sibi quosdam sumpsisse, ut aliquid a communi forma recederent, ut sententias interdum subscriberent, ut salutationes adderent, ut dolori denique et amori plurimum indulgerent. itaque verisimile est, in funebribus eos titulis plus aliquid ausos esse: quo scilicet tempore vis acrior doloris urgebat, et totam saepe cognationem luctu perditam, ac desiderio carorum pignorum confectam ad immodicas laudes atque ad fletus et lamentationes vehementius incitabat. ob eam rem nostra quoque aetate fuere, qui ad publicas exsequias floridum hoc scribendi genus quam aptissimum esse arbitrati, prima utique inscriptione ex communium forma proposita, ceteras licentius condidere: eaeque multis et probatae sunt et probantur: quarum exempla aliquot in Ferrarii etiam et Egizii voluminibus reperies.

II· Quidni igitur et hanc rationem sequamur, quae quum antiquorum exemplis consentanea est, tum recentiorum judicio usuque comprobatur? illud quidem hic etiam retineamus, ut qui titulus in templi fronte aut intra porticum supra portam maximam primus eminebit, is communi stilo scriptus sit, sic nempe, ut defuncti nomen exhibeat et merita, tum eorum etiam nomina, qui justa persolvant, eorumdemque officium et ipsum animi moerorem et luctum significet. at subinde ceteris in titulis, qui ad feretrum aut ad parietes figentur, non res solum a defuncto gestas ejusque virtutes, sed varias etiam sententias et laudes et affectus concludamus: cujusmodi quaedam vel in epitaphiis vidimus, plura in librum tertium congerentur.

Ceterum haec apte dividenda sunt, maxime ut virtutibus rebusque a defuncto gestis ordine quodam in plures tributis partes, tota veluti vita ejus et acta ob oculos ponantur. neque enim alio consilio inscriptiones in funeribus publicis proponimus, quam ut ea, quae quis pie, fortiter, liberaliter gesserit, in civium memoriam revocemus, at-

(1) Ann. l. 2. c. 83.

que ut beneficia, virtutes, recte facta justis laudibus et grato animo prosequamur. quidam idcirco breves veluti fastos confecere, quorum singulae partes singulis picturis clypeisve plasticis subscriberentur. ejusmodi sunt, quos Ferrarius ob funus Christinae Augustae scripsit (1); quos utique, quia Augustae gratia confecti sunt, non immerito commendaveris: quippe tam illustrium exsequiarum tituli non venustam et floridam, sed grandem ac splendidam orationem requirebant. verum si funus celebretur ejus, qui infra fastigium Principis sit, nec satis magnis in rebus diu versatus fuerit; jam qui fastos condere velit, levia saepe et inania contexat, multaque titulorum ornamenta respuat, necesse est, quae hisce quidem liberioris stili inscriptionibus apprime conveniunt, at fastis aptari nullo modo possunt.

Itaque res, quae celebrandae erunt, sic exponi praestabit, ut ordinem quidem in distributione servemus, ad singula tamen illustranda qua sententiis philosophorum, qua figuris rhetorum apposite utamur. his vero apta in primis προσωποποιια atque αποστροφη, ut aut cives ipsi defunctum adloquentes, aut qui funus faciunt, praeclare ejusdem facta enarrantes inducantur. finge exempli caussa feminam nobilitate ac virtute primariam, eandemque honestissimi municipii patronam ac de eo optime meritam obiisse, cui propterea funus publicum a Decurionibus decretum fuerit: his equidem aut similibus titulis funebrem apparatum instrui ornarique posse crediderim. in ipso primum templi vestibulo titulus hujusmodi proponetur:

A ☧ Ω

LVCILLAE · CLAVDI · F ·
METELLAE · RVFI
PATRONAE · MVNICIPI
PARENTALIA
PVBLICE
DECR · DEC ·

templum deinde ingredientibus reliqui occurrent tituli vel ad parietes fixi, vel ad ipsum etiam feretri tribunal; iique liberiore, ut diximus, stilo et poëtica prope licentia perscripti, quibus scilicet et patronae merita extollantur, et civitatis moeror ac luctus declaretur. atque haec quidem ex commentariolis meis inchoata atque rudia depromo, ne diu in aliorum exemplis conquirendis adlaborem. tu vero his contentus ne sis, et optima quaeque, si vacat, quaerendo investiges.

HEROVM · GENVS · LVCILLA
ET · VIRTVTIS · AEMVLA · DOMESTICAE
PATRI · AVO · MAIORIBVS
NON · ILLA · MINVS
EX · SVA · REDDIDIT · LAVDE
QVAM · DECORIS · SIBI
TAM · CLARA · E · GENTE · OBVENERAT



PVDOR · FIDES · IVSTITIA
QVIBVS · LVCILLAE · IN · PECTORE
TEMPLVM · FVIT
QVANDO · ALIAM · INVENIENT
PAREM



(1) p. 55. n. 118.

HEV · QVAE · BONAS · FOVIT · ARTES
QVAE . TARDA · SOLERS · ACVIT · INGENIA
QVA · NEMO · SOSPITE · MISER
NEMO · DVRAM · SENSIT · INOPIAM
MORS · VNO · ACERBA · FVNERE
PATRIAE · MOERENTI
ERIPVIT



EN · TRISTIBVS · EXSEQVIIS
SACRA · NVNC · SQVALET · AEDES
ARAEQVE · ATRATAE · LVGENT
CVIVS · DE · MVNERE · NVPER
MARMOREAE · NITEBANT
ARGENTO · AVROQVE · DIVITES

NON · SI · ANNOS · INTEGRA · INTEGROS
IMPLEVIT · OCTOGENOS
VEL · PATRIAE · TAMEN
VEL · SVIS · VISA · CLIENTIBVS
VIXISSE · SATIS
MATRONA · FRVGI
MVNIFICA · RELIGIOSA

IVSTA · BENE · MERENTI
INFELIX · LVCTV · PERDITA
PERSOLVIT
PATRIA
CVM · LACRIMIS
LVCILLA · PARENS · AVE · ET · VALE
IN · PACE

SALVE · ANIMA · INNOCENS
IAM · RECEPTA · SIDERIBVS
AGE · O · BEATO · QVAE · FRVERIS · AEVO
VOLENS · PROPITIA
INDIDEM · PRAESENTI
SOSPITES · OPE
PATRIAM

Tenue id argumentum, ut vides, nec majora capiebat: cui majus atque uberius detur, ut si magistratus aut ducis exsequiae celebrentur, is plura sane ac splendidiora efferre possit, de justitia nempe, de prudentia, de fortitudine, de scientia rei militaris, de bellis, de victoriis, et quae sunt hujusmodi.

III. Sententiae etiam e morali philosophia et Christiana desumptae non exiguam afferent venustatem: quibus admodum scite usus aliquando est Egizius, ut in Eleonorae Aug. et in Ioannae Pignatelliae exsequiis (1): cujus item sunt tituli hi duo in Cajetani Argentii funere honorario propositi (2):

AH · NIMIVM · FLVXAE
SVNT · SPES · MORTALIVM
BONA · VOLVCRI · FVGIVNT · PEDE
ECCE · MAGNO
CAIETANO · ARGENTIO
IVSTA · SOLVVNTVR

FVIT
CAIETANVS · ARGENTIVS
THEMIDIS · PERENNE · DECVS
CAESARIS · AMOR · PATRIAE · OCELLVS
NVNC · PARVVS · TEGIT · OSSA · LAPIS
INGENTEM · ANIMVM
DOCTVM · PIVM
HABENT · SIDERA

verum prope displicet illa e Graecia *Themis*: quamquam alibi multo magis *Fatorum* mentio (3), et formula illa veterum *Sit Tibi Terra Levis* (4), quae jam apud nos nihil sapit. porro scriptoris erit prudentis delectum habere, et eas optare sententias, iis uti formulis, quae religioni nostrae et pietati respondeant: cetera, quae adversentur, exquisita sint, licet, atque elegantia, respuere ac detestari.

Haec habui, quae de temporariis inscriptionibus dicerem: de quibus aliquid, quam nihil scriptum esse praestat.

(1) a pag. 309. et a pag. 294.
(2) a p. 311.
(3) p. 297. n. 3.
(4) p. 295. n. 2.

CAPVT II.

De inscriptionibus nummariis

§. I.

DE RATIONE GENERIS VNIVERSA

I. Quod diu apud Romanos in usu fuit, ut non solum nummos signarent ementium commodo, sed missilia etiam nomismata munusculorum caussa cuderent; utrumque nostra quoque aetate in more positum esse videmus: itaque alii quidem nummi ad res promercales comparandas usui sunt, alios in Principis memoriam tamquam historiae monumenta conservamus. sed tamen magnum fere invenias in nummorum nostratium forma et inscriptione discrimen. nam quum veterum more et res gestae et praeclarae Principum virtutes omni nummorum genere posteritati commendari possint; qui tamen novi identidem commercii caussa cuduntur, uno plerumque titulo eodemque argumento omnes signantur: ut praeter Principis nomen nihil jam referant, quod historiae unquam prodesse possit. satis vero habent praefecti hi nostri monetales, quae singulis annis praecipua a Principe gesta sint, ea uno aut altero missili nomismate testata immortalitati mandare: atque id ipsum ita saepe negligenter faciunt, ut ea nomismata nihil prope Romanum aut Latinum referant, nisi verba: adeo et figurae a veteri artificio aberrant, et sententiae ipsae peregrinitatem redolent.

Scio equidem hac etiam et superiore aetate percussa alicubi nomismata optimae notae, qualia sunt exempli caussa, quae Regis Ludovici Magni res gestas continent (1), et quaedam foederatarum Belgii civitatum historiam exhibentia (2), et quibus pleraque Pontificum Maximorum acta signantur (3). sed hoc facit, ut iis magis succenseam, qui de eleganti argumento ac de recta nummorum inscriptione nihil laborant; quum videam nunquam deesse eruditos homines, a quibus haec peti possint. verum enim vero in his etiam exemplis, quae fere commendantur, quaedam interdum occurrunt, quae probari non possunt. id tute agnoscas, velim, in iis inscriptionibus, quas olim Algarottus Moschorum gratia fecit (4), ut clarissimorum ex ea gente Principum eximia facta in nummis consignarentur. sunt autem hujusmodi:

TITVLI PRO AVERSA FRONTE NVMMORVM PETRI MAGNI

I.	DISCIPLINA · MILITARIS · FVNDATA
II.	PEREGRINATIONE · PRO · IMPERI · FELICITATE · SVSCEPTA
III.	SARDAHAMI · CELATA · MAIESTAS · PRAEFVLGET · ET · VIRTVS
IIII.	VIRES · FVNDO · ACQVISITAE
V.	COLONIA · AD · NEVAM · DEDVCTA · IMPERI · PRINCEPS
VI.	LEGVM · MILITIAE · IMPERI · CONDITOR
VII.	PER · OMNES · MILITIAE · GRADVS · AD · SVMMVM · IMPERIVM · NONNISI REBVS · BENE · GESTIS · EVECTVS

(1) Medaill. de Lovis le Grand a Paris 1702.

(2) Van Loon Hist. Metall.

(3) Bonanu. Numism. Pontif. etc.

(4) Oper. t. 5. p. 21.

VIII. OSTIA · NEVAE · INCOLIS · TANTVM · COGNITA · NVNC · OMNIVM · EVROPAE GENTIVM · EMPORIVM
VIIII. SALTVS · DEIECTI · VIAE · MVNITAE · ARATAE · PALVDES
X. TEMPLVM · MINERVAE · ARTIBVSQVE · OMNIBVS · DICATVM
XI. NEPTVNO · IN · SOCIETATEM · IMPERI · VOCATO
XII. ARBORES · OLIM · IN · CASANI · MONTIBVS · NVNC · IN · BALTICO · CARINAE
XIII. PATER · PATRIAE · CONSALVTATVS
XIIII. FINLANDICVM · MARE · TRIVMPHATVM · ANTEA · RVSSIS · CLAVSVM
XV. CONIVNCTA · MARIA
XVI. CASPIVM · MARE · CLASSE · RVSSA · SVBACTVM
XVII. EVXINVS · RVSSIS · PATEFACTVS
XVIII. CASPII · MARIS · FACIES · DETECTA
XVIIII. CASPIA · REGNA · IN · POTESTATEM · REDACTA
XX. ORIENS · OCCIDENSQVE · DEVICTI
XXI. SVECIS · AD · PVLTAVAM · DELETIS
XXII. LIVONIA · ESTONIA · INGRIA · CARELIA · IMPERIO · ADIECTIS
XXIII. AVGVSTO · POLONORVM · REGE · RESTITVTO
XXIIII. PACATVS · SEPTEMTRIO
XXV. MAGNI · COGNOMINE · TOTO · TERRARVM · ORBE · APPELLATVS

TITVLI PRO AVERSA FRONTE NVMMORVM ANNAE IANOVVNAE

XXVI. ANNONA · VRBIS · FOSSA · MVNICHIANA · FIRMATA
XXVII. REX · POLONIS · DATVS
XXVIII. GALLIS · AD · GEDANVM · CAPTIS
XXVIIII. GYMNASIVM · MARTIS · IMPERII · SPES
XXX. VCRANIA . ADVERSVS · SCYTHAS · MVNITA
XXXI. DESERTORVM · LOCORVM · SCYTHARVMQVE · VBIQVE · VICTOR · EXERCITVS
XXXII. MVNITISSIMO · ET · ANTEA · INSVPERABILI · AD · PRECOPIAM · MVRO SVPERATO
XXXIII. OCZCACHOVIO · CAPTA · INGENTIQVE · TVRCARVM · VI · IN . SERVITVTEM ADDVCTA
XXXIIII. TVRCIS · AD · COCZINVM · FVSIS
XXXV. SCYTHIS · INTRA · CHERSONESI · TERMINOS · COERCITIS
XXXVI. MERCATORIBVS · RVSSIS · TERRESTRI · ITINERE · PERVI · SERES
XXXVII. ORA · MARIS · GLACIALIS · PERLVSTRATA
XXXVIII. ASIA · ATQVE · AMERICA · PARVO · FRETO · DISIVNCTAE
XXXVIIII. ASIAE · ATQVE · AMERICAE · TERMINIS · CONSTITVTIS

TITVLI PRO AVERSA FRONTE NVMMORVM ELISABETHAE

XXXX. REGNVM · PATERNO · IVRE · SIBI · VINDICATVM
XXXXI. CLEMENTIA · AVGVSTA
XXXXII. MATRE · PVLCHRA · FILIA · PVLCHRIOR
XXXXIII. IMPERIVM · ARMIS · ACQVISITVM · ARMIS · RETINVIT
XXXXIIII. SANNIONVM · ALIORVMQVE · ID · GENVS · HOMINVM · AVLA · PVRGATA
XXXXV. SVECORVM · EXERCITV · PROPE · ABOAM · CIRCVMDATO · TOTAQVE · EIECTO FINLANDIA

XXXXVI·	SVECORVM · RESPVBLICA · CONSTITVTA
XXXXVII·	INCVRIA · PAENE · COLLAPSVM · RESTITVIT
XXXXVIII·	IVSSO · IN · BELGIVM · EXERCITV · IANVM · CLVSIT
XXXXVIIII·	AVCTIS · SINE · QVERELA · VECTIGALIBVS
L·	PASSIBVS · AEQVIS · PATREM · SEQVVTA
LI·	LIGNEAM · MAGNA · EX · PARTE · ACCEPIT · LATERITIAM · RELIQVIT
LII·	AB · EVXINO · CASPIO · BALTICO · GLACIALI · MARIBVS · AD · OCEANVM · VSQVE · IMPERIO · PROPAGATO

TITVLI PRO AVERSA FRONTE NVMMORVM CATHARINAE II·

LIII·	MINERVA · IN · SOLIO · SEDENS
LIIII·	VOLENTES · PER · POPVLOS · DAT · IVRA
LV·	IVRE · EMENDATO · CERTISQVE · LEGIBVS · DEFINITO
LVI·	OMNES · IN · RVSSIAM · INVITATAE · GENTES
LVII·	MVNIFICENTIA · AVGVSTA · LIBERORVM · SINE · PARENTIBVS · PARENS
LVIII·	MINERVA · ATQVE · APOLLO · FOEDERE · IVNCTI
LVIIII·	MINERVA · VENVSQVE · IN · VNA

Habes hic titulos, quos Algarottus vulgavit, omnes: at non et omnes aeque probabiles. multi utique egregii atque optimi, at et quidam nimis longi, alii nimis exquisiti: nec titulos, quod ille fecit, a poëtis petere Romani solebant, ut nummis inderent: quare eos fortasse offenderent quartus hic titulus et quadragesimus secundus et quinquagesimus et quinquagesimus quartus. verborum item collocatio interdum minus recta: casus enim patrius, ut alio loco dicemus, rectum sequi debet, aut eum qui primarius est: eodemque pacto adjectiva veteres nominibus subjiciebant, quod ille non semper servavit. in quadragesimo quarto cur patrio potius, quam sexto casu usus initio est? deinde nummariae inscriptioni quam parum illa conveniunt *Aliorumque Id Genus Hominum,* quae prosae orationis propria sunt. nec mihi quinquagesimus primus valde placet; Augusti scilicet dictum *Marmoream relinquo, quam lateritiam accepi,* non de urbis aedificiis, sed de republica prolatum Dio est interpretatus (1): atque huic sententiae verbum *Accepi* magis congruit. illud *Maribus* in quinquagesimo secundo durinsculum est, nec probat Charisius (2); quamquam usus semel est Caesar (3). decimum autem, undecimum, vicesimum nonum, quadragesimum octavum, quinquagesimum tertium, quinquagesimum octavum et ipsum ultimum, me auctore, repudiabis: quid enim Christianis hominibus cum Minerva, Neptuno, Iano ceterisque antiquae superstitionis Diis Deabusque? serio haec dici non possunt, et seria tamen res hic agitur. illud denique animadvertendum est, titulos, qui ab Algarotto pro Catharina II· scripti sunt, in nummis signandos fuisse, quos ipsa Augusta nomine suo cudendos curaret: itaque primum et tres postremos hac etiam de caussa improbandos videri, quod insignes illas appellationes ipsa sibi adrogans induceretur: cujus contra hoc proprium Orbis fatetur, ut magna quaeque atque ardua perficiat potius, quam loquatur, et laudum suarum praeconia mereri malit, quam audire.

II· Quae quum ita sint, vides, opinor, a veteri adhuc elegantia nos abesse non parum, nec adeo diligentia profecisse, ut Latinorum vim, simplicitatem, modum adsequuti videamur. nam quae in Algarotti titulis notavimus, haud raro in aliis etiam culpanda reperiuntur. jamvero ut ea perstringam, quae generatim de nummorum inscri-

(1) l. 56. p. 829. E. (2) l. 1. p. 21. Putsch. (3) B. G. l. 5. c. 1. n. 1.

ptionibus dicenda esse arbitror, illud primum diligenter curandum est, non modo ut nummi titulus cum ejusdem argumento consentiat, sed etiam ut frontis utriusque inscriptiones inter se satis cohaereant, nec altera alteri repugnet. has in antiquis nummis quum legimus, saepe conjungi debere, indicavit non semel Havercampius (1). una exempli caussa inscriptio est, quae in nummo Calpurniae ac Serviliae gentis occurrit, in cujus parte antica scriptum PISO · CAEPIO · Q · in postica vero AD · FRV · EMV · EX · S · C · significatur nempe *Pisoni et Caepioni Quaestoribus* extraordinariis curam a senatu frumenti emundi demandatam esse (2). ex nummis quoque Imperatoriis non pauci unam tantum referre inscriptionem videntur, quum in adversa fronte nomen Principis, in aversa nihil aliud, quam ejusdem titulos legamus. celebrantur et nummi duo maximae formae, Claudii nempe et Titi Augustorum, in quibus singulae, quantae sunt, utriusque inscriptiones, Romae adhuc ad portam, quae *Major* nunc dicitur, exstantes, partim in adversis partim in aversis frontibus leguntur. sed Claudii quidem nummum Gessnerus suspectum, Vaillantius fictum esse confirmant (3): alterum, qui Titi est, quamquam probus habetur (4), quum utrinque referat litteras illas S · P · Q · R · plane sine caussa, vel hoc ipso parvi jure feceris.

Ceterum binae etiam et diversae singulis in nummis inscriptiones ex antiqua consuetudine sunt, ut quum in aversa fronte effigiem Dei alicujus expressam habent, et ejus nomen dativo aut recto inscriptum casu: qui tamen tituli ab eo non discrepant, qui in adversa apparet: quippe illis templi fere aut arae vel signi dedicatio a Principe peracta, fortasse et sacrum ei Deo factum votumve susceptum significatur (5). sic alios, quicumque Latinis in nummis inscripti sunt, facile ad Principis virtutes resque gestas referre possumus, quemadmodum libro superiore saepe vidimus. itaque hoc omnino praestandum est, ut aversae frontis inscriptionem sic fingamus, ut cum prima aliquatenus congruere videatur.

Breves autem ut simus, valde laborandum esse nemo non tenet: non modo quia in exiguum nummi orbem multa compingi non possunt; sed etiam quia nummaria inscriptio eo fere illustrior est, quo brevior. sed non ideo nominum apposita omittes, quae veteres etiam vel multa Principi adscribere solebant: dum et eam veterum consuetudinem sequare, ut quibus in antica nummi parte locus non sit, ea in postica effingenda cures. nam quod quidam nunc faciunt, ut litteris singulariis pleraque indiscriminatim significent, id vero barbarum omnino et perversum est. quid enim quaeso sibi volunt aenigmata illa et scirpi in nummo exempli caussa Imp. Caroli VI. Aug. hoc pacto D · G · R · I · S · A · G · H · H · ET · B · R · fateor equidem vel a Romanis titulos aliquos singularibus litteris scriptos esse, cujusmodi erant *Pius Felix*, *Pontifex Maximus*, *Pater Patriae*: addo etiam, plus aliquid aliquando ausos esse: nam et cognomina sua quidam non litteris, sed rerum earum, unde illa duxerant, imaginibus significarunt (6). at numquam ea quoque licentia usi sunt, ut exterarum etiam nationum aut provinciarum nomina prima tantum littera designarent. tribus quatuorve ea litteris aut plane omnibus scripta esse invenies: ut qui legunt, nullo modo haerere possint. sic et cognomina a devictis gentibus efferebant: DAC · GERM · PARTH · passim occurrent, et alia ejusmodi: *Imperator* tribus litteris IMP · *Augustus* AVG · *Rex* omnibus litteris REX scripta reperiuntur. quare si tituli omnes, spatii angustiis exclusi, justis indicari litteris nequeunt, in alteram utique nummi frontem transferantur: aut si alia ibidem inscriptio esse debet, quod veteres item fecerunt, praetermittantur: nummi potissimum Hadriani Aug. exemplo esse

(1) in Gente Corn. p. 123. etc.
(2) Spanh. diss. 10. p. 154. v. Vaill. t. 3. p. 104.
(3) Burmann. ad Svet. tab. 20.
(4) Nov. Fior. an. 1751. p. 243. Zaccar. Stor. Lett. t. 3. p. 663.
(5) v. inscr. 381.
(6) Spanh. diss. 6. p. 524. Fabr. in Gron. p. 88.

possunt, in quorum antica fronte inscriptio saepe non alia, quam haec legitur, HADRIANVS · AVGVSTVS.

II· Iam et nummorum communium plerique, et quidam etiam e missilibus sententias fere nunc exhibent sacris e litteris aut ex veteri philosophia petitas: quas saepe populus alium in sensum detorquet, quam quo prolatae sint; quippe non ut rectae semper et graves sunt, ita etiam loco passim et apposite usurpantur. quam vero haec a Latinorum consuetudine abhorreant, veteres nummi declarant, e quibus nullum reperias, in quo moralis ulla sententia aut philosophi alicujus dictum expressum sit, ne tum quidem, quum philosophum populus Romanus Principem haberet.

At quid de verborum aut sententiarum figuris statuendum est, quae item nonnullis placuerunt? hae quidem Romanis in nummis apparent, sed tamen perraro. nummos Spanhemius protulit binos (1) e thesauris Regis Galliarum, quorum alter habet IO · IO · TRIVMP · alter, quem ad Saturnalia refert; IO · SAT · IO · jam in Commodi nummo, qui Iovis Fulgeratoris effigiem habet, inscriptum legimus (2) OPTIME · MAXIME · COS · V · P · P · tamquam si Commodo senatus acclamaret iisdem verbis, quibus Iovem salutabat. tum in alio ejusdem nummo hanc alteram acclamationem inesse jam monuimus (3), PIO · IMP · OMNIA · FELICIA: cetera vero exempla eruditae aetatis non sunt; Carausii enim nummus est, in quo legimus EXPECTATE · VENI, quae provinciae Britanniae verba sunt Carausium invitantis (4). item Maximianum Aug. refert ille alter, in cujus aversa fronte ad oram quidem inscriptum videas GAVDETE · ROMANI, in medio autem tamquam in tabula, quam duae Victoriae sustinent, SIC · XX · SIC · XXX · infra demum AQ · quod Aquilejae nummus ille signatus esset (5). ac cetera hujusmodi, si qua sunt, exempla ejusdem aut sequioris etiam aetatis esse reperies. nimirum antiqui dignitati et gravitati studebant impensius, neque titulos nummorum, qui ex senatus consulto signabantur, ex rhetorum, opinor, aut poëtarum penu sine levitatis nota peti posse arbitrabantur.

Haetenus de nummorum titulis generatim: de quibus plura tradere supervacaneum est. exempla enim libri primi, et quae ubique praesto esse possunt, quid deceat, quid non, multo jam melius, quam ulla commentatio et doctrina declarabunt.

§· II·

DE INSCRIPTIONIBVS NVMMORVM ADVERSIS

I· Frontem nummi adversam vultu Principis insignire, aut eorum, qui e domo Principis essent, non Romanorum solum, sed omnium fere nationum mos fuit. at nunc clypei magis delectant, qui gentis insignia referant: ea videlicet, quae propria, iis, quae multorum communia sunt, postponuntur; et quae barbaries celebravit, Latino jam sermoni recte aptari putantur. quin ne hoc quidem viderunt: qui ista curant, nomen Principis in nummo, sine vultu ejus, temere inscribi: quum nihil sit, quo nomen recto casu scriptum referri possit, nisi id verbo subjecto designetur. itaque in antiquis nummis vultum quidem Principis sine inscriptione aliquando, inscriptionem nominis sine ipso vultu vix unquam reperies: nisi forte annorum designandorum caussa nomen ablativo casu inscriptum sit, aut, si recto, aliquid ipse Princeps fecisse aut restituisse dicatur: quae minutis in nummis non raro animadvertere licet.

(1) les Cesars de Iul. p. 2. edit. Paris. 1683.
(2) Vaill. t. 2. p. 187.
(3) v. inscr. 441.
(4) Vaill. t. 3. p. 65.
(5) Morell. Spec. Rei Numm. vet. tab. 6. p. 79.

Enimvero qui Romanam consuetudinem reddere voluerint, quam sane Latina, qua utimur, lingua requirit, ii quidem in adversa nummi fronte Principis vultum effingendum curabunt, iidemque ad oram nomen ejus et titulos quosque perpetuos inscribent. horum autem is ordo esse debet, quem ceteris in inscriptionibus conservandum esse tradidimus (1). sed tituli tamen, qui laudis et honoris caussa Principi adtribuuntur, ex veterum praescripto in aversam nummi frontem rejiciendi sunt: quamquam qui aliquando in adversa inscripserit, exemplum ei etiam praesto erit, quo se defendat, nummus scilicet C. Caesaris Octaviani, quem senatus ex argento atque ex auro post Actiacam victoriam cudi jussit hoc titulo (2).

IMP · CAESAR · DIVI · F · COS · VI · LIBERTATIS · P · R · VINDEX

nam in aversa hoc tantum, PAX. ceterum appellationes hujusmodi, quae rebus gestis summisque virtutibus celebrandis inventae sunt, iis conveniunt nummis, qui in honorem Principis signantur, non iis, quos ipse nomine suo percuti jubet. in Romanis autem nummis ideo frequentes sunt, quod non Imperatoris sed senatus nomine pecunia omnis signabatur (3). atque in his etiam eadem de caussa nomen Principis efferebatur non raro dativo casu, ut nummus ipse et effigies Principi dicata intelligeretur (4): quo pacto civitates quaedam missilia nomismata in Regis sui honorem signarunt: ut Lugdunenses hoc titulo (5):

LVDOVICO · XIIII · RESTITVTORI · QVIETIS
LVGDVNVM

expressum autem in nummo Regis caput, cui Pax coronam imponit: et infra effigiem urbis nomen legitur: quemadmodum in Tiberii nummo Germanici liberos videas eorumque nomina, et municipalem simul magistratum adjectum (6),

NERO · ET · DRVSVS · CAESARES
QVINQ · C · VINC ·

quamquam haec veteres aversae plerumque fronti reservabant (7); in adversa vero atque in orbem ea tantum addebant, quae essent ejus propria, cujus vultum nummus referret: praenomen scilicet atque nomen; tum patris, et avi interdum, praenomina aut cognomina, subinde cognomen ipsius et dignitatis, magistratuum, rerum gestarum perpetuas appellationes, et si qua alia, quae passim in nummis Augustorum reperies.

II· Iam antiquis item in nummis binos interdum vultus aut ternos expressos videas, quod nunc quoque fit: nomina autem apposita cuique sua, et quos nummus caperet titulos. sunt autem fere Augustorum vultus cum uxore Augusta, aut cum liberis, vel etiam simul omnium (8): interdum Augusti et matris ejus Augustae (9). sed nominum inscriptio non semper adjecta; noti enim populo vultus eorum erant, et nummis ab ipsa Principum effigie satis auctoritatis accedebat (10). itaque interdum aut nihil inscriptum est, aut id, quod vel animorum conjunctionem in Augustis significaret (11), vel populo Romano de Principum virtute spem faceret: cujusmodi est egregius Severi Aug. nummus aureus in adversa fronte capita exhibens ipsius et Iuliae cum inscriptione FELICITAS · PVBLICA, in aversa vero Caracallae et Getae, cum inscriptione CONCORDIA · PERPETVA (12). alias contra viri quidem nomen legeris, uxoris non item, ut in

(1) Part. 1. c. 2. §. 2. hujus lib.
(2) Vaill. t. 2. p. 33.
(3) v. inscr. 377.
(4) v. inscr. 361. 411.
(5) Menestr. Hist. du Roy le Grand p. 36.
(6) Spanh. diss. 11. p. 322.
(7) v. Thes. Morell. t. 2. p. 54.
(8) v. inscr. 365.
(9) v. inscr. 363.
(10) v. inscr. 365.
(11) v. inscr. eand.
(12) Vaill. t. 2. p. 215.

Antonii nomismate, in quo ipsius, et Cleopatrae effigies sunt, et haec tantum inscriptio (1):

M · ANT · IMP · TER · COS ·

simile illud Commodi, in quo ipse lauro redimitus, Marcia galeata expressi sunt; una tamen legitur inscriptio (2):

L · AELIVS · AVRELIVS · COMMODVS · AVG · PIVS · FELIX

singularem vero titulum in Liviae nomismate offendes, in quo ipsam Liviam Iunonis comptu effictam, et haec circum inscripta animadvertes (3):

INDVLGENTIAE · AVG · MONETA · IMPETRATA

unde intelligimus, nummum honoris caussa esse percussum, ab Colonia scilicet Augusta Aroe Patrensi, quippe in fronte aversa Augustum in curru triumphali refert et titulum hujusmodi:

CAESARI
AVG·
COL · A · A · P·

Sunt et nummi aliquot, qui effigiem in fronte adversa nullam habent, sed in medio quidem litteras S · C · ad oram vero inscriptionem ejus, qui nummum restituit, sive qui ad veterem formam cudendum curavit. hujusmodi est Tiberianus a Tito Aug. restitutus, cujus aversam inscriptionem habes libro I· (4), in adversa autem inscriptum est (5),

IMP · T · CAES · DIVI · VESP · F · AVG · P · M · TR · P · P · P · COS · VIII · REST·

hae quidem inscriptiones in aversis fere frontibus leguntur: nam in adversis et caput et inscriptionem veteris Principis exprimere solebant. at hic contra factum est, quod in aversa Tiberii statuae effigies satis jam admoneret, cujus olim Principis nummus ille fuisset. vix tamen haec usui nobis esse possunt, qui nummos veterum Principum restituere non solemus.

Alii demum nummi non restituti, sed primum cusi in Principis honorem aut Caesarum aut Augustorum, postquam diem suum obiissent: ut qui Romae signati sunt sub Cajo Claudioque Augustis in honorem Claudii Drusi, Germanici Caesaris, Antoniae Augustae, Agrippinae majoris: sed horum inscriptiones adversae a ceteris non discrepant; nam seri illius honoris et funebris indicia in aversis frontibus apparent, ut in Agrippinae nummo, in quo carpentum et inscriptio hujusmodi (6):

S · P · Q · R·
MEMORIAE
AGRIPPINAE

eodem pertinent Antonini Pii nummus post ejus funus et Ἀποθέωσιν signatus cum inscriptione adversa DIVVS · ANTONINVS, aversa CONSECRATIO (7) et Caracallae eadem de caussa percussus hoc titulo DIVO · ANTONINO · MAGNO (8): atque his similes alii, praesertim Augustarum, ut Iuliae Titi filiae, Marcianae Trajani sororis, Sabinae Hadriani et aliarum. nos vero appositum *Divi et Divae* repudiabimus, cetera retinebimus: nomen defunctorum vel recto vel dativo casu efferemus; utrumque enim veteres

(1) Vaill. t. 3. p. 100.
(2) idem ibid. p. 147.
(3) ibid. p. 103.
(4) v. inscr. 428.
(5) Vaill. t. 1. p. 10.
(6) idem t. 3. p. 107.
(7) idem ibid. p. 127.
(8) idem t. 1. p. 121.

probaverunt: huic apposita eo ordine addentur, quem ellogiis convenire ostendimus, aut qui in honorariis inscriptionibus servandus est. virtutum laudes aut clara facta, si qua indicanda erunt, in aversis frontibus locum habeant: sic tamen, ut ii etiam aliquatenus designentur, quorum auctoritate nummus percussus sit.

§· III·

DE INSCRIPTIONIBVS NVMMORVM AVERSIS

I· Multa omnino, eaque plane varia Romani veteres in aversis nummorum frontibus expressere: adeo ut praeclara eruditorum cohors, cui pecuniaria obtigit σπαρτη, in his maxime illustrandis enodandisque tota versetur. ob eam rem factum est, ut in antiquis nummis tituli quoque omnis plane generis reperiantur: quibus veteres ad posterorum utilitatem praecipuarum rerum quosdam veluti annales condiderunt. sunt autem exempla ejusmodi, ut singula prope imitari aemularique facile possis.

Primum quidem nihil negotii est in iis inscriptionibus, quae circa capita inscribendae sint uxoris, puta, aut filiorum Principis, quales saepe effigies in aversa priscorum nummorum fronte visuntur. tituli nimirum hi similes fere eorum sunt, qui in adversa fronte leguntur: nisi quod breviores esse solent; quum illis non omnes appellationes tribuantur, quae olim Principis propriae erant. in Augusti nummo caput L. Caesaris est et hic titulus L · CAESAR · AVG · F · PRINC · IVVENT · in Commodi nummo nondum Augusti caput Annii Veri fratris videas et titulum ANNIVS · VERVS · CAESAR ANTONINI · AVG · FIL · quin et mera interdum nomina inscripta, ut in nummo Caii Aug. in quo dearum habitu mulieres tres effictae his tantum adjectis nominibus, AGRIPPINA · DRVSILLA · IVLIA, quae Caii sorores fuerunt.

Iam Principum virtutes, nam eae nunc etiam muliebri specie et figura ipsis in templis, atque adeo in nummis impune effinguntur, non aliam inscriptionem requirunt, quam nomen quaeque suum et ejus, in quo esse dicuntur: cujusmodi illae sunt AEQVITAS · AVG ·, CONCORDIA · AVGVSTORVM, FIDES · AVGVST ·, HILARITAS P · R ·, PIETAS · AVGVSTA, et similia. eodem pacto Provinciae populi Romani expressae, signis tamen indiciisque adjectis, quae fere fluviorum aut animantium aut arborum figurae esse solent: nec omittitur nomen, quamquam nullo id apposito ornatum reperio: sic nempe inscriptum est, IVDAEA, AEGYPTOS, AFRICA et hujusmodi.

Vt autem veteres Deorum suorum effigies atque symbola exprimenda curabant, sic jam a Constantini Aug. temporibus in usu est apud Christianos, ut tesseras quasdam religionis nostrae, aut Dei Servatoris Matrisque ejus ac Caelitum sanctorum imagines nummi referant. ac labarum quidem primis Christi nominis litteris insigne in ipsius Constantini nummo eminet (1), cum inscriptione GLORIA · EXERCITVS: at aliis in nummis post eam aetatem vel imagines utique occurrunt, quales nunc quoque effingi solent: quae consuetudo plane retinenda est, adscriptis praeterea nominibus, quorum vultus expressi sint: quemadmodum in priscorum moneta legitur DIVOS · IVLIVS, DIANA · LVCIFERA, FORTVNA · REDVX et hujusmodi. quamquam a nobis etiam id ita praestandum est, ut non temere, sed ratione aliqua atque caussa illae potissimum imagines atque illi tituli placuisse videantur: quod fere a veteribus servatum esse, jam ostendi (2).

(1) Vaill. t. 1. p. 293.

(2) v. inscr. 377. 381.

Quid ni vero et eas inscriptiones imitemur, quibus illi Deos suos non a nomine, sed a virtute ac tutela designabant (1)? ut si quando imago certis indiciis se prodat, ejus jam, quem refert, omisso nomine, titulum inscribamus honorarium. Romae quidem, qui nummi cognitissimam cuique Petri Apostoli imaginem habent, eorum titulus esse potest hujusmodi DEFENSORI · PONTIFICIS · MAXIMI, CONSERVATORI · PRINCIPIS, PROPVGNATORI VRBIS; alibi ad notas item effigies hos alios, si libet, inscribito: CAELESTI · PATRONO, CVSTODI · SALVTIS · AVG ·, COMITI · AVG ·, SANCTIS · CVSTODIBVS · LIBERORVM · DOMVS · AVGVSTAE, et similia. Mariae autem Dei Matris multo etiam plures esse possunt: hi certe omnes recte adscribantur, VIRGINI · OPTIMAE · MAXIMAE, VIRGINI · DEI · PARENTI, MATRI · CHRISTIANORVM, GENETRICI · ORBIS · TERRARVM, CVSTODI · VRBIS, SOSPITAE · TVTELARI, PACIFERAE · ADIVTRICI, et qui sunt hujusmodi.

II· Tum sicubi moneta in honorem Principis cuditur, locus et titulis est, quibus illustria facta et bellicae res celebrentur: quo e genere illi sunt, AVCTORI · PIETATIS, CONDITORI, PACATORI · ORBIS, RESTITVTORI · AFRICAE, LOCVPLETATORI ORBIS · TERRARVM, RECTORI · ORBIS, ADSERTORI · LIBERTATIS · PVBLICAE, INVICTO · IMPERATORI, OPTIMO · PRINCIPI. sed si Princeps suo ipse nomine monetam signari jubeat, alia titulorum ratio esse debet, ut nempe res ipsas, quae ab eo gestae sint, non ipsius a rebus gestis praeconium inscribamus. huc pertinent illi veterum nummorum tituli, ARMENIA · ET · MESOPOTAMIA · IN · POTESTATEM P · R · REDACTAE, IVDAEA · CAPTA, PACE · P · R · TERRA · MARIQVE · PARTA IANVM · CLVSIT, REX · PARTHIS · DATVS, REGNA · ADSIGNATA, et cetera hujusmodi exempla, quae nummi non raro exhibent.

Eodem pacto opera publica, liberalitates, beneficia Principum, item profectiones eorundem et adventus et triumphi et ludi designantur: quippe nomina fere sola, quae nummi argumento conveniant, in hunc modum occurrent, MACellum · AVG ·, FORVM TRAIANI, CONGIAR · DAT · POP ·, CONGIAR · TERTIVM, LIBERALITAS · AVG · IIII ·, PLEBI · VRBANAE · FRVMENTO · CONSTITVTO, REMISSAE · XXXX ·, PROFECTIO · AVG ·, ADVENTVS · AVG · AFRICAE, TRIVMP · AVG ·, LVDOS SAECVL · FEC ·, SAECVLARES · AVGG ·, DECVRSIO, PRIMI · DECENNALES. porro hanc saepe rationem sequuti sunt, qui nummos Ludovici Magni in Gallia signarunt: quorum pleraeque inscriptiones in rebus ipsis indicandis totae versantur, atque eo e numero hae sunt (2):

PECVLATORES · BONIS · MVLCTATI
M · DC · LXVI.

(3)

LITIVM · SERIES · RESCISAE
NOVO · CODICE · LATO
M · DC · LXVII ·

(4)

IVNCTA · MARIA
FOSSA · A · GARVMNA · AD · PORTVM
SETIVM
M · DC · LXVII ·

(1) v. inscr. 383.
(2) Medaill. de Louis le Grand p. 92.
(3) ibid. p. 94.
(4) ibid. p. 101.

(1)

AEDES · SACRAE · CCC · A · FVNDAMENTIS · ERECTAE
M · DC · LXXVI ·

Non aliter vero in nummis Romae prodenda sunt, quae identidem a Pontificibus Maximis memoria digna geruntur: item quae stata sunt et sollemnia; ut quum nummi nova forma primum cuduntur, Pontifice Maximo recens creato: in his enim si Pontifex expressus fuerit rite sacris ab Ostiensium Antistite initiatus, inscriptio nummi erit CONSECRATIO; nam et hoc sensu ea vox recte adhibetur. in aliis, qui signari solent, quum Pontifex Maximus ad possessionem sanctae Ecclesiae usurpandam magno et spectando agmine Templum Lateranum adit; siquidem aversa frons Pontificem referat equo insidentem et stipatoribus cinctum, recte adscribes PROCESSVS · LATERANVS: *procedere* enim dicebantur Imperatores et Consules, quum primum in Capitolium ad nuncupanda vota magno comitatu pergebant, ipsa vero pompa *Processus:* de quibus praeclara habet Spanhemius (2). alia praeterea singulis fere Pontificatibus evenire videmus, quae hisce aut similibus titulis designari possint: ARGENTI · STIPES · PLEBI · DIVISAE, SCRIPTA · IMPIORVM IGNI · DEVOTA, ARCHIEPISCOPVS · BONONIENSIBVS · DATVS, COLLEGIO · PATRVM · CARDINALIVM · SVPPLETO, CAELESTES · HONORES · HIERONYMO · AEMILIANO · DECRETI, et plura hujusmodi, quae tamen omnia sic enuncianda sunt, ut nihil in titulo redundet, et aliquid etiam ipsae rerum figurae atque effigies loquantur.

II· Quamobrem nummos interdum offendes, quorum aversa frons nullam habet inscriptionem, cujusmodi sunt Hadriani quidam et Antonini Pii vultibus insignes, qui in aversis frontibus qua pontes, qua templa, qua effigies deorum referunt, nota nempe argumenta, neque tum indice ullo explicanda. in aliis nomina omissa earum rerum, quae satis expressae essent; hisque inscriptum, quod aliter intelligi non poterat, quorum scilicet essent, ut in Antonii nummis, qui signa militaria exhibent et inscriptiones hujusmodi (3), LEG · XVII · CLASSICAE, CHORTIVM · PRAETORIARVM, CHORTIS · SPECVLATORVM. verba etiam aliquando omissa, quae figurae ipsae fari viderentur. ut in nummo Vitellii (4), in cujus quidem adversa fronte caput Imperatoris est cum inscriptione A · VITELLIVS · GERM · IMP· AVG · P · M · TR · P · at in aversa nil aliud, quam VRBEM · RESTITVTAM legas; sed intuenti figuras facile occurret, addendum esse SVBLEVAT: eminet enim paludatus ipse Vitellius stans, militibus duobus adsistentibus, et mulierem ad genua procumbentem dextra sublevans. sic in Gordiani nummo (5) legimus FELICITATEM · PO · R · at quum eodem in nummo Pax efficta sit caduceum dextra gerens, laeva cornu copiae, jam liquet supplendum esse AFFERT aut SPONDET.

Quin etiam hoc e genere sunt tituli omnes, qui dativo casu efferuntur: qui sive ad effigiem sive ad nummum ipsum referendi sint, dedicationem omnino aliquam indicant, cujus vel Princeps vel senatus auctor fuerit: quam tamen verbo designare qui velit, non is lucem inscriptioni afferat, sed vocem plane inducat inutilem.

III· Spatium illud angustum infra figuras, quod quidam Εξεργον, quasi εξω του εργου, appellant, litteras saepe habet singularias, quae ad argumenti inscriptionem non pertinent. eae in aereis sunt S. C. quibus indicabatur, pretium aeri senatus auctoritate esse factum (6). qui autem antiquiores sunt, ii assis aut partis ejus notas referunt, ut argentei notam denarii. in aliis, qui minus antiqui, officina occurret atque urbs, in qua num-

(1) Medaill. de Louis le Grand p. 213.
(2) diss. 12. p. 457.
(3) Spanh. diss. 10. p. 237.
(4) Vaill. t. 1. p. 29.
(5) idem ibid. p. 160.
(6) v. inscr. 377.

mi signati fuerint. sed quosdam etiam offendes, qui titulum ibidem inscriptum exhibeant: ut Nervae nummus, in quo Imperator expressus est milites e suggestu adloquens, et infra inscriptio legitur, ADLOCVT · AVG · (1); at in nummo Philippi senioris, cujus titulus est PROVINCIA · DACIA, infra leges AN · II · quibus litteris Imperii ejus annus secundus indicatur (2); ibidemque in aliis nonnullis consulatus Imperatorum signati sunt, aut tribunicia potestas. in ceteris fere nihil apparet, vel tituli particula tantum uno ductu inscripti.

Quaeres vero, quid eo demum loco signandum putem: neque enim quae olim solebant, singula nunc eodem modo subscribi possunt. ita sane: verum et pretii notam, ut fit, licet indere, et annum Dionysianae supputationis signare, quemadmodum in Ludovici Magni nummis factum est. Pontificatus item anni aut Regni recte inscribentur: tum si argumentum ob figurarum numerum ad oram excurrat, ipse nummi titulus infra scribi poterit. quin etiam si titulus dividi possit, pars ad oram superius, pars inferius recta linea scribetur: ut in Trajani nummo supra quidem legitur S · P · Q · R · OPTIMO · PRINCIPI, infra vero DAC · CAP · (3) id est *Dacia Capta*.

Ne illud quidem hic praetermittam, ex veterum praescripto et more facere, qui aliquando praeter titulum nummi proprium, alium quoque addunt tamquam rei haerentem, quae in nummo expressa est: sic olim intra coronarum ambitum inscripsere S · P · Q · R · OB · C · S · in clypeis VIC · PARTH · aut VOT · X · in columna QVOD · VIAE MVNITAE · SINT, in fronte templi S · P · Q · R · et similia: quae nummorum inscriptiones non sunt, sed ipsorum operum, quae in nummis repraesentantur.

V. Quod reliquum est, si quis forte queratur, nulla a me exempla libro primo proposita esse, quae ex nummis ante Augustos percussis petita forent; idcirco factum hoc sciat, quod minus apta viderentur temporibus hisce nostris, quum populorum, qui in Europa sunt, plerique uni pareant, nec in nummis, nisi unius facta et laudes consignare soleant. sed quum animadverterim, nomismata quaedam et privata et publica auctoritate interdum cudi, quo clarorum nostrae aetatis virorum memoria celebretur; horumque inscriptiones ad vetustiorum titulos conformari facile posse: ob eam rem exempla hic desiderari omnia non patiar, et aliquid etiam ex eleganti illa gaza depromam.

Triumviri monetales, nisi quum majores magistratus res a se gestas in nummis signari jubebant, originis fere suae atque illustrium majorum memoriam renovabant, ut avitae nobilitatis monumenta posteris relinquerent. exempla vero id multa declarant, quae hic mihi delibanda sunt, ut elegantiam modumque ob oculos ponam, quibus antiqui vel obscuras res atque disjunctas apposite omnino et graphice exprimebant.

Q. Cassius triumvir monetalis, ut se ex eadem gente prognatum ostenderet, ex qua L. ille Cassius fuerat auctor legis tabellariae, quam Cicero *principium justissimae libertatis* appellat (4): in fronte quidem nummi adversa nomen suum inscripsit, et cum effigie nomen LIBERT · at in aversa templum Vestae effingendum curavit, et sellam curulem, quod nempe L. Cassius Vestalibus judex datus esset; simul tabellam litteris A · C · notatam, quibus absolutio et condemnatio significatur, sitellamque sive urnam, in quam judices post Cassiam legem tabellas jaciebant (5). quid quaeso effingi prodique vel luculentius potuit vel simplicius? praesertim quum in urbe majorum monumenta etiamtum exstarent, et historia ipsa nota esset. sic in nummo gentis Papiae, quae Lanuvio oriunda esset, caput expressum est Iunonis Sispitae Lanuvinae, ac ta-

(1) Vaill. t. 1. p. 45.
(2) idem t. 2. p. 315.
(3) idem t. 1. p. 51.
(4) pro Corn. ex Ascon. sub fin.
(5) Spanh. diss. 10. p. 198.

bella insuper in qua legitur PA/PI, ut Papia lex designaretur a C. Papio tribuno plebis lata, *Ne quis peregrinus in urbe esset* (1): eodemque modo, quod P. Porcius Lecca trib. pl. legem de provocatione tulisset, in nummo gentis Porciae indicium ejus rogationis manifesto ostenditur; stat enim magistratus civi item stanti ac provocanti manum imponens, et a tergo lictor cum virga, subscriptumque PROVOCO (2). contra vero in Antistiorum Veterum nummo, originis tantum indicandae caussa, quippe Gabiis oriundi erant, antiquum foedus expressum videas inter Romanos et Gabinos, viris duobus ritu Gabino incinctis ad aram manus jungentibus, inscriptumque (3),

C · ANTIST · VETVS
FOEDVS · P · R · QVM · GABINIS

Iam bellicas res majorum suorum multo etiam diligentius persequuti sunt. nummus Aemiliae gentis Aretam Arabiae regem refert, genu flexo oleae ramum dextera porrigentem, laeva cameli habenis implexa: infraque scriptum REX · ARETAS, qui nempe ab Aemilio Scauro pacis conditiones acceperat (4). in eadem gente nummum reperies, in quo statua efficta est equestris M. Lepidi tropaeum dextra ferentis cum inscriptione

M · LEPIDVS · AN · XV · PR · H · O · C · S ·

quas litteras ex Valerio Maximo (5) explicavit Vrsinus hoc modo, *Annorum quindecim praetextatus hostem occidit, civem servavit*. Paulli item Aemilii triumphi tres designantur in alio ejusdem gentis nummo, in quo tropaeum est, atque a laeva dux Aemilius, a dextra Perseus vinctis post tergum manibus, juxtaque filii duo: inscriptio autem TER · PAVLLVS, nempe, ut Spanhemius explicavit (6), *Ter Triumphavit*, quod in vetusto ejus ellogio legitur.

In nummo Claudiorum templum Iovis Feretrii cernas, et Marcellum spolia opima de caeso Viridomaro dedicantem, addita inscriptione MARCELLVS · COS · QVINQ · VIC · S · id est *Consul quinquies, victor sacrat*. sic majorum res gestas designare voluerunt Plautii, in quorum nummis inscriptum est C · HYPSAE · COS · PREIVER · CAPTV · sic Aquilii, qui Siciliae symbolum effingendum curarunt, aut M. Aquilii pugnam cum Athenione: sic alii atque alii, quorum nummos post multorum labores postremis curis exposuit illustravitque Havercampius.

Haec porro et similia exempla, quamquam e nummis petita sunt, qui perraro ad eorum aetatem pertinebant, quorum facta referrent; satis tamen ostendunt, quantum a Latina consuetudine saepe abeant, qui nomismata ad clarorum virorum memoriam retinendam aetate hac nostra signari curant. neque enim quidquam nunc refert, utrum is, cujus memoriam posteris commendare velis, paullo ante mortuus fuerit, an etiamnum inter vivos versetur. at illud maxime interest, quale nummi argumentum, quae inscriptio eligatur: ne scilicet fabulis temere delectemur, neve res in medio positas negligamus: utque inscriptionem non a poëtis aut a philosophis, sed a re ipsa desumptam germana formula et propria efferamus. vides enim, opinor, nihil in antiquis exemplis occurrere, quod nimis exquisitum aut minus perspicuum ac simplex dici possit: sic autem titulum fere cum argumento conjunctum esse, ut ex utroque sententia constet ac perficiatur: tum ea nobilitatis et laudis indicia, ea rerum gestarum monumenta, quasi delectu habito, esse prolata, quae magis illustria essent; quae contra levia et vul-

(1) Spanh. diss. 10. p. 200.
(2) id. ibid.
(3) Vaill. t. 2. p. 16.
(4) Spanh. diss. 10. p. 226.
(5) l. 3. c. 1. n. 1.
(6) diss. 10. p. 222.

garia forent, ea neglecta atque omissa: aliter profecto, atque nunc facimus, qui nummos saepe et inanibus signamus symbolis, et alienis plane aut ineptis titulis oneramus. enimvero in novorum nomismatum designatione, quae clarorum virorum honori destinamus, nisi ejusmodi exemplis certisque veterum vestigiis institerimus; Latinae si stent litterae, vix aliquid probabile posteris relinquemus.

CAPVT III·

De titulis rerum privarum

§· I·

DE RATIONE GENERIS VNIVERSA

I· Sit tenue mihi, sit leve hoc capite propositum argumentum: non ideo aut mihi praetermittendum aut aliis contemneudum est. gustum certe Latinae venustatis Romanique leporis habuisse dicemur, si et in his sapere videamur: quae tenuis laboris non tenuis gloria erit. quippe nec parva laus haberi solet, quae paucorum est. nimirum etsi multi sibi ipsi valde lepidi et concinni videntur; pauci tamen sunt, qui haec quum attigerint, aliorum etiam judicio comprobentur: adeo plerique parum vel modum vel elegantiam veterum assequuntur.

Breves ut simus, admonent nos ipsa opuscula minuta, quibus titulos paramus, quae saepe terna aut quaterna vocabula vix continent. quare ex his ea semper eligenda, quae ad sententiam enunciandam necessaria sint; de reliquis non laborandum, quorum etiam vices aliquando figurae ipsae faciunt. neque vero singulariis litteris temere utaris, velim; nisi forte jocandi caussa, atque ut interpretem torqueas: ceterum eae tantum usurpandae, quae obviam vulgatamque habent explicationem. stultitia enim sit, si serio contendas, ut quae tibi in animo fuerint, ea alii ab una aut altera, quam adscripseris, littera intelligant.

In titulis autem deligendis earum rerum habenda est ratio, quibus quemque aptare velimus. nam hi vel argumento convenire debent, quod in opere eminet, vel usum rei attingere in quem ipsa servatur, vel certe aliquid indicare, quod vel ad eum pertineat, a quo res profecta, vel illum designet, ad quem ventura sit. titulum olim ipsi interdum artifices nomine suo inscribebant, sed ambiguum fere, atque iis conceptum verbis, ut sententia subinde eorum etiam propria videri posset, qui opus emissent (1). plerumque tamen tituli data opera et certum in usum adjecti, domini vel emptoris arbitrio: itaque certa etiam nomina referunt, nec vagi sunt aut communes: qui nunc maxime probandi, quum opus a domini manu primum prodire declarent, haud levi scilicet munificentiae argumento, sive id amicorum hospitumque munus, sive mensae et domus ornamentum futurum sit.

II· Non aliae porro titulorum sententiae esse debent, quam quae vel amicitiam et humanitatem, vel religionem ac pietatem praeseferant: aut quae ad virtutem et decus excitent, vel ad concordiam, laetitiam, hilaritatem: aut demum quae tempus et locum notent, vel certorum hominum munia declarent, vel illustre factum et claros viros designent: quae tibi singula propositis in exemplis quaerenti occurrent.

Nec vero, quamquam tituli hujusmodi licentius paullo scribi possunt, locum esse statuas veteribus fabulis, aut superstitionis antiquae vocabulis: quae non minus indecora sint, quam praetextata verba jocique obsceni. ut ut illa nonnulli adhuc ingerant perlibenter, ipsi, opinor, Latini, quos imitamur, si nobiscum versarentur, et nostris imbuti moribus, nostris viverent legibus, profecto respuerent, repudiarent; quemadmo-

(1) v. inscr. 454.

dum olim, sibi constantes, Iudaeorum religionem et ritus aspernebantur. quaenam igitur est ista antiquitatis tam perversa imitatio, ut judicium in his rectamque rationem exsuisse videamur? pudet ne nos e tantis errorum tenebris emersisse, atque in hac veritatis luce versari? an pulcri nihil habet Christiana religio, ut omnino sermo sit noster ex veterum superstitione colorandus? Latinam utique linguam, Latinas formulas retineamus: leporem etiam, venustatem, dignitatem aemulemur: haec consectari et juvat et decet: cetera ejus aetatis et morum fuerunt, quae nemo sanus invidere vel debeat vel possit.

§· II·

DE INSCRIPTIONIBVS ANVLORVM

1· Litteratae olim gemmae apud Graecos maxime atque Aegyptios multis saepe reconditisque verbis notatae erant: quae fere tamen ad Alexandrini Basilidae somnia revocantur (1). at ea Romae commenta sero placuerunt, veterumque diu mos viguit, ut qui titulos in gemma probabant, vix alios incidi curarent, quam quibus aut humanitas aut amor aut fides aut religio declararetur. itaque habes paucis, quae potissimum in anulis nostris inscribenda esse videantur.

Hospitum humanitatem produnt omina illa bonam valetudinem diuturnamque felicitatem precantium, quae ex antiquis descripta gemmis libro primo protulimus (2). neque ea nostris non conveniunt moribus: quamquam enim hujusmodi ominibus eam inesse vim antiqui aliquando putarunt, quam nos utique non agnoscimus; minime tamen hanc verba significant, aut ullam superstitionis ansam habent: quin benevolum animum et benignum demonstrant, quo nos animo vel erga inimicum esse debemus. itaque si quas nunc gemmas Dioscorides iste noster e Germania, Pichlerus, inquam, paret, quae, ut fit, nuptiarum caussa vel officii ergo muneri mittendae sint, nae auctor illi ego fuerim, titulos ut inscribat hujusmodi: NVBE · FELIX, LAVDERIS · PROLE · SIMILI, PARENTIS · FACTA PROLES · AVGEAT, AMICO · OPTIMO · AN · F · F ·, VOTIS · MEIS · VIVAS · V · C ·, DIV · TE · PATRIA FRVATVR, et hujus generis alia. ejusdem autem erit ea in gemmis symbola exprimere, quae titulis respondeant: quamquam pleraeque ex antiquis litteratae nullo argumento insignes sunt.

Gemmarum aliae titulos habent, qui amorem obsequiumque declarent; e quibus nonnullos libro item primo descripsi. ad eorum porro exemplum hi novis in gemmis incidi possint: AVE · SABINA · LVX · NOSTRA, SALVE · MEVM · DESIDERIVM, AVE · MI · FAVSTVLE MEVS · OCELLVS · IVCVNDISSIMVS, TE · REDVCE · REVIXIMVS, VIVE · MEMOR · NOSTRI, tum alii atque alii, quos veterum maxime epistolae ad amicos et consanguineos facile suppeditabunt.

Iam fides etiam, quae, quum omnibus, tum Principi maxime servanda est, non obscure iis in titulis significatur, qui privatam publicamve felicitatem in ejus salute collocatam enunciant (3): aut in quibus annos ei multos et victorias et triumphos optamus. quin ipsum quoque Principis nomen et vultus in anulo effictus, studii nostri et addictae voluntatis indicium est. titulos igitur nunc etiam in gemmis, sive eae solam Principis effigiem, sive alias simul expressas habeant, apposite inscribemus, qui hujus aut similis generis esse possunt: SALVO · PRINCIPE · FELIX · PATRIA, INCOLVMI · AVGVSTO · SALVA

(1) v. Reasch. Gemm. c. 8. p. 217. (2) part. 2. c. 3. inscr. 444. (3) v. inscr. 447.

DOMVS, VALEAT · VINCAT, ANNIS · VIVAT · DE · NOSTRIS, AVGVSTO · NOSTRO · OMNIA · FELICIA, HIC · DECVS · HIC · SALVS · PATRIAE.

Quae demum gemmae Deorum vultus referrent, vel etiam quae alio argumento insignes, statuis eorum et templis destinatae essent, in his veteres religionem suam, inserta interdum dedicationis formula, indicabant (1). quem nunc in morem anuli ii, quos religionis caussa ad sanctae Virginis simulacra atque ad Martyrum sepulcra dedicamus, hisce ornari titulis possint: VIRGINI · DEI · PARENTI · SACR ·, MARIAE · EXORATAE · SACER · ESTO, TIBI · MARTYR · LAVRENTI · SOSPITATOR, CAECILIAE · VIRG · MART · SVM, et hujusmodi: neque enim plura semper inscribi possunt, aut pluribus saepe opus est: nisi quis forte nomen quoque suum exstare velit. verbum certe si desideretur, non ideo sententia obscura erit aut manca; quippe id facile cuique occurrat, et sententiam effigies etiam ipsa aliquando illustret. quemadmodum de nummorum antiquis argumentis superius diximus.

II. Hactenus de inscriptionibus anulorum, qui ornamenti gratia inventi, nulli ad obsignandum usui esse possunt: quandoquidem ut effigies, ita litteras exhibent rectas et dextrorsum exaratas. ceterae, quae in signatoriis veterum anulis sinistrorsum incisae leguntur, mera plerumque nomina sunt, eorum nempe, qui anulis uterentur: quae hic exempla nemo, opinor, requirat. sed tamen commemorandi hoc loco mihi videntur medicorum quidam sive pharmacopolarum lapilli, qui et gemmas anularias ejusmodi imitantur, et inscriptiones praeterea habent non vulgares.

In agro Ienensi haud ita pridem lapillus inventus est quadratus viridi colore, crassitie modica, idemque singulis lateribus singulas exhibens inscriptiones. porro foramen habet medium et litteras ductu inverso, quae sigillum fuisse ostendunt laxo insertum orbiculo: et quidem medici ocularii quemadmodum tituli declarant, quos egregie Ernestus Walchius explicavit (2). horum hic primus est,

PHRONIM · DIAPSOR ·
OPOBALS · AD · CLAR ·

lege *Phronimi* medici *Diapsoricum Opobalsamum Ad Claritatem* oculorum. ita Scribonius Largus memorat (3) *Collyrium psoricum ad caliginem et ad aspritudinem oculorum, quam* ξηροφθαλμιαν *appellant*. nam ψωρα scabies est aut asperitas cutis a ψαιρω *frico*. hujusmodi autem medicamentorum nominibus praepositio Δια adjungi solebat, scribebantque Διαρροδον, Διασμυρνιον, Diacodion, Diaglaucium et similia. alter titulus est,

PHRONIMI · DIASMYRN ·
POST · IMP · ET · LIP · EX · O · V ·

sive *Phronimi Diasmyrnion Post Impetum Et Lippitudinem Ex Oculo Vulnerato*. impetum dici Walchius putat non tam morbum, quam violentam oculi ac improvisam percussionem. tertius est,

PHRONIMI · EVODES
AD · ASPRIT · ET · CIK ·

id est *Ad Aspritudinem Et Cicatrices* oculorum. quartus demum,

PHRONIMI · PENICIL ·
AD · OMNEM · LIPPIT ·

Ad Omnem scilicet *Lippitudinem Penicilli* ex linteolis concerptis, ex medulla sambuci aut spongia facti, quales et Terentius (4) et Celsus (5) et Scribonius (6) descri-

(1) v. inscr. 450.
(2) Observ. in sig. med. Ienae 1763.
(3) Compos. med. 32. p. 32.
(4) Eun. 4. 7. 7.
(5) l. 7. c. 7. n. 6.
(6) Comp. med. 142. p. 81.

psere. enimvero idem Walchius e Sponio, Muratorio, Maffejo alios hujusmodi titulos quaerenti sufficiet, quos ille omnes erudite interpretatus est. hinc ego ad alia progrediar.

§· III·

DE INSCRIPTIONIBVS POCVLORVM

I· Pocula litterata si placeant, his non unius generis titulos convenire reperies. nam antiqua quidem pocula pateraeque et acclamationes habent et exhortationes et salutationes, tum nomina etiam tam hospitum amicorumque, quam eorum, qui dona his aut epulum darent, interdum et Principis, ad cujus item nomen in conviviis Graeco more bibebatur (1). neque haec profana catenus habita sunt, ut Christiani veteres singula repudiarint. quae Buonarrotus, quaeque Boldettus edidere Christianorum poculorum fragmenta satis declarant, majoribus illis nostris religioni non fuisse, si quos in his titulos offenderent, quibus convivae ad hilaritatem laetitiamque excitarentur. quamquam Christiani artifices, ut sacras singulis in poculis effigies, ita etiam religiosos et graves in plerisque titulos expresserunt.

Iamvero quidni eas acclamationes recte nunc inscribi arbitremur, quibus veteres et vitam diuturnam, et securitatem felicitatemque precari solebant? cujusmodi haec sunt, MVLTIS · ANNIS, VIVE · BEATVS, VITA · TIBI, FELICITER · QVOD · AGIS, FAVSTE · FELICITER · PROSPERE, et similia: atque haec quidem urbane et humaniter, si repotia, si natales celebrentur. sed si Αγαπη instruenda sit, conviviumque sacrorum sollemnium caussa apparandum; tituli, opinor, illi magis probentur, si qui eos inflectat, et quodam religionis nostrae veluti colore distinguat, hoc modo, VITA · TIBI · AETERNA · CAELESTIS, VIVE · PIVS, DEO · DVCE · FELICITER, FAVSTA · OMNIA · A · DEO et alia id genus.

Qui autem tituli exhortationem continent, eos quidem varios antiqui usurparunt, sed quibus fere ad bibendum invitarent: e quorum genere est Plautina vini invitatio (2) BIBE · SI · BIBIS, et quae e Graeco ducta, AVT · BIBAS · AVT · ABEAS (3) sive Η πιθι, η απιθι raro e morali philosophia sumpti placuerunt; qui nobis maxime probandi sunt, quos frugi magis et sobrios esse decet: quin tituli hujusmodi sacris quoque e litteris atque e Patrum sanctorum voluminibus jure aliquando petantur. ceterum latine eos et dilucide et breviter efferendos memineris, in hunc fere aut similem modum: PROPOSITI · TENAX · IN · ASTRA · VENIES, MALVM · CVPIDINEM · FVGIENDO · VICERIS, OPEM PETENTI · PROPITIVS · ADEST · DEVS, PATIENTIA · TIBI · NECESSARIA · EST, et alia hujus generis, quae tum maxime idonea et scite dicta putentur, si qua ratione ad effigiem argumentumque referri possint: quapropter artificum nostrorum acuenda ingenia erunt, ut quam Germani artem jamdiu revocarunt, ipsi elegantius tractent, titulis picturisque aureis vitro inclusis, quae cum antiquis certare videantur.

De salutationibus, quas veteres in poculis paterisque convivarum nominibus jungebant, nihil est, quod tradi debeat. notae illae sunt formulae *Ave*, *Salve*, *Vale*, et quae a Graecis sumpta est, *Gaudere et Bene Rem Gerere*. porro elegantiae erit, quot ad mensam convivae, totidem illis scyphi nominibus eorum et salutatione notati apponantur. at si qua etiam pocula dono dabuntur, ea hospitis quoque nomen habeant, quod veteres primo loco scribebant, ut initio item epistolarum, qui litteras mitteret, primus olim legebatur.

(1) Horat. l. 4. od. 5. v. 33. (2) Stich. 5. 4. 27. (3) Cic. Q. Tusc. l. 5. c. 41. n. 118.

Quod si convivium die natali Principis celebretur, recte pocula exponentur iis insignia titulis, quibus Principi acclametur: quam in rem formulas aliquot historia Augusta suppeditabit (1); unde hi sunt tituli in usum hunc nostrum parce detorti, PIETATI OPTIMI · PRINCIPIS · FELICITER, PIE · PONT · MAX · TV · PATER · ORBIS, AVGVSTE · FELIX · IMPERES, IOSEPHE · AVGVSTE · DEVS · TE · SERVET; alia hujusmodi facile quis invenerit.

II· Quod reliquum est, vasa id genus veteres in templis quoque, pateras potissimum, sive e gemma sive ex argento aurove, dedicare solebant, quibus sacerdotes sacris operantes uterentur. itaque in his Deorum aliquando nomina occurrunt: quin et cochlear argenteum in Museo Kircheriano saepe tractavi, in cujus manubrio haec est inscriptio (2):

IVNONI · LANVMVINAE · S · P · S · SVLP · QVIRIN·

hoc cum acerra dedicatum verisimile est, ut usui esset, quum thure sacrificarent: thus enim ad libationes, non in acerra incensum, sed ex acerra, ut nunc fit, depromptum, illi Ovidii versus declarant (3),

Nec quae de parva Dis pauper libat acerra
Thura minus, grandi quam data lance valent.

Ceterum inscriptionum hujus generis plana ratio est, quae ad sacras nempe revocantur, neque ab illis, nisi brevitate, differre solent.

§· IIII·

DE INSCRIPTIONIBVS TESSERARVM

I· Tesserarum olim ingens numerus et magna varietas fuit: nam nec paucae hodie exstant cujusque generis: ex his primae hoc nomine veniunt, quibus veteres ludebant, solis fere punctis distinctae: quibus et talos adnumerare licet, quorum alii aerei sunt ac plerumque sine ulla nota, alii eburnei et inscriptione aliquando notati, qualem Musei Kircheriani talus habet his verbis (4):

PETRONILLA
LVDE · FELIX
SALVO · CYRIACO
CVM · TVIS · OMNIBVS

tum aliae gladiatoriae fuerunt, aliae militares, atque aliae item hospitales, aliae frumentariae, et qua symbolis qua litteris singulae, ut libuit, insignitae, quae tamen nunc aut nusquam usurpantur, aut titulos vernacula lingua inscriptos habent et habere debent.

Fuere etiam theatrales atque Circenses, de quibus libro primo fusius actum est (5): et quae tabellariorum propriae, de quibus pariter aliquid ibidem commentatus sum (6). atque hae quidem et usu nunc quoque celebrantur, et Latino eaedem titulo haud indignae videri possint: nam cur in iis, quas viri principes ludorum caussa clientibus interdum amicisque dare solent, quo spectatum admittantur, cur, inquam, tituli inscribi non possint hujusmodi? MAENIANO · I · CENACVLO · X · aut OSTIO · II · GRADV · III · vel si ludi ex aedium fenestris spectandi sint, DIAETA · I · CVBICVLO · IIII · tum in ea bulla, quam tabellarii nostri ante pectus gestare solent, quidni inscribatur exempli caussa, VSLENGVS

(1) v. Gallic. in Av. Cass. c. 13. et Casaub. ibid.
(2) Maff. M. V. p. 262. n. 3.
(3) de Pont. l. 4. el. 8. v. 39.
(4) Maff. M. V. p. 256. n. 9.
(5) v. inscr. 459. 460.
(6) v. inscr. 461.

ROMA · TABELLARIVS · DE · STATIONE · PRINCIPIS, infraque ipsum decretum, quo viam inire sit jussus, id est DISCEDE?

II. Iam et tesseris velim adnumeres titulos eos, qui discriminis cujuscumque caussa, et quo quisque nosci certo posset, ita olim in usu aliquando fuerunt, ut nunc quoque esse possint. Spartanis militibus, scripsit e Trogo Iustinus, quum contra Messenios iterum pugnaturi essent, tantum ardorem a Tyrtaeo duce, carminibus suis in concione recitatis, injectum esse (1), *ut non de salute sed de sepultura soliciti, Tesseras insculptis suis et patrum nominibus dextro brachio deligarent; ut si omnes adversum praelium consumpsisset, et temporis spatio confusa corporum lineamenta essent, ex indicio titulorum tradi sepulturae possent*. alia de caussa, sed tamen ut bene nosci possent, venales Romae servi tesseram quisque suam habebant. nam *in edicto aedilium curulium, qua parte,* inquit Gellius (2), *de mancipiis vendundis cautum est, scriptum sic fuit:* TITVLVS · SERVORVM · SINGVLORVM · VTEI · SCRIPTVS SIET · COERATO · ITA · VTI · INTELLIGI · RECTE · POSSIT · QVID · MORBI VITIIVE · QVOIQ · SIT · QVIS · FVGITIVVS · ERROVE · SIT · NOXAVE · SOLVTVS · NON · SIT

Enimvero postquam Constantinus damnatos in ludum aut in metallum deformari stigmatum notis vetuit (3), ex eo tempore servis, opinor, qui semel cessassent, non jam inusta fronti nota, sed collaria imponi coepta, lamina his adnexa litterata, quae fugacem servum notaret: cujusmodi in Museis nunc quaedam exstant. exemplum titulorum hujus generis ex Fabretto subjiciam (4):

IANVARIVS · DIC
OR · SERVVS · SVM · DEX
TRI · EXCEPTORIS · SENA
TVS · QVI · MANET · IN · RE
GIONE · QVINTA · IN · A
REA · MACARI

porro titulos nunc similes in canum collaribus quidam inscribunt, qualem legi apud Ferrarium (5):

MILLVM · ARGENTEVM
LISAE · CATELLAE
CLVSI · MEIS · MANIBVS
LVCILLA

atque id ipsum antiquis placuisse constat: nam cervae meminit Pausanias (6), quam Arcesilaus viderat Lycosurae Deae Dominae sacram cum torque, in quo versus hic erat incisus:

Νεβρος εων ἑαλων, ὁτ' ες Ιλιον ην Αγαπηνωρ

et Latinae etiam quaedam exstant lamellae, quas collo applicitas armillati canes hortorum custodes gestarunt, quarum titulos duos affert Maffejus (7), his verbis, menda quaedam excipe, quae tollenda putavi.

(1) lib. 3. c. 5.
(2) N. A. l. 4. c. 2.
(3) Cod. Theod. lib. 9. tit. 40. leg. 2.
(4) p. 522. n. 364.
(5) Inscr. p. 202. n. 419.
(6) lib. 8. c. 10. *hinnulcus quum essem, captus sum quando ad Ilium erat Agapenor*.
(7) M. V. p. 311. n. 1. v. Reines. cl. 1. n. 59.

CLODI HERMOGE NIANI·V·C· EX · PRAE FECTO· VR BI·DE·HOR TO·IPSIVS SVM	DE · HORTO OLIBRI·V·C· SVM · PRAE FECTI·PRAE TORI · NOLI ME·TENERE NON · TIBI EXPEDIT

ceterum et in cursorum bullis, quas in pileis nunc habere solent, tesserae instar, inscriptio incidi possit. Ferrarii est, quam subdam, in qua tamen heri nomen desideres (1).

NVMIDAM · CAPTVM
EMI · AVREIS · QVINQVAGINTA
PROBVM · MANVMISI
CVRRACEM
FECI · ANTECVRSOREM · MEVM

alias item tesseras, quae gladiatorias imitentur, recte induxeris, ut si servum domo sponte et famulatu abire sinas, de quo nihil sis questus, tessera huic dari potest anulo obsignata herili cum titulo hujusmodi,

FVSCO · SINE · NOXA
COMMEATVS
PETENTI · DATVS · EST
KAL · OCT ·
AN · MDCCLXXVIII ·

Sed jam de his satis: nemo enim non videt, quid potissimum in hoc titulorum genere spectandum sit: qui si breves atque perspicui sint, tum Latino quodam lepore et concinnitate delectare possint; nihil jam illis desit, quominus sciti et probabiles habeantur.

§. V.

DE INSCRIPTIONIBVS LVCERNARVM VASORVMQVE FICTILIVM

I. Suas olim inscriptiones lucernis etiam, quaecumque e materia essent, suas vasis quoque fictilibus omnis generis saepe fuisse, ne mirere. non Latini quidem veteres natura loquaciores, quam nos, erant; sed elegantiae ac munditiarum multo studiosiores; ut quae cuique rei ornamento esse, speciemque afferre aliquam possent, ea temere non negligerent. itaque quum et in opusculis hujusmodi, quod affabre plerumque facta essent, non sine tractantium voluptate tituli legi possent, qui vel usum eorum ostenderent, vel artificis nomen et officinam indicarent; idcirco ne haec quidem sine litteris esse passi sunt, et alterutrum aut etiam utrumque signari curaverunt.

Porro fictilium lucernarum usum tituli declarant illi, qui Principis imagini aut clypeis coronisve adjecti, honores ejus vel facta referunt: accensas enim illas facile intelligimus, quum ejusdem natalis dies aut victoria aut adventus celebraretur (2). atque

(1) Inscr. p. 202. n. 418. (2) v. inscr. 462. 463.

his quidem titulis non absimiles inscriptiones condi nunc possunt, quas figuli nostri iis addant lucernis, quae Romae passim statis temporibus sub noctem accenduntur, quum scilicet patronorum caelestium natales sunt, aut in Principis honorem anniversarius suscepti pontificatus dies celebratur: eae nimirum vel hoc vel simili modo confici possint, NATALI · CVSTODVM · VRBIS · LAETITIA · P · R ·, SOLLEMNIA · DEFENSORIBVS · QVIRITIVM; ipsae enim Petri et Paulli effigies nominum loco erunt: tum aliae hoc pacto, ANNO · V · PRINCIPATVS · PII · SEXTI · P · M · HILARITAS · P · R ·, SACRIS · QVINTO · INSTAVRATIS · PRO · INCOLVMITATE PII · SEXTI · PONT · MAX · et si quando aliis de caussis feriata urbs nocturnis lucebit ignibus, commode figulus eas etiam aptis titulis designaverit, quos posteri quum legent, fictilibus quoque nostris pretium aliquando facient.

II· Iam nec argenteos auratosque lychnos, qui maxime in templis ardere solent, sine inscriptione suspendi aequum est: praesertim si donaria sint, aut voti caussa dicata esse constet: ceterum vix aliae his inscriptiones, quam sacrae conveniunt; quibus tantum recte addas, quot argenti pondo singulis operibus impensa sit facta. si autem lychnus, ut fit, ex veteri votivo argento conflatus fuerit, formulas huic rei designandae in libri primi inscriptione tricesima sexta reperies. sed tamen hosce lychnorum titulos paucis admodum verbis a veteribus confectos esse videmus (1), eorum etiam, qui dedicassent, nominibus fere neglectis: quae nunc quoque omitti possint, siquidem aut domi lychnus suspendi debeat, aut in aedicula monumentoque gentili, in reliquis non item; multi certe ea desiderari aegre ferent.

III· Ceterae figlinorum operum inscriptiones sive lucernis additae sive urceis amphorisque omnis generis, vix aliud sunt, quam ipsum figuli nomen patrio casu, aut si recto, cum littera F. nempe *Fecit*, sive etiam officinae et fundi appellatio, unde doliare opus prodierit. verum in vinariis maxime amphoris titulos praeterea suos Domini inscribebant (2): de quibus lepide apud Plautum Synceratus servus (3):

Ibi tu videas litteratas fictiles epistolas,
Pice signatas, nomina insunt cubitum longis litteris:
Ita vinariorum habemus nostrae delectum domus.

atque alii quidem tituli tum addebantur, quum primo vinum in amphoras infunderetur: quo pertinent illa Horatii verba, *O nata mecum consule Manlio*, et *Tu vina Torquato move Consule pressa meo* (4), atque alia hujusmodi: quippe consulibus notatis tempus indicabant, quo vinum conditum esset. alios contra in pittaciis Dominus inscribebat, quum vinum e cella in mensam inferebatur, de quibus meminit Petronius (5): inde ut discerent convivae, quantis lautitiis excepti essent.

Nunc vino quod sit nomen, atque unde lagenae ad nos quaelibet perlatae fuerint, haustu ipso sentire conviva debet, ac nihil haesitans pronunciare, quod nobilis videlicet potoris laus est non exigua. ita fit, ut pittacia haec nostra nobis relinquantur, quae iis demum cenis proferamus, quas eruditis viris ad Apiciana praescripta quis praebeat.

§· VI·

DE INSCRIPTIONIBVS ARMORVM ET INSTRVMENTI BELLICI

I· Quia hostium spolia, ut nunc fit, veteres etiam in templis aliquando dedicare solebant; idcirco in armis quoque et instrumento bellico inscriptiones sacras incisas es-

(1) v. inscr. 464. 465.
(2) v. inscr. 467.
(3) Poen. 4. 2. 14.
(4) l. 3. od. 21. et Epod. 13.
(5) v. inscr. 465.

se videmus. de his tamen nihil aliud hoc loco tradendum est, quam ut eas simplici plane dictione perscribamus. ejusmodi enim exempla esse reperias, quotquot antiquitus scripta sint: ceterum ab iis non discrepant, quas prioris libri capite primo jam protulimus. porro et caussa plerumque est, cur tituli hi breves fiant; non modo quod longae inscriptioni in ipso aere aut ferro locus esse non solet, sed etiam quod fere spoliorum hujusmodi dedicatio separatim historica eaque insigni inscriptione demonstretur: quo sane pertinet ille Laterani templi nobilis titulus:

PIVS · V · PONT · MAX ·
SIGNA · DE · CAROLI · IX · CHRISTIANISS · GALLIAE · REGIS
PERDVELLIBVS · IISDEMQVE · ECCLESIAE · HOSTIBVS
A · SFORTIA · COMITE · SANCTAE · FLORAE
PONTIFICII · AVXILIARII
EXERCITVS · DVCE · CAPTA · RELATAQVE
IN · PRINCIPE · ECCLESIARVM · BASILICA · SVSPENDIT
ET · OMNIPOTENTI · DEO
TANTAE · VICTORIAE · AVCTORI · DICAVIT
ANNO · MDLXX ·

II. Reliquae inscriptiones, quae rectius privarum rerum vocari possint, vel in armis insculptae erant, quae milites in acie tractabant, vel in signis, quae iidem in pugna sequebantur. ac quae in armis legerentur, maxime in clypeis, eae militis nomen singulae referebant et cohortis et centuriae, in qua quisque stipendia mereret: qua de re libro primo ad Pontii Silvani titulum actum est (1). neque vero plura a me dici opus est, si quis antiquum morem revocare nunc velit. quod si domi arma, quae majorum fuerint, tamquam bellicae virtutis monumenta servas, in his eorum nomina patrio casu gradibus quoque militaribus adjectis, apposite ad memoriam posterorum incidenda curaveris: plura si addideris, minus id opportune fecisse videaris.

At in signis militaribus quum signiferi cujusque nomen insculpi potest, tum et sententia aliqua ex militaris disciplinae scitis praeceptisque desumpta: quales nimirum e Livio maxime petere liceat, qui plures in concionibus militaribus usurpavit. ejusmodi, opinor, has esse duxeris MILES · PRO · VIRTVTE · SPES · GERITO (2), QVO · TIMORIS · MINVS · EO · PERICVLI · MINVS · EST (3), AVDENDO · AGENDOQVE RES · ROMANA · CREVIT (4), FERRO · VIA · FIT · PER · QVAMVIS · CONFERTOS HOSTES (5) et sexcentas hujusmodi: quas quidam in aereis quoque tormentis inscribi voluerunt; esto, ornamento hae magis, quam incitamento esse possent. huc pertinent ii quoque tituli, quos in funditorum glandibus veteres inscripsere: quarum quaedam in Piceno ad Truentum olim inventae hisce insignes litteris, FVGITIVI · PERISTIS (6), ITAL · (7), GAL (8) · primae autem titulus hostium, ut vides, ignaviam notabat, ceteri indicabant, cujus brachio ictus illatus esset.

Enimvero nec vexilla nec enses, quum viris fortibus praemii caussa a Principe dantur, titulo carere debent: quibus, ut reor, inscriptiones id genus conveniant maxime: LVCIO · ASPRO · CENTVRIONI · OB · MERITA, FLAVIO · MARCELLO · STIP · X · VIRTVTIS · ET · HONORIS · ERGO, AVRELIO · LOLLIANO · OB · CIVEM · SERVATVM, similesque his aliae, quibus praeclarum militis factum significetur, si quis, exempli caussa, primus praesidio dejecto tumulum ceperit, aut in vallum hostium irruperit, aut in oppugnatione oppidi murum

(1) insc. 474.
(2) Liv. l. 10. c. 11. n. 17.
(3) id. l. 22. c. 4. n. 5.
(4) id. l. eod. c. 10. n. 14.
(5) id. l. eod. c. 27. n. 50.
(6) Grut. p. 1158. n. 4.
(7) id. ibid. n. 5.
(8) id. ibid. n. 6 v. Lips. Polior. l. 4. Dial. 3. in fin.

ascenderit. nam quod exempla veterum praesto non sunt, non ideo hae a veterum stilo aut consuetudine alienae videri debent; nec militaria olim dona, hastas, phaleras, vexilla sine inscriptione fuisse verisimile est: quorum etiam anuli quidam alicubi et fibulae et bullae nominibus notatae militum reperiuntur. ceterum tota res in integro est: ea quisque sequatur, quae probat, iis abstineat, quae improbat. scrinia enim nostra haud magni sane usus, iis tantum in promptu esse volumus, qui uti velint.

§· VII·

DE INSCRIPTIONIBVS LATERVM ET TEGVLARVM

I· Nihil in urbe, quum antiqua rudera egeruntur, apparere saepius solet, quam lateres tegulaeque litteratae. in his scilicet officinae et praedia leguntur, unde figlina opera prodierint, in his figulorum dominorumque nomina; tum quaedam interdum salutationes atque acclamationes, saepissime vero consules. atque hanc laterum tegularumque signandarum consuetudinem perdiu servatam esse reperies: quippe inscriptiones hujusmodi haud levi utilitati fastorum consularium restitutoribus saepe fuerunt. sed lapsis demum imperii rebus, quum litterae etiam coli desiissent, notae quoque illae omnes negligi coeptae: ereptumque nobis, unde officinarum veterum dominos et priscorum aedificiorum aetatem agnosceremus. sic plura abiere saecula, donec (1) Martini quinti atque etiam Alexandri sexti Pontificum Maximorum aevo exstitere, qui aliqua vetustatis imitatione figlinarum signa iterum inducerent: nam, ut Fabrettus animadvertit (2), tegulae omnes, quibus Romae templum Balbinae Martyris integitur, et Borgiae gentis insigne et Alexandri ipsius nomen impressum habent. quid tamen? magni, opinor, laboris id visum figulis est, brevique factum; ut plus operarum inertia, quam dominorum diligentia valeret. ita certe jamdudum aedificamus, ut in lateritiis operibus nullum nominis vestigium, nulla temporis nota posteritati relinquatur.

Id vero est, quod jam ferri nullo modo debet: stultum enim jure videtur, quod et decorum et utile sit, id sine caussa negligi, quum nullo negotio fieri possit. quantus enim quaeso in uno alterove sigillo dominis sumptus, quanta figulo temporis jactura in obsignando esse potest? at non exiguus contra hisce ex titulis vel honor nobis vel usus posteris erit, quum hi aevi nostri opera agnoscent, et majorum suorum monumenta vel in figlinis invenient. quapropter neque hanc profecto memoriae nostrae curam abjicere, neque hoc posteris subsidium invidere debemus, quo illi temporum nostrorum historiam quammultis singularum aetatum monumentis ornare possint.

II· Quae quum ita sint, age nunc, videamus, quinam laterum tegularumque tituli aetate nostra probandi sint. primum quidem maxime refert, ut tempus in his designemus, quo ex officina prodierunt: nec tamen opus est, ut annus Dionysianae supputationis expresse inscribatur: satis erit aetatem Principis nomine indicasse, hoc pacto: PIO · VI · PONT · MAX · vel IMP · CAES · IOSEPHO · II · AVG · aut si tempus accuratius significare volueris, inscribes: AN · V · D · N · PII · VI · P · M ·, vel IMP · CAE · IOS · II · AVG · N · AN · XI · hisce indiciis non minus dilucide, quam olim consulibus notatis annum quemlibet designaveris. quamquam veteres etiam non raro unius Principis nomine contenti fuerunt: quod jam libro superiore adnotavi (3):

(1) later. in Mus. Zelad. (2) p. 499. n. 3. (3) Fabr. p. 502. n. 78. 79. 80.

IMP · CAE · TR . O · AVG ·
EX · FIGLI · MARC · DOLI ·
C · CAL · FAVORIS

id est *Imperatore Caesare Trajano Optimo Augusto ex Figlinis Marcianis Doliare C. Calpetani Favoris*. quin et Augusta uxore notata, ut consules, sic Imperatorem omiserunt (1):

M · VALERI · PRISC · EX · PRAEDI ·
PLOTINAE · AVG ·

illud tamen vix imitandum, quum nec Principem nec ullum e domo Augusta nomine appellant (2):

OP · DOLI · EX · PR · DOMINI · N · AVG ·
EX · FIGLINIS · FAVRIANIS

quid enim inde posteri discant, quum eos nomen celaveris?

Figuli autem aut officinae fundive domini saepe in titulo primum sibi vindicant locum, rarius extremum: qui et initio utuntur illo OPVS · DOLIARE, vel EX · PRAED · vel EX · FIGL · vel EX · OFFIC · interdum vero non aliud quam nomen inscripsere, et si quid genus suum posset ostendere (3):

PRISCI · GAVIAE · AEMYLIAE
ABNEP ·

qui forsitan Priscus in saecula se iturum putabat, nec ignoraturos posteros esse, quantus ipse fuisset.

At nos, si libet, et figulum et officinae aut praedii dominum et tempus ipsum diserte efferemus, hoc aut simili modo:

OP · D · CVRTI · MARCIANI
EX · PRAED · LATERAN ·
PIO · VI · P · M ·

EX · OFFIC · VATICAN · D · N · PII · VI · P · M ·
OP · FIGL · A · PRISCO · VITALI

PIO · VI · P · M ·
EX · FIGL · TRANSTIBER ·
DOL · PVTEANI

si vero lateres figulus maxima finxerit forma, tum eos peculiari nomine appellare poterit, inscribetque veteri more

BIPEDA · FAVSTI · EX · OFFIC · PLAVTIAN ·
AN · V · PII · VI · P · M ·

nec omina semper aut acclamationes repudiaverit, dum ne longa aut obscura sint. haec et antiquis placuere, nec fortasse posteris ingrata erunt. hisce autem aut similibus formulis uti poteris:

OP · FIGL · MARCI · TORELLI
PIO · VI · PONT · MAX ·
MVLTOS · ANNOS

EX · FIGL · AVRELIANIS
AN · V · PII · VI · D · N ·
VALEAT · QVI · FECIT

IMP · CAES · IOS · II · AVG ·
DOL · FAVNI
SERIS · NEPOTIBVS

(1) Fabr. p. 519. n. 286. (2) id. p. 515. n. 214. (3) id. p. 519. n. 303.

nec jam plura de his: operam enim cum figulis perdimus, qui lucelli spe, non elegantiae fama ducuntur. utinam non hanc et domini ipsi susque deque ferant!

III· Atque haec sunt, quae hactenus de titulis rerum privarum mihi perstringenda esse putavi. singula enim opuscula attingere litterata, deque singulis aliquid meo more effari, non modo longum nimis atque molestum, sed etiam inutile prorsus ac leve esse videbatur. quid enim fere habent aliud quam auctorum dominorumve nomina? nisi forte excipiendi sunt plumbei quidam aquarum ductus, in quibus et curatores leguntur et mensura item fistularum hoc modo (1):

IMP · CAES · TRAIAN · HADRIANI · AVG·
SVB · CVRA · RESTITVTI · AVG · LIB · PROC· VX

id est *Quinumdenûm* sive quadrantium digiti quindecim, qui sunt digiti tres et dodrans, uti legendum plane esse, jam ex Frontino (2) egregie ostendit Marinius. adde, si libet, quosdam etiam ipsorum ductuum lapides, qui identidem aquarum nomina referebant, et ejus, qui aquas deduxerat, tum aliquando numeros quosdam, quibus Fabrettus (3) jugera et pedes significari censet, quot ipsi ductus aquarum in longitudinem protenderentur.

(4)

IVL · TEP · MAR·
IMP · CAESAR
DIVI · F·
AVGVSTVS
EX · S · C·
XXX·
P · CCXL·

(5)

AQVAE · MARCIAE · CERVLEAE
CVRTIAE · ALBVDINEAE
IMP · CAES · TI · CLAVDIVS · AVG·
PONT · MAX·

Sed hujusmodi inscriptiones publicis prope rectius adnumeres. alii porro privatorum tituli etiam inepti videri possint, ut qui a Petronio (6) affertur CAVE · CAVE CANEM, quem ille ad Trimalcionis januam legit quadrata littera in pariete scriptum, in quo canis ingens catena vinctus pictus erat. alios etiam, etsi rerum privarum esse videntur, minime tamen ad nos pertinere dixeris, qui de insculptis fere litteris ac de minutis tantum opusculis agamus. isto nempe in numero esse censeo librorum titulos; quorum quidem varietatem prope incredibilem, miramque apud Graecos maxime felicitatem si quis nosse voluerit, multa ei apud Plinium (7) atque Gellium (8) in promptu erunt, quapropter hoc nobis facile, opinor, tribuetur, ut ad extremum jam partitionis secundae caput, nomine hoc et cura exsoluti, veniamus.

(1) Marin. lett. al Garaton. Giorn. di Pisa t. 6. p. 54.
(2) de Aq. art. 45. v. inscr. 107.
(3) de Aquis diss. 2. n. 216.
(4) Don. Cl. 2. n. 91.
(5) id. ib. n. 110.
(6) in Satyr. c. 29.
(7) H. N. praefat.
(8) N. A. in praefat.

CAPVT IIII.

De inscriptionibus poëticis

§. I.

DE RATIONE GENERIS VNIVERSA

I. Quoniam veteres in conficiendis inscriptionibus ita proprium earum stilum, communemque singulis dictionem sequuti sunt, ut versus tamen aliquando inducerent probarentque; idcirco non adeo nos bellum poësi indicemus, ut nusquam carmini locum esse patiamur. sed illud potius curae erit, ut quae res, qui locus versibus ornari velit, his tantum poëticam inscriptionem aptemus. id certe non sine compendio futurum est. multum enim huic litterarum generi et commodi accedet et varietatis. nimirum quae exilia sunt et minuta, versibus ea melius ornari, quam ulla alia ratione possunt. tum etiam difficile est, ubi unius argumenti non unus est titulus pangendus, res prope easdem iterum ac tertio, non mutata stili dictione, apte distinguere: quae si versibus exponendae sint, non modo laborem minui sentias, sed etiam augeri venustatem. unde etiam fiet, ut novorum monumentorum tituli qua splendore ac dignitate percellant, qua lepore ac suavitate delectent.

Atque eo etiam magis poëticarum nobis inscriptionum genus excolendum est, quod veterum exemplorum cultum saepe vix mediocrem numero fere et scriptionis elegantia superaturi esse videamur. mihi enim argumento sunt proavorum nostrorum parentes, quorum studiis ac litteris Augusti aetas reddita putabatur: quaedam eorum epigrammata, marmoreis olim in tabulis incisa, tanto affluere lepore visa sunt, ut ea deinde docti viri pro vetustissimis studiose descripserint (1). verum quis ex iis, qui nunc florent, poëmatum Latinorum scriptoribus, non multos numeret, qui certare cum illis possint? aut non hos putet rectissimis studiis contendere, ut veterum poëtarum principes aemulentur? a quibus nimirum longe aberant plerumque poëtae illi, qui sua nobis carmina lapidibus olim inscripta reliquerunt (2). accedit nunc Graecorum poëtarum non modo lectio, quae majoribus etiam familiaris fuit, sed Latina etiam translatio, eaque accurata atque elegans: qua in re non unus apud nos excelluit, multoque plura perfecit, quam alii quondam attingere ausi sint. itaque quod abhinc annis ducentis majores nostri assequuti hoc sint, ut quos ipsi versus scripsissent, non modo boni, sed etiam antiqui aliquando haberentur; primum ne hoc quidem poëtae nostri adeo mirum magnumque putabunt, ut non idem ipsi, si velint efficere, et posteritati facile imponere possint: tum quod longe praestat, eam nobis inscriptionum condendarum rationem ostendent, quam qui sequuti fuerint, haud parum ad summorum poëtarum elegantiam accessisse videantur.

II. Enimvero inscriptiones, quae communi stilo confectae sint, si elegantia careant, facilius quis ferat, quam poëticas: credo, quod versibus usi, hoc jam profiteri videmur, lucem nos argumento afferre, et poëtarum luminibus distinguere voluisse, ne quid indictum aut inornatum relinqueretur. quare summo studio enitendum est, ut hu-

(1) v. Maff. Ver. Illustr. p. 2. l. 4. p. 207. et Art. Cr. Lap. p. 187.

(2) v. l. 1. part. 2. c. 4. in praef.

jusmodi inscriptiones non poëticis solum numeris, sed verbis etiam et sententiis et ornatu omni insignes fiant. quod quidem non magno negotio assequeris, si te ad Graecós saepe contuleris, quorum illa est ανθολογια egregiorum epigrammatum quasi florum omnium infinita varietas. quamquam hinc te, quo major utilitatis sit fructus, electissimis quibusque exemplis, quae jam latine reddita sunt, libro tertio large satis liberaliterque donabo.

At nolim, ex animo excidant, quae superius de poëtarum quorundam licentia questus sum (1): ne, quum vetera ejusmodi exempla ob oculos habueris, nihil jam ex iis, quae olim usurpata sint, ad poëticas nunc inscriptiones minus aptum parumve appositum esse putes. equidem non omnia rejicienda nunc vocabula dixerim, quibus veteres aliquando non sine superstitionis significatione usos intelligas: nae ego nimium multa scriptori eriperem Christiano, eaque sine caussa: nam si alio etiam sensu ea ipsa usurpata interdum videmus, et quo nos quoque uti deceat, non est sane metuendum, ne perverse potius, quam recte uti videamur. cujusmodi illa sunt, *Musae* pro humanitate et doctrina (2), *Veneres, Charites, Gratiae* pro venustate, elegantia, lepore (3), *Augurari* pro Existimare aut Praedicere (4), *Auspicari* pro Incipere, Aggredi (5), et quae his similia. multo etiam minus repudianda ea putem, quae media appellari possint, quibus vel antiquitus eodem tempore aliud Paganus, aliud Christianus designabat, suam quisque religionem sequutus, ut *Sacrificare, Facere, Sacris operari, Litare, Perlitare, Expiare, Lustrare, Consecrare, Dedicare*. nullum enim in ipsis vocabulis vitium, nulla pravitas est. at non ita in iis, quae ad veterum fabulas et sententias pertinent, quibus alio sensu nemo uti possit: quare non multum sapere eos semper arbitratus sum, qui nullum in poëticis religionis doctrinaeque discrimen requirendum esse censuerunt: perinde quasi poëtae omnes nulla unquam religione obstricti, veterem superstitionem jure quodam suo retinere tuerique possint: qui sane externa et profana componere Christianis alia etiam de caussa non debent, ne scilicet parum sibi constantes pugnantia loqui, et disjuncta tamen conjungere videantur. nam si vitium esse ait Quintilianus (6), si quis sublimia humilibus, vetera novis, poëtica vulgaribus misceat; quanto illud magis, quum illi ea, quae religio nostra detestatur, cum iis sociaverint, quae sanctissima habeantur?

II. Metro autem veteres inscriptionum caussa usi sunt vario: nam et hexametri occurrunt versus et elegiaci et hendecasyllabi et senarii. e quibus tamen hexametros elogiis atque etiam historicis inscriptionibus aptissimos duxerim: Plato in epitaphiis quoque probabat, sed quatuor tantum esse volebat: *Nec imponi,* ut est apud Tullium, *quam quod capiat laudem mortui, incisam ne plus quatuor herois versibus, quos longos appellat Ennius* (7). ceterum Latinis inscriptiones modo longae, modo breves placuerunt: itaque quum argumentum, tum locus ipse, quo inscriptio poni debeat, carminis mensuram dabit, Graecos uno etiam aut altero versu contentos fuisse reperias, eos praesertim, qui Athenis florentibus exstiterunt: qui etiam, si verbum aliquod redundaret, quod versus alterius initium esset, nihil aliud aliquando addiderunt. id certe adnotavit Pausanias (8), in area Cypseli sub Tyndaridis inscriptionem fuisse hexametro versu et principio secundi:

Τυνδαριδα Ελεναν φερετον, Αιθραν δ' Αθεναθεν,
Ελκετον.

initia versuum hujusmodi habet Virgilius, sed quos absoluturus erat, si vita suppedi-

(1) part. 1. c. 4. n. 1.
(2) Cic. Tusc. l. 5. c. 23. n. 66. etc.
(3) Senec. l. 2. de benef. c. 28. etc.
(4) Cic. Tusc. l. 1. c. 49. n. 96. etc.
(5) Plin. H. N. l. 7. in prooem. etc.
(6) Inst. l. 8. c. 3.
(7) l. 2. de leg. c. 17. n. 68.
(8) lib. 5. c. 19. *Tyndaridae Helenam asportant atque Aethram Athenis abripiunt.*

tasset. primus vero hoc ausus videatur, qui Latinos versus lapidi inscribat non integros.

Quod reliquum est, multa poëticarum inscriptionum exempla videris, quarum versus pluribus inscripti lineis legantur, quam numerus ipsorum sit: sive id auctorum praescripto, sive lapicidarum arbitrio factum arbitreris. at non quae antiqua, eadem et optima omnia: id quidem tibi tum denique imitandum est, quum spatii angustiis exclusus, integros oblonga in tabula inscribere versus non possis: cetera lineam singulis suam tribuere poëtarum legibus jubemur. sunt etiam, quod mirere, epigrammata quaedam satis antiqua, quae quum alternis pentametris, ut fit, constent, ultimo tamen loco hexametrum (1) aut etiam geminum pentametrum habent, aliquando et plures (2). sed haec quoque iis veterum exemplis adnumeres, quae ab indoctis profecta, non eandem, quam cetera, auctoritatem obtinent.

§. II.

DE EPITAPHIIS

I. Quamquam epitaphiorum, quae versibus constant, ratio fere et structura paullo liberior fuit; vix ea tamen in his omissa reperias, quae in ceteris legi solent. nam et defuncti nomen praeit, muneribus, quae obierit, indicio aliquo prolatis, et vita recte sancteque acta exponitur: saepe etiam caussa mortis significatur, et auctores monumenti indicantur, et consanguinitatis ac necessitudinis appellationes subjiciuntur. reliqua vero ex poësi desumpta sunt, quibus plerumque virtus aut forma celebratur, vel domesticus luctus aut amicorum dolor describitur: ipse etiam defunctus interdum de virtute disputans, et moralia praecepta posteris tradens inducitur, aut quies illi aeterna et terra levis optatur.

Quidam porro omnia haec versibus concluserunt: contra plerique formulas epitaphiorum communes et initio et ad calcem nullis adstrictas numeris usurparunt; cujusmodi est exemplum, quod subscribam (3):

D · M · S ·
SVM · CASTAE · CINERVM · LAPIS · PVELLAE
CVSTOS · ME · RELEGENS · PIVS · VIATOR
HVIVS · COGNITA · SI · TIBI · FVISSET
VIRTVS · LACRYMVLIS · TVIS · RIGARES
EVODIAE · CYPARAE · ANN · VI ·

infra titulum scriptos fuisse, qui sepulcrum fecissent, non est, cur ambigas; praesertim quum cippus propter viam, non in hypogaeo familiari stetisse videatur: at illi fortasse non eodem, sed supposito in lapide legebantur: ob eamque rem factum est, ut everso monumento distractisque lapidibus, epitaphii particula perierit.

Iam et initia hujusmodi et similes epitaphiorum conclusiones ad latera etiam legas, in ipsa fronte versus (4). alias, quod frequens est, tota inscriptio communi stilo confecta: tum subjectum epigramma, post hoc clausula aliqua e communibus (5):

(1) Murat. p. 621. n. 1. Fabr. p. 80. n. 96.
(2) Grut. p. 939. n. 1.
(3) Fabr. p. 64. n. 2.
(4) v. inscr. 488.
(5) Grut. p. 535. n. 2.

D. M.
Q. CAETRONIVS
Q · F · PVB ·
PASSER
MIL · COH · IIII · PR · ANNIS · XVIII ·
MISSVS · DVOBVS · GEMINIS
COS · (1)
SIBI · ET
MASVRIAE · M · F · MARCELLAE
VIXI · QVOD · VOLVI · SEMPER · BENE
PAVPER · HONESTE · FRAVDAVI
NVLLVM · QVOD · IVVAT · OSSA · MEA
IN · F · P · XIS · IN · AGR · P · XIIS ·

In ipsis autem versibus διαλογισμὸν aliquando invenies, ut in Atimeti liberti sarcophago, qui nunc in Capitolio est (2): in quo Homonoeam uxorem vir primum adloquitur, tum ipsa virum: rursum eadem cum viatore garrit; eique demum viator terram levem precatur. nec similia alibi exempla desideres quae multis saepe contexta versibus, tres quatuorve tabulas implent. ceterum sine mendis perpauca reperias; esto, multa in his scite dicta, multa numerose ornateque prolata laudentur. quare si qui in his se exercere velint, epitaphiorum cognita forma, et lapidariis aliquot exemplis delibatis, ad veteres poëtas ut hi se conferant, auctor sim.

II. Quaeres fortasse, quibus maxime in monumentis poëtica epitaphia inscribenda sint? neque enim omnibus indiscriminatim convenire videntur. in sepulcris equidem, quae publice constituta essent, non legi: perraro in communibus apparent: neque his virorum fortium, aut qui senes obierint, ornata saepius monumenta videas. qui haec igitur feminis maxime puerisque tamquam propria adsignet, non ille contra veterum consuetudinem sensisse videatur: quamquam illis poëtas etiam adjungi par est, ut inde laudem ipsi habeant, unde alios antea celebrarint.

Porro in feminarum puerorumque epitaphiis, quae fere paullo longiora expetuntur, multa percommode ad virorum aut parentum voluntatem includes versibus, quae communi stilo efferri non possint. id ego, haec ipsa quum scriberem, expertus sum: quippe exstincta nuper puella, cui epitaphium is petebat, qui virgunculam officiose instituerat, elegantis ingenii vir Ioannes Senettus, egregiam plane indolem virtutemque ejus senariis versibus extollere expeditissimum mihi fuit: quod alia contra ratione succedere ex sententia vix posse intelligebam: res plane varias ac nimis multas parentum gratia jussus attingere, quo Viri clarissimi et Matronae lectissimae moeror, si fieri posset, aliqua ex parte minueretur.

(1) Cos. an. Varr. 782

(2) Grut. p. 607. n. 4. Fabr. p. 235. n. 623.

MARTHA · HENR · F · SVVINBVRNE
NAT · BRITANN · D · CAPHEATON · NORTHVMBR ·
AVITIS · NOMINIBVS · GENEROSA
HIC · SITA · SVM
PEREGRE · RAPTA · PARENTIBVS · INFELICISS ·
ANNOR · X ·

EXTREMVM · HINC · GNATA · SI · FAS · PARENTES · ADLOQVAE
LABORVM · SCILICET · ET · VITAE · METAM · INTEGRAE
EMENSO · DECIES · QVAE · STADIO · VICTRIX · TETIGI
HANC · AEQVVS · DEDERAT · CVNCTA · QVI · REGIT · DEVS
ET · IVVAT · TETIGISSE · DEMPTA · QVAE · MODO · EST · MIHI
PARS · VITAE · HANC · ANNIS · ILLE · VESTRIS · ADDIDIT
PER · INNOCENTIS · ACTA · AETATIS · TEMPORA
ET NVLLO · LAESAM · VERBO · PIETATEM · PRECOR
SIT · CARAE · PVDOR · DESIDERIO · PVELLVLAE
MODVMQVE · MOLLIBVS · QVERELIS · PONITE
NEFAS · MISELLAM · ME · VOCARI · LVCIDAS
QVAE · SEDES · HABITO · POLIQVE · SVPRA · SIDERA
CHORIS · BEATA · MISCEOR · CAELESTIVM
NEC · ME · SI · TERRIS · ACTA · VIX · PVERTIA
MVTARE · CAELVM · CVPIDI · IVSSERVNT · SVPERI
VITAE · MI · CVRSVM · DIXERIT · DATVM · BREVEM
QVI · NOSTRAE · CVRAS · NOVERIT · SOLLERTIAE
VT · VNA · LONGVM · TENERIS · AEVVM · AB · VNGVICVLIS
ET · MVLTA · INGENIO · MVLTARVM · AEQVARIM · STVDIA
SERMONES · EGO · DOCTA · ITALICVMQVE · ET · GALLICVM
ET MAGNVS · VNA · QVO · BRITANNVS · VTITVR
LATINIS · EGO · EADEM · ERVDITA · LITTERIS
ROMANAMQVE · SIMVL · DICOR · ATQVE · PATRIAM
AEQVE · HISTORIAM · HABVISSE · COGNITISSIMAM
QVIN · LITTERATIS · REGNA · DEPICTA · IN · TABVLIS
ET · VRBES · NOVI · CERTO · DEMONSTRANS · DIGITO
ET · FVIT · IN · PROMPTV · NVMERVM · EXSEQVI · SVBTILITER
INIRE · ET · NOTIS · RATIONES · ET · SVBDVCERE
GRAVESQVE · POTVI · DVLCIBVS · CANTIVNCVLIS
LEVARE · CVRAS · TRISTIVM · PARENTIVM
SIVE · FIDIBVS · SONARE · CONCINENTIBVS
DECENSVE · AD · LYRAM · MOVERI · MEMBRA · MOLLITER
QVEIS · NVPER · ARTIBVS · PVELLA · FLORVI
PROBATA · REGIBVS · REGVMQVE · FILIIS
INVIDA · NVNC · NOSTROS · HABEAT · MORS · LICET · CINERES
EST · ALIVD · FORMAE · DECVS · EST · INGENIVM · MIHI
NOVVM · CAELESTE · ET · VIRGINI · HAERET · AVREA
COROLLA · FLAVO · AETERNVM · SPLENDENS · VERTICE
QVERARNE · TERRA · ABESSE · CORPVS · PATRIA
EXTERNA · NOBIS · TELLVS · ROMA · NON · FVIT
SED · HEV · PARENTVM · NON · HIS · LENITVR · DOLOR
CRVDELIOR · QVOS · NOSTRIS · VRIT · AB · ADLOQVIIS
AGE · O · VIARVM · IVCVNDE · COMES · OMNIVM
GASCOINGE · THOMA · GRANDE · PATRIAE · DECVS
ET · COLVMEN · MEORVM · O · QVI · MORIENTIS · SPIRITVM
HAVSISTI · AMORE · FRATER · TV · MOERENTIVM
SOLARE · CVRAS · AMORIS · HOC · PIGNVS · TVI
EXTREMVM · CAELO · MAXIMVMQVE · DVXERO

HENRICVS · SVVINBVRNES · MARTHA · BAKER
FILIAE · RARISSIMAE · ATQVE · OPTIMAE
CVM · LACRIMIS · POSVERVNT
QVAE · DECESSIT · V · IDVS · SEPTEMBR · AN · MDCCLXXVIII ·
AVE · DELICIVM · ET · VALE
IN · PACE · ☧

Hujusmodi autem tituli in antiquis maxime cenotaphiis leguntur; quae monumenta memoriae tantum caussa excitabantur: itaque longiusculos saepe poëtarum habent lusus; quod nempe non tam exstructae molis ergo inscriptio fieret, quam hujus gratia moles ipsa constitueretur. hujus est generis exemplum, quod subjiciam (1):

DIS · MANIBVS
DOMESTICO · QVI · VIXIT · ANN · XVI ·
HOC · MIHI · NOSTER · HERVS · SACRAVIT · INANE · SEPVLCRVM
VILLAE · TECTA · SVAE · PROPTER · VT · ASPICEREM
VTQVE · SVIS · MANIBVS · FLORES · MIHI · VINAQVE · SAEPE
FVNDERET · ET · LACRIMAM · QVOD · MIHI · PLVRIS · ERIT
NOSTROS · NAM · CINERES · POLLENTIA · SAEVA · SVBEGIT
EST · ET · IBI · TVMVLVS · NOMEN · ET · ARA · MIHI
NEC · TAMEN · AVT · ILLIC · SVBTER · CRVDELIA · BVSTA
AVT · ISTAS · SEDES · NOSTRA · SVBIT · ANIMA
SED · PETAT · ASSYRIOS · PETAT · ILLE · LICEBIT · HIBEROS
PER · MARE · PER · TERRAS · SVBSEQVITVR · DOMINVM
M · CAERELLIVS
SMARAGDIANVS · FECIT

addo et hoc alterum, quod nuperrime in agro Vrbisalviensi inventum est: senariolos etenim habet concinnos, ut vides, et antiqui leporis:

(1) Bonad. Cl. 9. n. 5.

C · TVRPIDI · P · F · HOR · (1)
C · TVRPIDIVS · C · F · SEVERVS · F · V · A · (2) XVI ·
PARENTIBVS · PRAESIDIVM · AMICEIS · GAVDIVM
POLLICITA · PVERI · VIRTVS · INDIGNE · OCCIDIT
QVOIVS · FATVM · ACERBVM · POPVLVS · INDIGNE · TVLIT
MAGNOQVE · FLETV · FVNVS · PROSECVTVS · EST

Nec jam alia opus sunt, quo tirones poëtae sciant, quae potissimum in epitaphiis perstringenda sint, qua singula ratione distribuenda, quibus aptanda videantur. nam cetera quidem e poësi ipsa petenda sunt: id est ingenio ipsi suo et commentatione extundere debent. sic poëtam Eumolpum, quum Licae naufragi epitaphium scriberet, rem acriter meditantem fecit Petronius (3): *Eumolpus autem, dum Epigramma mortuo facit, oculos ad arcessendos sensus longius mittit* · · · · cetera desiderantur.

§· II·

DE INSCRIPTIONIBVS SACRIS

I· Sacris inscriptionibus, quas versibus confecissent, titulum aliquando veteres praeposuerunt, quo dedicationem significarent (4), vel quo saltem numen invocaretur (5). alias vero ejus tantum nomen, qui votum solveret (6): quippe nec semper ea versibus includi poterant. plerumque una forma est, et singulae singulis carminibus absolvuntur. quamquam neque permultae sunt neque valde elegantes: ut poëticos titulos antiqui et germani Latini parum probasse videantur, praesertim si de arae aut templi dedicatione ageretur. gravem nimirum orationem et dignitatis plenam religiosa illa dedicatio requirebat, quae in poëtico comptoque sermone vix esse potest.

Enimvero quum hoc in veteri superstitione fere valuisset; quanto id magis apud nos obtinere debebat, qui jamdiu res sacras ex veritate aestimemus, et nihil altaribus templisque nostris in orbe sanctius esse sciamus? atqui ab ipsis veterum Christianorum temporibus poëtici passim tituli in altaribus templisque inscripti sunt: ut quos profani aspernarentur, majores nostri in deliciis habuisse videantur. quo fit, ut illos nunc improbare vix audeam, qui templi etiam aut altaris dedicationem carmine aliquando expresserint: siquidem non latine id solum eleganterque factum reperiatur, sed judicio etiam, nec sine verborum delectu; ut nulla ex veteri superstitione vocabula, nullae sententiarum offendant ineptiae. in quo difficultatem esse non levem didici nuper, quum in tot Arae Corycianae (7) carminibus unum aut alterum epigramma quaererem, quod huc insereretur: exemplum nimirum reperire nullum potui, in quo non aliquid displiceret.

II· Sed tamen poëticas ego inscriptiones donariis maxime tabulisque votivis, quae in templis figi solent, apprime convenire putem; easque et elegantes et aptas facile a poëta confici posse censeam. quum enim argumenta in his fere tractantur, quae poëticum ornatum non respuant; tum video poëtas fuisse non paucos, qui epigrammata hujus generis reliquerint, numeris plane omnibus absoluta. mitto quidem Naugerii et Flaminii lusus: quippe antiqua illi argumenta praeoptarunt, et in Deorum Dearumque fabulis paene desipuerunt: his nempe sacra se ajunt facere, horum postibus dona figere, hos

(1) *E tribu Horatia.*
(2) *Fecit, Vixit, Annis.*
(3) in Satyr. c. 115.
(4) v. inscr. 496.
(5) Bonad. Cl. 1. n. 44.
(6) ibid. n. 31.
(7) Edit. Romae 1524.

votis muneribusque placare: qui tamen Christianis quoque argumentis pares, multa de his etiam nobis elegantiae suae poterant et poëticae felicitatis monumenta relinquere. id qui fecerint, alii sane per ea ipsa tempora exstitere poëtae elegantissimi, quorum epigrammata cedro digna videantur. hujusmodi sunt Hippolyti et Iulii Capiluporum quaedam (1), Christiana tota, et nullo plane veteris superstitionis infecta vocabulo: ut illud Hippolyti votum ad Virginem sanctam (2) pro Cardinali Mantuano aegrotante:

VRBS · TIBI · QVAM · VITREIS · CIRCVMDAT · MINCIVS · VNDIS
PRO · IVVENE · O · VIRGO · PLVRIMA · VOTA · FACIT
PRO · IVVENE · AD · SVMMOS · QVI · DVM · CONTENDIT · HONORES
VIRTVTIS · SEMPER · TRAMITE · CVRRIT · ITER
CVI · NON · AMBITIO · NON · SPLENDOR · DIVITIS · AVRI
CVI · NON · PERSTRINXIT · LVMINA · MENTIS · AMOR
QVO · MAGIS · EX · ANIMO · NVLLVS · TVA · NVMINA · ADORAT
CVM · SPARGIT · SANCTOS · THVRIS · ODORE · FOCOS
SANCTA · VENI · TRIPLICI · STELLARVM · INCINCTA · CORONA
SANCTA · VENI · SACRIS · HVC · COMITATA · CHORIS
ET · REVOCA · DIRO · FEDERICVM · A · LIMINE · MORTIS
CVI . IAM · IAM · SAEVAS · INIICIT · ILLA · MANVS
IPSA · POTES · QVODCVMQVE · ROGAS · TIBI · RECTOR · OLYMPI
ANNVIT · ILLE · TIBI · FILIVS · ILLE · PATER
MVLTA · TVO · IN · TEMPLO · SVSPENDET · MANTVA · DONA
ET · REFERET · LAVDES · MVLTA · TABELLA · TVAS

Huc pertinent hendecasyllabi Francisci Bernii (3) votum ab eo solutum indicantes: cujus quidem nomen quum ipsis in versibus non appareat, praescriptum esse oportuit, aut subjectum carmini, quemadmodum antiquis in exemplis factum videmus.

HANC · QVAM · CERNITIS · HOSPITES · TABELLAM
SCRIPTAM · CARMINE · NON · SAT · ERVDITO
OLIM · CVM · MIHI · FORTE · FEBRIS · ESSET
ET · LECTO · MISER · VSQVE · DECVBAREM
CONFECTVS · MACIE · PERICVLOSA
VOVI · SCILICET · INTEGRAE · SALVTI
OLIM · SI · MODO · RESTITVTVS · ESSEM
VOTVM · SOLVERE · VIRGINI · PARENTI
SPECTANDVM · OMNIBVS · OMNIBVS · LEGENDVM
HANC · TV · NVNC · SVPERI · POTENS · OLYMPI
REGNATRIX · HOMINIS · PARENS · DEIQVE
VIRGO · QVAM · CELEBRI · VOCATIONE
PRAEDICANT · MODO · FEBRIVM · POTENTEM
HANC · INQVAM · TIBI · QVIDQVID · EST · TABELLAE
SCRIPTAM · CARMINE · NON · SAT · ERVDITO
PRO · VOTO · FACE · REDDITAM · PRECAMVR

Sunt et donariorum dedicationes, quae paucis fere versibus absolutae: ut haec nostra ad oram coronae Divino Infanti impositae:

(1) Ed. Romae 1590.
(2) ibid. p. 4.
(3) p. 124. ed. Florent. Iuntar. an. 1562.

ARGENTO · E · PVRO · LETI · DE · LIMINE · SOSPES
HANC · SERVATORI · DAT · MERITO · AEMILIVS

quamquam et longiusculae quaedam aliis probatae: ut Lipsiana illa pennae argentea Virgini sanctae Hallensi suspensae (1), et aliae aliorum poëtarum ornamentis insignes.

Atque his tu similibusque argumentis contentus esto, in quibus lepor magis, quam dignitas requiratur. quippe his potissimum minutam hanc poësim aptam esse, fatendum est.

§· IIII·

DE INSCRIPTIONIBVS HISTORICIS

I· Raro historicam inscriptionem invenias, quae communi stilo maximam partem confecta, brevi aliquo carmine claudatur. insignis tamen illa est, quam paucis ante annis via Labicana ad milliarium tertium repertam Piranesii fratres in museum suum intulerunt.

T · T · COCCEI · GAA · ET
PATIENS · QVAEST · III ·
MENSAM · QVADRATAM · IN · TRICHIL·
ABACVM · CVM · BASI · HOROLOGIVM
LABRVM · CVM · FVLMENTIS · MARMOR·
PVTEALE · CRVSTAS · SVPRA · PARIETEM
ITINERIS · MEDI · CVM · TEGVLIS · COLVMEL
LAM · SVB · HOROLOGIO · TIBVRTINA
PROTECTVM · ANTE · PORTICVM · TRVTI
NAM · ET · PONDERA · D · D · S · POSVERVNT
ET · LOCVM · POST · MACERIAM · VLTERIOREM
EMENDVM · VSTRINASQVE · DE · CONSAEPTO
VLTIMO · IN · EVM · LOCVM · TRAICIENDAS · ET
ITER · AD · EVM · LOCVM · IANVAMQVE · BENEFICIO
ET · LIBERALITATE · T · PATRONI · FACI
ENDAM · CVRAVERVNT
IDEMQVE · VITIVM · POMORVMQ · ET · FLORVM
VIRIDIVMQVE · OMNIVM · GENERVM
SEMINIBVS · EA · LOCA · QVAE · T · P · DECVRI
ONIBVS · SVIS · ADTRIBVERAT · EX · PECV
NIA · PVBLICA · ADORNAVERVNT
SISENNA · TAVRO · L · SCRIBONIO · LIBONE · COS·
IMPENSAE · CAVSAM · TITVLVM · QVI · PERLEGIS · AVDI
ET · IVSTAM · QVAESO · PIETATIS · PERCIPE · CVRAM
QVIS · VERA · VT · CVPIANT · CONCORDE · VIVERE · MENS · EST
HOS · ANIMOS · SPECTENT · ATQ · HAEC · EXEMPLA · SEQVANTVR
HAEC · LOCA · DVM · VIVENT · LIBEAT · BENE · CVLTA · TVERI
POST · OBITVMQ · SVVM · TRADANT · TVM · DEINDE · FVTVRIS
NE · DESERTA · VACENT · IGNOTIS · DEVIA · BVSTA
SED · TVTA · AETERNO · MANEANT · SI · DICERE · FAS · EST

(1) Lips. Virg. Hall. c. 36.

aevo Augusti haec scripta, anno Varron. DCCLXVIII. ubi lapis cum inscriptione inventus, ibidem in parietinis horologium repertum est et columella et puteus et mensa marmorea: nec procul sepulcri vestigia manent. hoc ego a T. Coccejo cum ustrinis et horto libertis suis omnibus datum assignatumque puto, ut commune eorum et familiae sepulcrum esset: Libertorum autem in Coccejii domo, ut alia in aliis, Collegium fuisse, cujus Quaestores tertium fuerint Gaa et Patiens. hos *de Decurionum* id est de collegarum *sententia* Cepotaphii sui instruendi, ornandi, ampliandi cura suscepta, mensam primum intulisse, atque in *Trichila* eam, sive sub pergula compluviata collocasse: tum cetera adjecisse, perfecisse, ut scripta sunt: quae inter illi *Tiburtina* recensent et *Protectum*, pilas nempe e lapide Tiburtino, quibus tigna imposuerant ad projecturam tecti, quo Collegium porticu latiore uteretur (*a*). plura jam ne quaeras: in viam mihi redeundum est.

Ceteras id genus inscriptiones a veteribus exaratas plerumque e meris constare versibus deprehendes, nullo alio initio aut clausula insignes. atque ex his privatae quidem ad erudita fere pertinent tempora, at publicae non item. publicis nempe operibus carmina diu veteres minus apta putaverunt. neque immerito; raro enim in versibus, ut superius attigi, ea inesse dignitas potest, quae publicae dedicationi exponendae par sit. binas, si libet, inscriptiones comparemus, quae ad eandem spectant urbem, alteram versibus, alteram communi stilo confectam. M. Flaminii est, quam primam subjiciam (*1*).

VIATOR · HANC · EQVIS · VIAM · PAENE · INVIAM
IVBENTE · PAVLLO · TERTIO · RESPVBLICA
VITERBIENSIS · REDDIDIT · FACILLIMAM

alterius auctor ignotus, sed tamen bonus: ea est hujusmodi (2):

EX · AVCTORITATE
ALEXANDRI · FARNESII · CARD · LEG · PERPET ·
POPVLVS · VITERB ·
PORTAM · FARNESIAM · APERVIT
VALLIAM · MINVS · COMMODO · LOCO · POSITAM
CLVSIT
ANNO · M · D · LXIX ·

quis porro inficiari possit, multo hanc grandiore scriptam oratione esse, quam illa sit; atque hunc magis, quam illum sermonem magistratibus, qui titulos inscripserint, convenire?

II. At contra in privatis poëticas inscriptiones quis ceteris non praeferat, quae saepe minus pudicae et aequo grandiores turgere quodammodo videntur. in iis enim, quas privati viri nomine suo posuerint, non aliud fere, quam jocos, venustatem, verborum ac sententiarum lepores quaerimus, ea scilicet, quae maxime a poëtis petenda sunt. itaque illum ejusdem Flaminii lusum de fonte Nicolai Rodulphi Cardinalis, quod ad aedes pertineat privatas, apte quadrare dixeris. fontem autem ipsum de se loquentem induxit (3):

(*a*) In diversa abiit Viscontius Mus. Pio-Clem. t. 1. p. 21., dum hanc ipsam inscriptionem retulit et interpretatus est: nam T. T. Coccejos Gaa et Patientem quaestores fuisse putat non collegii libertorum. sed coloniae cujusdam, Gabiorum nempe, vel Labici; *Tiburtina* vero insculptum fuisse pro *Tiburtinam*, columellam scilicet. Marinius vero Fr. Arv. p. 616. *Trichil.* pro *Trichilinio* h. e. *Triclinio* positum existimat.

(1) post lib. 8. n. 2.

(2) Swert. in Delic. p. 217.

(3) Carm. l. 2. n. 18.

QVOD · SOLITVS · SILVIS · LIQVIDO · PEDE · CVRRERE · IN · ALTIS
NVNC · CELEBRO · AVGVSTAE · REGIA · TECTA · DOMVS
GRATIA · MAGNA · TIBI · RODVLPHI · MAGNE · MEAM · TV
PER · DVRI · MONTIS · VISCERA · DVCIS · AQVAM
VT · QVI · VIX · FVERAM · PECORI · BENE · COGNITVS · ANTE
NVNC · REGVM · LYMPHIS · ORA · MANVSQVE · LAVEM

nec minus elegans atque aptus Naugerii titulus ille de horto explicato atque ad solem aperto: quamquam a Musis idem suis et Apolline abstinere non potuit (1):

OPPOSITAE · OBSTABANT · NOSTRIS · PRIVS · AVCTIBVS · AEDES
NEC · NOS · CAELVM · VLLA · SOLVE · IVVABAT · OPE
DISIECTIS · HERVS · HIS · SOLEMVE · ADMISIT · ET · AVRA
CONCESSIT · NOBIS · LIBERIORE · FRVI
HINC · NOS · IN · TENVES · CERTATIM · TOLLIMVR · AVRAS
ORNAMVRQVE · NOVAE · FRONDIS · HONORE · CAPVT
AT · TIBI · CVI · SACRIS · MVSARVM · ET · APOLLINIS · VMBRIS
EXSTRVCTAS · LIBVIT · POSTHABVISSE · DOMOS
PERPETVO · SIMILES · NOSTRIS · SINT · FRONDIBVS · ANNI
NOBISCVM · AVGESCANT · ET · TIBI · CVNCTA · BONA

II. Enimvero et argumenti ipsius, quod in opere dedicato expressum sit, historiam versibus persequi liceat: quam alii, nullo fortasse veterum exemplo usi, communi etiam stilo exposuerunt. nam quod meminit Tullius (2), Syracusis in aede Minervae, antequam illam Verres spoliaret, tabulas fuisse permultas pulcherrime pictas, *in quibus erant imagines Siciliae regum ac tyrannorum, quae non solum pictorum artificio delectabant, sed etiam commemoratione hominum et cognitione formarum*; non aliam equidem sub quaque tabula inscriptionem fuisse, quam carmen puto, quo picturae argumentum contineretur. hic certe Graecorum mos fuit, quem et multa Anthologiae epigrammata indicant, et Pausanias in primis testatur: qui etiam quaedam ejusmodi descripsit carmina; ac de Hippia quodam tradidit (3), Olympiae sub statuis puerorum Mamertinorum, qui in Siculo freto perierant, manente veteri inscriptione, titulos ab eo elegis esse factos. itaque ne Latinis quidem rerum hujusmodi describendarum caussa, aliud omnino, quam carmina placuisse crediderim: praesertim quum et iis usos esse constet non paucos (4), et sine poëtarum pigmentis tituli omnes ejus generis vix sapere aliquid posse videantur. si qua igitur picturis et anaglyphis operibus inscriptio subjicienda erit, quae ad ipsum argumentum referatur, in eoque tota versetur; hexametris omnino aut etiam elegis hendecasyllabisve tituli conficiantur, nihil ex lapidaria veterum oratione delibetur. sic tabulae olim pulcherrime pictae Vandycki manu, quae Machabaeorum fratrum coram matre caedem referret, epigramma hujusmodi aptabam:

CRVDELI · EXSTINGVI · SEPTENOS · FVNERE · FRATRES
ISACIDAS · DIRVS · DVM · IVBET · ANTIOCHVS
ECCE · ALACRIS · FORTES · PRAECLARA · OCCVMBERE · MORTE
MATER · PRO · PATRIIS · LEGIBVS · ADSPICIENS
MACTI · INQVIT · PVERI · LACRIMAS · NE · POSCITE · CAELO
VOS · PEPERI · ET · MERITOS · INFERO · SIDERIBVS

alia id genus exstant non pauca in recentiorum poëtarum libris, quae parare tibi facile

(1) Carm. 23.
(2) Verr. l. 4. c. 55. n. 123.
(3) l. 5. c. 25.
(4) v. part. 1. c. 4. §. 3. n. 5.

possis. quamquam Graecos adire fontes praestat, unde fere boni poëtae omnes sententiarum lepores hauriendos sibi esse putaverunt.

Cavendum tamen est, ne veteri poëtarum licentia quidlibet audendi potestatem nobis esse existimemus. in hujusmodi enim inscriptionibus ut nihil ex iis negligendum est, quae pictor sculptorve expresserit; sic ea omnia praetermittenda, quorum nullum in opere vestigium reperiatur: ut nempe rebus verba respondeant, nec aliud poëta, aliud auctor cogitasse videatur. illud enim unum poëtae tribuitur, ut ea ipse addat, quae ars efficere nulla possit.

§· V·

DE ELLOGIIS

I· E*x auro argentove*, inquit Plinius (1), *aut certe ex aere in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animae in iisdem locis ibi loquuntur:* apud Graecos etiam in Prytaneis: ut Syracusis Sappho, quam sustulit Verres (2). *atque haec Sappho*, inquit Tullius, *sublata quantum desiderium sui reliquerit, dici vix potest. nam cum ipsa fuit egregie facta, tum epigramma Graecum pernobile incisum habuit in basi.* at in urbe qui honore potissimum rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi praestitissent, eorum plerisque in aedibus imagines visebantur. porro in harum basibus poëtica ellogia antiquitus scribi coepta: neque ea initio valde longa; nam Titus quidem Atticus (3) domi suae quaternis quinisve descripserat versibus. nec longior est titulus, quem Martialis ad Avitum misit, quum in bibliotheca ejus inter clarorum virorum imagines suam quoque dedicatam esse accepisset: nempe hoc ille epigrammate contentus erat (4):

ILLE · EGO · SVM · NVLLI · NVGARVM · LAVDE · SECVNDVS
QVEM · NON · MIRARIS · SED · PVTO · LECTOR · AMAS
MAIORES · MAIORA · SONENT · MIHI · PARVA · LOQVVTO
SVFFICIT · IN · VESTRAS · SAEPE · REDIRE · MANVS

At multo etiam longiores titulos probatos esse, argumento maxime est Vrsi Togati ellogium satis longum, quamquam de viro utique non magno agebatur. quare nec Sadoleti *Laocoon*, nec Castilionis *Cleopatra* improbari debet, praesertim quae scite admodum scripta sint; esto aliis, ut Fumano et Casanovae, breviores tituli placuerint, tum quoque, quum magnorum regum et ducum praestantissimorum facta describerent. sed tum potissimum illa Attici brevitas imitanda videtur, quum multa ellogia uno in loco proponenda sint, atque ita imitanda, ut novum in his aliquid et admirabile efferatur. nam ubi magna spectandarum rerum copia est, et quae longiora sunt, fere praeterimus, et quae vulgaria, contemnimus.

II· Iamvero quum aedium nostrarum ornamento non eorum tantum imagines collocemus, qui patrum aut majorum memoria floruerunt; sed Romanorum etiam atque Graecorum ducum, item nobilium scriptorum, magnorumque philosophorum simulacra disponamus, quae affabre et antiquo artificio facta sint: non ita ellogia prioribus illis et nostratibus convenire dixeris, ut non et ceteris, externis quamquam et alienissimis sua interdum subscribi possint. sic veteres etiam non modo priscas aeque et recentes majorum imagines ellogio aliquo ornabant; sed barbarorum etiam monumenta vel hostium

(1) H. N. l. 35. c. 2. n. 2.
(2) Cic. Verr. l. 4. c. 57. n. 127.
(3) v. l. 1. partit. 2. praef. c. 4.
(4) Mart. l. 9. epig. 1.

in urbe esse patiebantur: *et adeo*, inquit Plinius (1), *discrimen omne sublatum, ut Hannibalis etiam statuae tribus locis visantur in urbe, cujus intra muros solus hostium emisit hastam*.

Etsi autem ceterorum ellogiorum simplicitati et gravitati neque exquisitae dictionis ornatus, neque res ingeniosius tractatae satis congruunt; in poëticis tamen nulla lege vetamur, quin venusta quaeque sectemur, omnesque his artis colores inducamus. nec solum fas erit, ejus, cui posita imago sit, virtutes et facta licentius persequi; sed artificis etiam celebrare manum, et utriusque miscere laudes. hujusmodi est Pythagorae concinnum illud ellogium Naugerii stilo perscriptum (2):

QVEM · TOTIES · VIXISSE · ANIMA · REDEVNTE · RENATVM
MVTATO · FAMA · EST · CORPORE · PYTHAGORAM
CERNE · ITERVM · VT · DOCTI · CAELO · GENERATVS · ASYLAE
VIVAT · VT · ANTIQVVM · SERVET · IN · ORE · DECVS
DIGNVM · ALIQVID · CERTE · VOLVIT · SIC · FRONTE · SEVERA · EST
SIC · IN · SE · MAGNO · PECTORE · TOTVS · ABIT
POSSET · ET · ILLE · ALTOS · ANIMI · DEPROMERE · SENSVS
SED · VETERI · OBSTRICTVS · RELIGIONE · SILET

nec aliter scripta esse reperies Graecorum quaedam ellogia omnino pulcra, quae libro tertio proferentur.

Quia vero statuae sunt quaedam sic expressae, ut non viri vultum tantummodo referant, sed virtutem etiam aut factum indicent aliquod: idcirco totum aliquando ellogium in ipsa virtutis laude aut in facti expositione versari potest. ut si quis Siccium illum Dentatum in armorum strue fecerit, donis militaribus onustum iis, quae Plinius enumerat (3), sub eo ellogium inscribi possit hujusmodi:

ARMA · VIDEN · CONGESTA · HASTAS · GENVS · OMNE · CORONAS
ARMILLAS · TORQVES · TOT · SIMVL · ET · PHALERAS
VIRTVTIS · DECVS · HAEC · BELLO · TVLIT · OMNIA · VICTOR
SICCIVS · ARGOLICO · NON · MINOR · AEACIDE

at si titulus sub Cleopatrae morientis signo inscribendus sit, hoc, opinor, ellogium apte quadrabit:

DVLCIA · QVAM · VITAE · LINQVENTEM · LVMINE · CERNIS
REGINA · HAEC · REGVM · ET · MAXIMA · PROGENIES
ILLA · EST · ACTIACO · MAGNI · SERVATA · TRIVMPHO
CAESARIS · ET · SACRA · CONSPICIENDA · VIA
QVAE · GENVS · HAVD · OBLITA · SVVM · CAPTIVA · NE · DIXIT
ROMVLIDVM · MATRES · PROH · PVDOR · ADSPICIAM
NON · OMNIS · VICTA · EST · CLEOPATRA · FEROXQ · COLVBROS
IAM · PREMIT · ATQVE · VLNIS · ATRA · VENENA · BIBIT

Poëticum porro est et maxime usitatum ipsos in ellogiis loquentes induci, quorum ea statuis subscribuntur: quemadmodum Martialis, ut vidimus, titulum confecit suum. hujus generis permulta sunt duobus tribusve abhinc saeculis confecta, quum litteratorum nemo a poëtica alienus esset, cujusmodi illud est Iulii Scaligeri de Scipione Aemiliano (4):

(1) H. N. l. 34. c. 6. n. 15.
(2) Carm. 24.
(3) H. N. l. 7. c. 28. n. 29.
(4) Heroum epigr. 24.

HESPERIOS · ANIMOS · INVICTAQVE · ROBORA · GENTIS
QVOSQVE · DAT · INDOMITOS · AFRICA · TERRA · VIROS
PERDOMVISSE · ALIQVID · MIHI · SIT · VICTORIA · DVRAE
VICTOREM · ITALIAE · VINCERE · SOLA · FVIT

alterum tibi e copiolis meis depromam, Hannibalis imagini subscribendum:

VIVO · EQVIDEM · ANGVSTI · NEC · ME · SVB · MOLE · SEPVLCRI
VIRTVTIS · COGES · IMMEMOREM · AVT · GENERIS
VICTORI · MONVMENTA · DVCI · QVAS · RVPIT · APERTAS
PONE · ALPES · DOMITAM · ET · PRO · TVMVLO · AVSONIAM
ET · TREBIAM · SVPER · ET · TRASYMENVM · INFANDAQ · CANNAS
BVSTA · ADDE · AGGESTIS · ROMVLIDVM · EXVVIIS
STET · QVAE · FACTA · FERAT · LATIIS · IMPOSTA · RVINIS
CARTHAGO · CONDI · SIC · DECET · HANNIBALEM

addita interdum statuis carmina, quibus ipsi tantum artifices celebrarentur: ut illud, quod in Delo statuis a se factis subjecere sculptores clarissimi Bupalus et Anthermus Anthermi Chii filii, nempe *Non vitibus tantum censeri Chium, sed operibus Anthermi filiorum* (1): at haec quis carmina in ellogiis non recte ponat; historicis contra inscriptionibus verissime adnumeret.

(1) Plin. H. N. l. 36. c. 5. n. 4. §. 2.

PARTITIO TERTIA

DE REGVLIS INSCRIPTIONVM COMMVNIBVS

Singulas haetenus inscriptionum formas et proprietates persequuti, eorum nihil attigimus, quae ad genus universum pertinere viderentur. ea nempe huc rejiciebamus, ut omnia simul tertia hac partitione tractaremus: quae nunc decem comprehensa capitibus, si qui sua interesse duxerint, et expedite legere et facile retinere memoria poterunt.

CAPVT I.

De nomenclatura inscriptionum

I. Prima fere in plerisque inscriptionibus nomina personarum esse solent: de nominibus igitur totaque sive consanguinitatis sive originis nomenclatura primum a nobis disseri consentaneum est.

Hunc veterum fuisse morem nemo nescit, praenomen primo loco ut efferrent, deinde nomen: tum praenomen adderent patris, saepe et avi ac proavi; interdum vero abavi quoque atque atavi: quod in privatis etiam titulis, nedum in imperatoriis aliquando occurrit (1): post haec, in sepulcralibus maxime, tribum sexto casu, ac protinus cognomen, atque etiam patriam, quae aliquando ante cognomen legitur (2), ipsamque non raro provinciam, unde quisque esset. jamvero ut haec singulatim attingam, non utique in usu nunc omnia, quae olim fuerunt; sed tamen multa in speciem usurpari ex iis possunt, quae apud Romanos obtinebant. primum quidem etsi praenomine non utimur, quum tamen binis plerique nominibus appellentur, primum ex his praenominis loco esse potest, alterum nominis. post nomen autem quidni patrem nos quoque cieamus? adeo id olim sollemne fuit, ut ne tum quidem omitterent, quum patrem ipsum infra nominabant (3). et bis etiam aliquis patris ejusdem filius dicitur, ut apud Fabrettum (4):

M · LAEVIVS · Ↄ · L · DIONYSIVS
HOC · MONVM · FECIT
M · LAEVIO · M · F · PAL · NIGRO
F · S · ET · SIBI · ET · SVEIS

Niger enim, qui *Marci Filius*, iterum *Filius* a Dionysio patre appellatur, qui monumentum se fecisse dicit *Filio Suo et Sibi*. verum id eo forsitan consilio factum putabat Odericius (5), ne Laevius hic Marci filius, Dionysii patronus esse, non filius crederetur. alias autem, quae Giovenazzi opinio est, patris praenomen veteres primo loco scribebant ad ciendum patrem, id est ad significationem hominis ingenui; secundo loco ad indicium consanguinitatis et procreationis: vel demum ad discrimen, ut, quum patrem ejusdem praenominis habuissent pater et filius, de filio sermonem esse constaret, qua de re infra mihi agendum est.

(1) v. part. 1. c. 2. n. 5.
(2) Don. Cl. 6. n. 52. 53. etc.
(3) v. inscr. 181. 182. etc.
(4) p. 715. n. 366.
(5) apud Catal. Orig. e Ant. Ferm. p. 2. §. 3.

Enimvero patris, avi, proavi mentionem facere non prisca solum consuetudine, sed ipsa etiam monumentorum ratione atque utilitate jubemur. nam quum in eadem saepe familia, nedum gente, nomina avorum nepotibus, aliquando et parentum filiis imponantur; haud facile posteri alterum ab altero distinguent, nisi nos patris et avi appellatione accuratius nunc quemque designemus. atque id etiam ad dignitatem interdum facit, siquidem clari viri ciendi sint. idcirco Imperatores longam fere decessorum seriem interponebant: quam tibi multa libri primi exempla exhibent. sed hi tamen, quorum non unum erat praenomen, majores suos post ea praenomina inserebant, quae dignitatis essent; praenomen autem nativum veluti ac proprium nomini subinde jungebant (1):

IMP · CAESARI
DIVI · ANTONINI · PII
FILIO · DIVI · HADRIANI
NEPOTI · DIVI · TRAIANI
PARTHICI · PRONEPOTI
DIVI · NERVAE · ABNEPOTI
M · AVRELIO · ANTONINO · AVG · P · M ·
TR · POT · XVI · COS · III · OPTIMO · ET
INDVLGENTISSIMO · PRINCIPI
PVERI · ET · PVELLAE · ALIMENTARI
FICOLENSIVM (2) (a)

privatos contra nomen fere praenomini subjecisse videas, et post id majores appellasse; quo item loco a nobis scribendos existimo. quamquam nonnulli post cognomen ponunt, ut olim Fabrettus, qui libro domesticarum inscriptionum, quo saepe utimur, hunc praefixit titulum, *Raphaëlis Fabretti Gasparis F. Vrbinatis Inscriptionum Antiquarum, Quae In Aedibus Paternis Asservantur, Explicatio*. habent hi quidem exemplum optimae notae, quod adhuc in Panthei fronte legimus (3):

M · AGRIPPA · L · F · COS · TERTIVM · FECIT

sed hic e Vipsania gente quum esset, quae Romae obscura habebatur, idcirco nomen omisit suum, cognomenque praenomini parentis praeposuit. alterum item exemplum e libri primi inscriptione quadragesima peti potest; sed ibidem etiam nomen gentile desideratur. nec alia fortasse exempla suffragantur: quin etiam in Musei Veronensis epitaphio Regus quidam miles, qui nondum impetrato civitatis diplomate, Romanum, opinor, praenomen ac nomen usurpare non poterat, patrem initio sic ciet (4):

CVSESSVG
ENI · F · REGVS · EX
CHO · RAET · ET · VIN·
ANNOR · XL · STIP ·
XX · H · S · E·

quapropter cognomina nostra patris et avi appellationibus omnino subjicienda esse dixerim: praesertim quum ea ipsa verborum collocatio venustatis aliquid habere videatur. atque hic tamen adnotandum, veteres aliquando, quum jam praenomen patris, et filii cognomen scripsissent, rursum patris appellationes et matris etiam addidisse, quo nempe consanguinitatis gradus accuratius declararent: ut quum nepoti ex filia tumulum quis faceret (5):

(1) Giorn. Pis. t. 6. p. 255. ex Vill. Alban.
(2) Ficulea in agro Sabino V. Cellar. l. 2. c. 9. sect. 2. n. 313.
(a) Ceterum Marinius Inscr. Alb. p. 42. et 231. addubitat, num reapse Ficulea vel Ficolea in agro Sabino, an alibi fuerit.
(3) Grut. p. 1. n. 1.
(4) p. 451. n. 3.
(5) Fabr. p. 133. n. 88.

L · MANTENNIO
L · F · SEVERO
L · MANTENNI
SABINI · TRIB·
COH · III · PR · ET
FLAVIAE · T · F·
PROCILLAE
FILIO
T · FLAVIVS
GERMANVS
NEPOTI · SVO

Eodem modo, si quidam e majoribus honoris caussa appellandi fuerint, quod laudi vertatur ex eorum genere hunc aut illum esse prognatum; utique nomina eorum cognominibus recte subjicies, et quidem alia etiam ratione: nam ea veteres mutato interdum ordine efferebant, et genitivum casum secunda sede collocabant. sic in Galbae titulis legebatur (1), PRONEPOTI · Q · CATVLI · CAPITOLINI, in T. Flavii Postumii inscriptione apud Fabrettum (2) leges, PRONEPOTI · ET · SECTATORI · M · POSTVMI · FESTI · ORATORIS: imo non aliter viros potissimum et filios clarissimarum feminarum aliquando adscriptos videmus (3):

MINICIAE
L · F · PAETINAE
VXORI
RVTILI · GALLICI
LEPTITANI
PVBLICE

(4)

OSSA
AGRIPPINAE · F · M · AGRIPPAE
DIVI · AVG · NEPTIS · VXORIS
GERMANICI · CAESARIS
MATRIS · C. CAESARIS · AVG ·
GERMANICI · PRINCIPIS

quamquam epitaphium id suspectis adnumerat Maffejus (5), levi plane de caussa, quod nempe nova illi formula videtur OSSA · AGRIPPINAE: qua profecto longe magis nova est, quam anno superiore legimus in liberorum Germanici cippis HIC · CREMATVS EST: praeterquamquod Dio Caii Aug. trajectum in Pandatariam et Pontias describens, unde matris fratrisque cineres Romam transtulit, diserte eum *matris ossa*, τα οστα τα της μητρος, manu sua legisse dicit (6).

Illud in Antonini Caracallae inscriptionibus prope singulare est, nomen cognomenque ejus plerumque ante perscripta legi, quam Septimii patris, hoc modo (7):

IMP · CAESARI · M · AVRELIO
ANTONINO · AVG ·
IMP · CAES · L · SEPTIMI · SEVERI · PII
PERTINACIS · AVG · ARABICI · ADIABEN ·
PARTHICI · MAXIMI · P · P · FILIO
COLL · FABR · TIGNARIOR ·

(1) Svet. in Gal. c. 2. n. 1.
(2) p. 208. n. 516.
(3) Maff. M. V. p. 222. n. 9. v. inscr. 112. 113. 117. 118. etc.
(4) Grut. p. 237. n. 4.
(5) Art. Cr. Lap. p. 308. v. Fabr. p. 629. n. 247. etc. Maff. M. V. p. 150. n. 4.
(6) l. 59. p. 904. A.
(7) Grut. p. 268. n. 1. 3. 4. et p. 269. n. 1. 3. etc.

in ceteris enim Imperatorum titulis patris, avi, majorum nomina ante nomen Principis legimus, ut paullo superius adnotavi.

II· Iam nomina ipsa virorum feminarumque, quae nunc saepe barbara et Latinis ignota imponuntur, sic efferenda sunt, ut a Latina consuetudine quamminimum recedamus. mendose a quibusdam *Ioseph* scribitur, praesertim quum *Iosephus* in Svetonio (1) legatur. quo sane pacto alia quaedam, quae ab Hebraeis fluxerunt, nomina perscribi convenit: haec enim Latinorum ratio fuit, ut externis nominibus, quae in litteram desinerent, quam ipsi extremam in suis aut alienis non usurpabant, syllaba fere una declinationis caussa adderetur. ob eam rem *Abrahâmus, Iacobus, Elisabetha* scribendum: sed recte *Samuel* et *Ioel* integra maneant, ut olim *Hannibal* et *Tanaquil:* recte etiam *Andreas, Simon,* quae Graeco more, sed Latinis usitato scribuntur.

Nec tamen bene *Agnes, Irenes, Fabianes,* unde quarto casu *Agnetem, Irenetem, Fabianetem* quidam scripserunt. multa hujusmodi exempla ex antiquis descripta lapidibus congessit Lupius (2), quae tamen ad eruditam aetatem non pertinere, et contra omnes Grammaticos usurpata esse fatetur. quippe tamquam lege lata, inter omnes constabat, *nomina in* ES *productam desinentia, quae sunt propria, masculina inveniri, ut Hercules, Vlysses, Perses, Achilles, Verres, Chremes, Laches, excepto uno feminino, Ceres Cereris* (3). quare non *Agnes* recto casu, sed *Hagne* scribi debet et *Irene* et *Fabiane* aut *Fabiana*, patrio autem *Hagnes, Irenes, Fabianes,* Graeco more, vel, si mavis Latino, *Hagnae, Irenae, Fabianae* et sic deinceps: atque Hagnae omnino cum adspiratione: non modo quod est ab ἁγνος, sed etiam quod ita Latini vulgo scripsere: uti jam Bentlejus multis veterum exemplis comprobavit (4).

Ne ii quidem tibi probentur, velim, qui nominibus quibusdam, ut latine illa et puriter efferant, non modo extremam inflectunt aptantque syllabam, sed alias etiam deturbant: quo fit, ut qui modo *Ruggierus* erat, repente *Rogerius* exsistat, et qui *Gulielmus*, nova etiam littera invecta, *Willelmus*. sic alia atque alia pervertunt nomina. his vero cur Latina ea magis et antiqua videantur, plane ignoro: equidem Italicas nominum flexiones semper putavi ad Latinas accedere quammaxime, neque iis praeferendas, quae ab exterorum linguis ortae sint.

III. Post virorum nomina suam cuique tribum, in epitaphiis maxime, veteres adscribebant: qui mos tertio fere post Augustum saeculo obsolevit; et ipsae etiam tribus paullatim exstinctae sublataeque sunt: nisi quod apud Britannos quasdam nunc quoque Scotorum esse tribus audio plane antiquas et ejus gentis proprias, quas illi Romano ritu post nomen, sexto, ut olim fiebat, casu efferre possint. at nos cognomen protinus majorum praenominibus et consanguinitatis appellationibus subjiciemus.

Sed hic saepe haerent titulorum scriptores, quos nempe Latinae litterae nihil juvare possunt. nam et ipsa non raro cognomina pingue quiddam et rusticum aut plane barbarum sonant; et ii saepe, quorum caussa tituli scribendi sunt, ne unam quidem vel demi, vel addi litteram, aequo animo ferunt, vix tamen caussa est, cur angantur, quum in veterum exemplis habeant, qua se auctoritate sustentent, si ea totidem aliquando litteris scripserint. barbara plane cognomina antiquae etiam inscriptiones habent, cujusmodi haec est (5):

SATELLIA · C · F·
VELIZZA

Velitia nunc quidam scribi maluissent, expuncto Z utroque: alii quaerendum fortasse

(1) in Vesp. c. 5. n. 10.
(2) Epit. Sev. M. p. 157.
(3) Priscian. Gramm. l. 5. p. 651. Putsch. v. Fabr. p. 313. n. 380.
(4) ad Horat. Satyr. l. 1. serm. 3. v. 40.
(5) Fabr. p. 645. n. 381.

censuissent, quae hujus vocabuli apud Celtas aut Illyricos significatio esset, quo id latine redderetur. sic aliquando qui *Cenfuegus* erat, appellatus est *Centumigneus*, *Rossii* vero *Rubei*, *Verdii* quoque *Virides*, et, quod prodigium est, *Torriglionii Tauroleones* facti sunt. id est nimirum, quod in malo historiae scriptore ridebat olim Lucianus (1) qui Atticae elegantiae esse putabat, Romana quoque cognomina graece reddere, *ὡς Κρονιον μεν Σατουρνινον λεγειν, Φροντιν δε τον Φροντωνα, Τιτανιον δε τον Τιτιανον, και τ' αλλα πολλω γελοιοτερα*: atqui non hoc Graecis Romanae historiae scriptoribus arrisit, qui Latina cognomina iisdem semper litteris designant: Ιουλιος Σακερδως, non Ιερευς a Dione (2), Νιγρος, et Σεβηρος ab Herodiano (3) scribitur, non Μελας et Σεμνος: sic et ceterorum cognomina, ut latine appellabantur. itaque Tullius etiam, quum e Siculis, id est Graecis, Heracliensem quemdam Furium nominasset (4), adjecit, *nam habent illi nonnulla hujuscemodi Latina nomina*: adeo scilicet receptus mos erat, ne quid de cujusque appellatione immutarent.

Sed tamen hoc sibi Latini sumpserunt, ut cognomina aeque externa et propria declinarent, eaque de caussa, quod nunc quidam aegre ferunt, litterulam illis in fine aut syllabam adderent, unde cognominis casus nosci possent. quod a Graecis etiam factum adnotans Varro (5), *nostra*, inquit, *nomina ut Persarum et ceterorum, quos vocant barbaros, cum casibus dicunt*: tum a Latinis haud aliter reddita tradit, quae Gallorum essent et ceterorum: *Nam dicunt*, inquit, *ab* Alaco *Alacus et sic alias*. enimvero si hominum auribus aut potius inscitiae aliquando indulgendum erit, quo cognomina integra maneant, hanc te rationem inire oportebit, ut Italicis, quae fere genitivum Latinorum casum imitantur, vocabulum praeponas aliquod, ut illa *Memoriae*, *Cineribus*, *Honori*, *Magisterio*, *Duumviratu*, *Cura*, *Testamento* et hujusmodi, quae genitivum post se casum postulant. contra vero quum littera A cognomina terminantur, primo ea vel sexto casu efferenda erunt: quod quidem ei facile succedet, qui titulum scripturus, relictis communibus inscriptionibus, singularis sibi dictionis exempla proponat. sunt et cognomina, quae praepositione DE aucta ab antiquis cognominibus valde abeunt. quamquam affine eorum cognomen satis vetere in exemplo legitur apud Donium et Fabrettum (6)(*a*):

OCTAVIO
V · P · EX · MERCV
RIALIBVS · IVLI
A · FLORA · CON
IVGI · INCOMPA
RABILI

quam tu rationem imitabere, siquidem tibi, praepositione illa rejecta, cum difficili homine ac moroso altercandum sit: cetera omnino rejicies, et cognomen veterum nominum more efferes: quippe idem plane est, exempli caussa, si quis *Ex Ercolanis*, atque si *Ercolanius* esse dicatur.

Aequos porro viros et latine scientes nactus, unam illam cognominum efferendorum rationem sequere, ut quae Latina videri possint, iis nihil addas: quibus aliquid ad casus indicandos deest, ea tantum littera una, vel una, si opus est, syllaba augeas, quo nempe Latino aut Graeco etiam ritu declinentur: nam Graeca quoque cognomina in Latinis inscriptionibus passim reperiuntur, nec libertorum tantum propria, sed etiam ingenuorum.

(1) t. 4. edit. Bipont. p. 183. *πως δει Ιστοριαν συγγραφειν*: *ut Saturninum quidem* Cronium *appellarent*, *Frontonem vero* Frontim, *Titianumque* Titanium, *et alia magis multo ridicula*.
(2) l. 59. p. 926. B.
(3) l. 2. c. 7. et 14.
(4) in Verr. l. 5. c. 43. n. 112.
(5) L. L. l. 7. c. 36.
(6) Don. Cl. 8. n. 64. Fabr. p. 280. n. 177.
(*a*) Marinius Frat. Arv. p. 297. hanc inscriptionem aliter legit ac interpretatur.

Verum enimvero negant quidam e doctis, cognomina nostra, quum pro veterum nominibus usurpentur, aliter terminari nunc posse, quam ipsa olim familiarum nomina terminabantur: itaque extremas litteras tres omnino omnibus communes esse jubent: ut *Aelius, Caesius, Scribonius:* nam et antiquissimis temporibus, quum ejusdem gentis una etiamtum esset familia, nec gens a gente, nisi nomine, distingueretur, sic tum quoque appellabantur. at hi minime animadvertisse videntur, cognomina nostra, quaecumque tandem sint, Latinis externa esse atque barbara: quamobrem quum Latinorum lingua scribimus, ita haec nobis latine reddenda esse, quemadmodum externa illi et barbara latine olim reddiderint. qui si hoc dant, cur autem non dent? satis jam constare dico, Romana nos gentilium nominum lege non teneri. quid enim apud Latinos scriptores frequentius, quam cognomina peregrinorum diversa plane ratione scripta, quam tum Romae gentilia nomina scriberentur? Hamilcar a Cornelio Nepote cognomento *Barcas* dicitur, non *Barcius* (1), Asdrubal a Livio *Calvus*, non *Calvius* (2). sic apud Caesarem occurret (3) Italus homo appellatus *Vlcilles Hirus*, apud Tullium Siculi quidam his cognominibus, *Posides Matro* (4), *Artemo Climachias* (5), *Diocles Phimes* (6), *Eubulides Grosphus* (7), *Apollonius Geminus* (8), aliique hujusmodi.

Quid si luculentis quoque inscriptionibus ostendo, externas familias, ne tum quidem, quum Latio aut civitate donatae essent, nomina sua omnes Romanorum more inflexisse? pergent ne isti nihilo secius pro sententia pugnare sua? atqui exempla praesto sunt bene multa: ut apud Maffejum *M. Abenna M. F. Euphemus* (9), *T. Calvenus Peculiaris* (10); apud Fabrettum *L. Nenolaus L. F. Crispus* (11), *C. Carrinas C. L. Philo* (12), aliique non pauci: quod ab Hagembuchio etiam animadversum est (13): sed unum alterumve exemplum proferre integrum juvat (14):

DIS · MANIBVS
C · CAEFRO · HERMETI
PATRONO · BENEMERENT · ET
CAEFRAE · MACEDONIAE
LIBERTAE · EIVS
C · CAEFER
FECIT · ET · SIBI · ET · LIBERTIS · LIBERTA
BVSQVE · POSTERISQVE · SVIS
IN · FRONT · P · X · IN · AGR · P · X·

addam epitaphio historicam inscriptionem, quae posita est anno Varr. DCCCCXXXV. (15)

Q · TERSINA · Q · F·
SCAP · LVPVS
FLOREN · MILES
COH · XII · VRB · 7 · DEX
TRI · GENIVM
CENTVRIAE · CVM
BASE · MARMOREA
TESTAMENTO
PONI · IVSSIT

POSITA · IDIB · APRIL·
MAMERTINO · ET · RVFO
COS·

nonne ambo hi cives Romani habendi sunt? quorum alter Patronus dicitur et libertos habuit, alter et tribum ciet Scaptiam, et in Cohorte urbana miles fuit? neuter tamen Romano more nomen auxit, ille *Caefer*, hic *Tersina* nominatus.

(1) in Hamilc. c. 1.
(2) l. 23. c. 27. n. 34.
(3) B. C. l. 1. c. 8. n. 16.
(4) l. 2. in Verr. c. 42. n. 102.
(5) ibid. c. 52. n. 128.
(6) l. 3. in Verr. c. 40. n. 93.
(7) ibid. c. 23. n. 56.
(8) l. 5. in Verr. c. 7. n. 16.
(9) M. V. p. 447. n. 6.
(10) ibid. p. 290. n. 8.
(11) p. 633. n. 286.
(12) p. 613. n. 108.
(13) Ep. Ep. p. 227. etc.
(14) Fabr. p. 611. n. 88.
(15) Murat. p. 340. n. 1.

Quidni igitur fas idem est nobis, qui ne Latini quidem sumus, aut cur deformare cognomina cogimur, quo Romana videantur, quum ne Romani quidem eadem semper lege sua ipsi nomina extulerint? nec tamen repugnabo, si quis ea maxime cognomina, quae a nominibus orta videntur, in IVS desinere velit, scribendumque censeat *Faustinius, Marinius, Martinius* et hujusmodi: id nempe indicio erit, cognomina haec esse gentilia, quae nominibus propriis subjecta sint.

Illud contra vix a risu defendi potest, quum quidam priores cognominum litteras immutant, et Latinum se cognomen fecisse arbitrantur, quum *Blancum* appellarunt, qui *Biancus* est, *Floriumque*, qui *Fiorus*, et *Plattum*, qui *Piattus*: cur enim quaeso Latina illa magis sunt, quam haec; aut quid habet elegantiae insertum L, quod in I desideretur? sed eos tamen probabo, qui magnarum gentium cognomina sic efferent, quemadmodum jamdiu clari scriptores latine usurparunt, esto longe aliter ab his prolata sint, quam vernacula nunc sonent lingua: cujusmodi sunt quaedam patrum Venetorum cognomina, quae Romanum habent numerum, et genus eorum produnt. nempe auctoritatem consuetudo superavit, cui serviendum est: ipsa autem eorum cognominum celebritas facit, ne cui obscura nunc aut incerta esse possint.

Quia demum nonnullos aliquando invenies, qui gemino utantur cognomine, si utrumque fuerit adscribendum, has fuisse veterum formulas memineris: P · IVVENTIO HERODI · QVI · ET · MVNNAS (1), M · AVR · PRIMIGENIVS · QVI · ET · DRACONIVS (2), PARDO · QVAE · ET · HIARINE (3), VLPIAE · SIVE · AELIAE · AVG · L · (4) atque hunc morem ne Christiani quidem veteres aspernati sunt, postquam patrum superstitione deserta, ad sacra nostra accessissent, ut altero cognomine genus, altero professionem testarentur suam. itaque Simplicia illa, quae sub Diocletiano martyrium fecit, appellatur in epitaphio Σιμπλικια ἡ και Καλωνυμος (5), eodemque modo alii, ut jam Buonarrotus animadvertit. ceterum in honorariis aliquot inscriptionibus nec antiquissimis alterum e cognominibus initio vel potius extra inscriptionem ipsam incisum leges: ut in Fabretti exemplis quibusdam apparet (6): in aliis vero, quae item minus antiqua sunt, multa uni et nomina et cognomina alterum post alterum adscribuntur (7):

P · CAECILIO · ALLIENIO
FAVSTO · MAXIMO
SEVERIANO . C · V ·
COS ·
CAECILIVS · GAIVS
IVN · ALVMNVS
PATRONO
INCONPARABILI

Si quando autem publicis, ut fit, operibus designandis nomen aliquod a cognominibus deducere opus erit, haec tibi regula esto, ut quae cognomina in VS desinant antecedente consonante, ab his derivata in INVS plerumque abeant: quae vero ante VS vocalem sumunt, ab iis semper in ANVS terminentur. nam id fere servat Tullius, cujus illa sunt, *Brutina consilia* (8), *partes Antiochinae* (9), *oratio Metellina* (10), *genus Theopompinum* (11): contra vero *Mariana quercus* (12), *Antonianae leges* (13), *judex Cassianus* (14), *fortunae Pompejanorum* (15). atque hac item ratione, si qua

(1) Fabr. p. 145. n. 169.
(2) id. p. 147. n. 179.
(3) id. p. 146. n. 178.
(4) id. p. 146. n. 176.
(5) Vetri p. 43.
(6) a p. 99. ad p. 102.
(7) Fabr. p. 203. n. 509.
(8) epist. 15. ad M. Brutum.
(9) l. 9. ep. 8. famil.
(10) l. 1. ep. 13. ad Attic.
(11) l. 2. ep. 6. ad Attic.
(12) l. 1. de leg. c. 1. n. 2.
(13) l. 12. ep. 14. famil.
(14) l. 3. in Verr. c. 60. n. 137.
(15) pro Sull. c. 21. n. 62.

forte cognomina ad tertiam declinationem pertinere volueris, ab his derivata efferri debent: nam et apud Tullium legitur *Caesariana celeritas* (1), *Catoniana familia* (2). eodemque modo quae ab illis orta cognominibus, quae exitus in A habent: ut a *Cinna Cinnanus* (3), a *Catilina Catilinanus* (4), quamquam Tullius *Catilinarium* habet (5). rarius illud, ut eodem modo possessiva nomina efferantur, tum etiam, quum a patriis casibus originem ducunt, quorum I nulla vocalis praecedat littera: exempla tamen et hoc quaedam sustentant: namque a *Tertulli* est SC· *Tertullianum*, a *Philippi* Cohortes Praetoriae *Philippianae* (6), a *Germanici* Minister *Germanicianus* (7), jam et cognomen operibus idem aliquando impositum, quod eorum auctoribus esset, nulla accessione litterarum: sic *Via Trajana*, *Aqua Trajana* in Trajani nummis legitur, quemadmodum a gentili nomine dicta *Via Pompeja, Basilica Vlpia, Forum Aurelium, Porta Naevia* et hujusmodi.

Quod si a cognomine aliquo appellandi fuerint collegiorum sodales, eos quidem non male apposito denominaveris, quod in ANI desinat; sed fortasse rectius, si desinat in ALES. fuere utique antiquitus sodales quoque *Aureliani, Antoniniani, Severiani, Helviani:* sed ceteri a cognominibus aut praenominibus dicti *Augustales, Titiales, Trajanales, Hadrianales,* et hujusmodi: quin etiam a gentili nomine *Claudiales, Flaviales.* porro et spectacula eodem pacto appellare poteris, quemadmodum ludi quidam dicti olim *Augustales, Florales, Consuales, Martiales*: sed alias quoque diversa plane ratione denominatos reperies, uti *Marcellea, Verrea, Neronia.*

Contra vero ipsi occurrent Augusti, qui cognomina a devictis gentibus sumpserint, quae sic derivata sunt: *Germanicus, Britannicus, Parthicus, Armeniacus* et hujusmodi, ut ea etiam, quae sibi veteres duces pepererant, *Creticus, Achaicus, Isauricus,* excipe Scipiones, qui *Africani* dicti sunt. enimvero controversia olim orta Mediolani (8) fertur, quum ad eam urbem Ferdinandus regis Hispaniarum Philippi frater venisset, utrum is *Austrius*, an *Austriacus* appellandus esset: nam in arcuum, quos excitarant, titulis alii *Ferdinando Austrio*, alii vero *Austriaco* inscripserant. primum illud plerisque probatum est: quippe et ab *Italia Italos* homines nominari ajebant: sermonem autem *Italicum,* regnum *Italicum* dici, eodemque modo Imperium *Austriacum.* mihi tamen hoc alterum arridet magis: quod hoc jam quasi cognomine eorum Principum proprio uti solemus, non ut natale solum, sed ut principalem dignitatem designemus.

III· Nunc *a diverticulo repetatur fabula.* post cognomina veteres patriam enunciabant, non omnibus quidem in titulis, sed in iis fere semper, qui domi propositi ad externos pertinerent (9); nisi forte de senatore Romano aut de femina clarissima ageretur, quorum scilicet patria aliis indiciis prodebatur. patriae porro indicandae non una ratio. saepe urbis nomen sexto casu adscribebant (10):

Q · MODIO · Q · F ·
POLLIA · AMO
MO · PARMA
MIL · COH · VIII · PR · 7 ·
NEPOTIS · MIL · AN ·
XVI · VIX · ANN ·
XXXIIII · GAVIVS
SEVERVS · AMICVS
FECIT

(1) l. 16. ep. 10. ad Attic.
(2) l. 2. ep. 6. ad Q. Fr.
(3) Cor. Nep. in Att. n. 2.
(4) Plin. H. N. l. 2. c. 51. n. 52.
(5) Or. 2. in Cat. c. 10. n. 23.
(6) Maff. M. V. p. 325. n. 1.
(7) Grut. p. 602. n. 9.
(8) Boldon. Epigr. l. 2. p. 106.
(9) Maff. Art. Cr. Lap. p. 210.
(10) Maff. M. V. p. 123. n. 6.

nec alio modo loquutus aliquando C. Caesar (1), cujus haec sunt verba: *C. Felginatem Placentia, A. Gravium Puteolis, M. Sacrativirum Capua tribunos militum*. sed in lapidibus non raro urbis nomini praepositum videas *Domo*, ut Virgilius dixit *Qui Caerete Domo* (2): ita nempe municipium quisque suum appellabat, quod Roma, ut ait Modestinus (3), *communis patria* erat (4).

C · TVTILIO · HOSTILIANO
PHILOSOPHO · STOICO
DOMO · CORTONA
PATRI · OPTIMO
C · TVTILIVS · IVSTVS
FILIVS
TVTILIA · QVINTA
TVTILIA · QVARTA
FILIAE

Romae inventus hic titulus est via Labicana: nec ad militem pertinet, ut neque hic alter (5):

C · TILLIO · C · L · CELERI
DOMO · CORTONA
VI · VIR · AVGVSTALI
LIBERTI · EIVS

hanc tamen formulam in militaribus tumulis saepius occurrere, non inficior: in quibus etiam, quia milites ab agris potissimum arcessebantur, omissa municipii appellatione, regio aliquando aut provincia nominatur (6):

L · SVPERINIO
SEVERO · NAT·
PANN · (7) VIX · AN·
XLV . MIL · A · XXV·
III · NEPTVNO
IVLIVS · VRSIO
HER · BENEMER·
P· C·

ceterum fallitur, qui *Natione adscriptum* putat pro *Gente* aut *Populo*: est enim pro *genere* aut *ortu*, perinde ac si scriberes, *Genere Pannonio*, vel *Nato in Pannonia*: itaque leges quoque *Natione Arretio* (8), et de tribu simul atque urbe, *Natione Offentina Mediolanensi* (9): quumque tribui patria jungebatur, haec quoque cognomen praecedebat (10): sed nihil istud ad nos, qui tribum non habemus.

Hoc item pacto indicata patria est, *Natus Mevaniae* (11), *Oriundus Gaza* (12); rarius vero gentili nomine, *Saetabianus* (13), *Syracusanus* (14). deinde, quia alia quidam in urbe orti, in alia vivebant, ut apud Livium Tarquinius ille Priscus *Demarati Corinthii filius*, *incola ab Tarquiniis* (15), et apud Tullium Cato *ortu Tusculanus*, *civitate Romanus* (16); idcirco utrumque inscriptio interdum nos docet, quae loci patria, quae juris esset: exemplo sit, quam in Galliis Maffejus vidit (17):

C · TVLL · FLAMINIVS
DECVRIONIS · FILIVS
DOMO · CATINA · EX · PROVIN
CIA . SICILIA · INCOLA · ANTI
POLITANVS · SIBI · ET · S·

(1) B. C. l. 3. c. 21. n. 71.
(2) Aen. l. 10. v. 183.
(3) l. 33. D. ad Municip.
(4) Gor. Symb. Flor. t. 8. p. 14.
(5) Maff. M. V. p. 366. n. 1. v. Fabr. p. 406. n. 315. etc.
(6) Fabr. p. 365. n. 117.
(7) *Pannonio*.
(8) Don. Cl. 6. n. 181.
(9) Vignol. in Select. p. 212.
(10) Fabr. p. 341. n. 518. etc.
(11) Don. Cl. 6. n. 15.
(12) ibid. n. 168.
(13) Fabr. p. 178. n. 368.
(14) Inscr. Sicil. Cl. 12. n. 55.
(15) l. 4. c. 2. n. 3.
(16) de leg. l. 2. c. 2. n. 5.
(17) Ant. Gall. epist. 12.

et quia honori vertebatur, si quis non uno in municipio civitate donatus esset, multarum aliquando urbium cives esse quidam dicuntur: quod etsi Tullii aetate civi Romano fas non erat: quippe, ut ille ait, ex jure civili duarum civitatum nemo esse poterat (1); sub Augustis tamen ex ipsorum indulgentia licuisse, diserte ostendit Spanhemius (2), et Hispana item declarat inscriptio: quam Maffejus ideo fortasse e Gruteri volumine (3) expungendam duxerat (4), ut in Museum suum recepta (5), duarum jam civitatum esse desineret:

L · AELIVS · M · F · M · NEP · QVIR ·
RECTVS · DOMO · ROMA
QVI · ET · CARTHAGINENSIS ·
ET · SICELITANVS · ET · ASSOTAN ·
ET · LACEDAEMON · ET · ARGIVVS
ET · BATESTANVS · *SCRIBA*
QVAESTORIVS · SCRIBA · AEDI
LICIVS · CIVIS · ADLECTVS
OB · HONOREM · AEDILITATIS
HOC · OPVS · TESTAMENTO · SVO
FIERI · IVSSIT

Hic autem animadvertendum est, urbes nobis ex veterum praescripto sic esse designandas, ut quae ambiguae sunt, certis semper indiciis distinguantur. Tifernum exempli gratia, quia geminum erat, *Metaurense* et *Tiberinum*, nunquam sine apposito enunciatur (6):

D · M ·
C · IVLIO · C · F · CLV · PROCVLO
TIFERNIS · TIBERINIS
MIL · COH · VII · PR · 7 · NEPO
TIS · V · A · XXXVI · MIL ·
A · XVI · TESTAMENTO
FIERI · IVSSIT · CVRAVIT · FIERI
C · IVLIVS · BARBARVS
LIB · PATRONO · BENEMERENTI

sic quia multis olim urbibus *Antiochia* nomen fuit, idcirco leges in Grutero (7), C · VETTIO · C · F · COL · NIGRO · DOMO · ANTIOCHIA · SYRIA: quamquam provincia interdum adjecta est vel sine caussa: nam quis olim ignorabat, Nemausum, exempli gratia, in Gallia Narbonensi sitam esse? utrumque tamen hoc in titulo legimus, et, quod rarum est, post gradus militares (8):

IOVI AVG ·
M · CENSORIVS
M · F · VOLTINIA
CORNELIANVS · 7 · LEG ·
X · FRETENSIS · PRAE
FECTVS · COH · I ·
HISP · EX · PROVINCIA
NARBONE · DOMO
NEMA · V · SOL · L · M ·

Pagos vero cognomines, nedum urbes (9), sic aliquando designarunt, ut alterum majorem, alterum minorem appellarent (10):

(1) pro Caec. c. 34. n. 100.
(2) ad Const. Anton. exerc. 1. c. 4. in fine.
(3) p. 174. n. 3.
(4) Art. Cr. L. l. 3. c. 4. p. 300.
(5) p. 466. n. 15.
(6) Gor. Inscr. t. 2. p. 338.
(7) p. 567. n. 10.
(8) Maff. M. V. p. 446. n. 6.
(9) Murat. p. 582. n. 1.
(10) Oderic. Syll. p. 186.

GENIO
TI · CAESARIS
DIVI · AVGVSTI
FILI
AVGVSTI
C · FVLVIVS · CHRYSES · MAG ·
PAGI · AMENTINI · MINOR ·
DONVM · DEDIT
V · K · IVN ·
L · CALPVRNIO · PISONE
M · CRASSO · FRVGI · COS ·

his fere modis patriam veteres adscribebant sive mortuis sive vivis; quam tamen, ut saepe in virorum, sic perraro in feminarum monumentis leges. quippe quae rarius apud externos honore affici, et rarius loco peregrino diem suum obire solent.

V. Iis, qui sacerdotio, aut magistratu extra patriam functi essent, aut honorem decurionatus adepti, municipium appositum esse, in quo haec gesta fuissent, jam adnotavimus. tum militibus praeter patriam, quae plerisque adscripta est, legionem etiam singulis aut cohortem centuriamque vel alam vel turmam vel trierem adjectam, in qua quisque meruisset, exempla passim declarant. quamquam non hoc omittendum, quia legiones et cohortes pleraeque stativa praesidia erant, quae imperii Romani fines tuebantur, idcirco id etiam adjectum esse, qua quaeque in provincia stativa castra haberet: quod bis exhibet marmor nuper in agro Tiburtino effossum:

M ·
CLAVDIO · TI · F ·
PAL · PAVLO
PRAEF · COH · I · THRAC ·
IN · BRITANN ·
TRIB · LEG · XIII · GEM ·
IN · DACIA
SCRIB · AEDIL · CVR ·
CVRAT · CIRCEIENSIVM
P · FLAVIANVS · ET · PAVLIA
PAVLINA · PATRI
OPTIMO

Addo nunc ad operarios homines artificesque quod pertinet, patriae loco regionem urbis aut viam interdum indicari, ubi domus illis aut taberna erat (1):

C · VENNIVS · C · L ·
XANTHVS
CARPENTARIVS
A · VIC · III · ARAR ·

a *Vico* scilicet *trium ararum*, quem Rufus et Victor in prima urbis regione memorant. sic praeco quidam *Vibioninus* DE · REGIONE · PORT · CAPEN · fuisse dicitur (2), et *Livius* quidam *Auctus* PRAECO · DE · SVBVRA (3), et *C. Fufius Zmaragdus* MARGARITARIVS · DE · SACRA · VIA (4), et *Cn. Pompejus Phrixus* DOCTOR · LIBRARIVS · DE · SACRA · VIA (5): atque his quidem honoris caussa adjectum id videtur, quo nempe constaret, artifices eos fuisse minime vulgares, quum in celeberrima via atque inter summos et elegantissimos totius urbis opifices tabernam haberent.

(1) Fabr. p. 718. n. 397.
(2) Grut. p. 626. n. 2.
(3) id. p. 625. n. 10.
(4) Reines. Cl. 11. n. 110.
(5) id. ibid. n. 123.

Porro locum aliquando vel sine praepositione indicarunt, ut hoc in exemplo (1):

T · FLAVIVS · T · LIBERTVS
PHILIP · VNGVENTARIVS
VIC · LOR · MIN·
FECIT · ET · SIBI · ET · FLA
VIAE · SPERAT · FIL · SVAE

Vico Loreti Minoris, nam et alter fuit, cui nomen *Loretum Majus* (2), uterque in regione decima tertia. at binae contra praepositiones alias adhibitae, ut apud Reinesium (3), *C. Iulius Epaphra* POMAR · DE · CIRCO · MAXIMO · ANTE · PVLVINAR (4).

VI· Restat, ut de consanguinitatis atque aevitatis appellationibus aliquid dicamus. saepe enim nominibus apposita jungi ea debent, quibus propinquitas designetur, aut duorum aetas inter se conferatur. mitto hic matronas, de quibus jam monui libro primo (5), vix eas cieri unquam, quin post nomen earum vir etiam patrio casu appelletur. mitto et *Nepotes*, quo nomine qui olim significati sint, ibidem dixi (6). *Illud notandum est*, inquit Paullus jurisconsultus (7), *non, quemadmodum patris matrisque fratres et sorores patrui, amitae, avunculi, materterae dicuntur, ita fratris sororisque filios filias nomen speciale cognationis habere: sed ita demonstrari, fratris sororisque filios filias*. vides igitur, quam temere quidam hos compellent *Nepotes*: quibus sane antiqui etiam tituli adversantur (8):

IMBRASVS
V · A · XX·
TI · CLAVDIVS · IASVS
ERATI · L·
FRATRIS · F · DONAVIT

(9)

ACVIA · POLLA · SO
RORIS · FILIAE
BENEMERENTI
FECIT · MARCIAE
BASSILLAE · VIXIT
ANNIS · XII·

eodemque modo apud Reinesium (10) legimus, *Sororis Filiis*, non *Nepotibus*. jam quae viri sui soror esset, eam *Glorem* uxor appellabat, fratremque viri *Levirum* (11). at viri frater uxorem ejus non *Cognatam*, sed *Fratris Vxorem* dicebat (12): ut soror uxoris virum hujus *Sororis Virum*: quamquam hic aliquando et *Sororius* dictus est, etiam ab uxoris fratre (13).

At quo, inquies, nomine patrui aut avunculi mei uxorem appellem? nullum huic fuisse Latinum nomen satis indicat Tullius, qui ne materterae quidem virum, nisi proprio nomine designavit, quum alios simul consanguinitatis appellationibus nominaret: ait enim: *Quod de Crasso pater, et Aculeo, quocum erat nostra matertera, quem Crassus dilexit ex omnibus plurimum, et patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus* · · · · · (14) atque hunc ipsum C. Aculeonem materterae suae virum paullo

(1) Don. Cl. 7. n. 29.
(2) Grut. p. 134. n. 1. et 250. ser. 3.
(3) Cl. 11. n. 79.
(4) v. inscr. 123.
(5) ad inscr. 52.
(6) ad inscr. 177.
(7) l. 10. D. de grad. et adfin.
(8) Bianchin. Inscr. sep. c. 5. p. 69. n. 11.
(9) Fabr. p. 597. n. 5. v. et Grut. p. 845. n. 1.
(10) Cl. 6. n. 103.
(11) Modest. l. 4. D. de grad. et adfin.
(12) Fabr. p. 755. n. 610.
(13) Reines. Cl. 16. n. 6.
(14) de orat. l. 2. c. 1. n. 2.

ante *propinquum* tantum suum appellaverat. porro ut *Matertera* matris meae soror est, sic *Amita* patris. *Patrueles* et *Consobrini* notae appellationes sunt: *Sobrinus* autem dicitur, qui ex patris mei consobrino natus est. quid si epitaphium ei posuerim, qui ex sorore patris mei natus sit, quo eum nomine propinquum meum esse declarem? *Amitinos Amitinas* dici, ait Cajus (1), *qui quaeve ex fratre et sorore propagantur:* itaque inscribam *Amitino*. qui autem patre meo et noverca natus est, is a me *Frater Consanguineus* appellabitur: quique matre mea et vitrico natus sit, *Frater Vterinus* (2). at vitricus in antiquis epitaphiis non raro *Patraster* dictus est (3), et privignus *Filiaster* (4): non haec tamen priscis nominibus praeferenda videntur. ceteras hujusmodi appellationes, si quando tibi opus erit, Digestorum titulus suppeditabit (5), qui est *De gradibus et adfinibus et nominibus eorum*.

Denique ad discrimen personarum haec faciunt: primum si patrem a filio nomina non distinguerent, expeditissimum olim visum est sic efferre (6):

M · NONIO · M · F · BALBO
PATRI
D · D ·

(7)
L · HOSTILIO · L · F · AEM · TVLLO
FIL ·
DECVR · VRBE
SALVIA

vel etiam filius *Iunior* dicebatur (8), et pater *Senior* (9):

LVCCEIO · ALEXAN
DRO · PATRI · LVCCEII
ALEXANDER · IVN ·
ET · AGAPE · ET · FELIX
FILI · B · M ·
FECERVNT

APP · MADIO · EV
DAEMONI · SENIO
RI · APP · MADIVS
EVDAEMON · FIL ·
ET · MADIA · ZOE
COIVGI · B · M ·
FECERVNT

interdum vero alter *Major* appellatus, et alter *Minor* (10): quamquam fratres saepius et libertos appellatione hujusmodi distinctos esse reperias (11): tum eos quoque nonnunquam, qui ob nominis similitudinem decipere possent, nulla licet necessitudine conjuncti essent: ecce enim duo Iulii alter e tribu Quirina, alter e Voltinia, e quibus secundus *Minor* dicitur (12):

(1) L. 1. D. de grad. et adfin.
(2) Cajus l. 2. instit. tit. 8. l. 21. C. de excus. tutor.
(3) Maff. M. V. p. 360. n. 7. etc.
(4) ibid. p. 319. n. 2. etc.
(5) lib. 38. tit. 10.
(6) Gor. Symb. Fl. t. 1. p. 104.
(7) Don. Cl. 5. n. 116.
(8) Fabr. p. 370. n. 138.
(9) id. p. 30. n. 139. Reines. Cl. 5. n. 23.
(10) Vit. Inscr. Ben. Cl. 4. n. 31. Fabr. p. 370. n. 143.
(11) Don. Cl. 9. n. 3. Fabr. p. 371. n. 147. Reines. Cl. 15. n. 25.
(12) Don. Cl. 6. n. 179.

DIS · MANIBVS
C · IVLIO · C · F · QVIR·
IANVARIO
7 · COH · IX · VRBAN·
C · IVLIVS · C · F · VOL·
IANVARIVS
MINOR
7 · COH · VII · PRAET·
FECIT · ET · SIBI
ET · SVIS · LIBER·
IN · FR · P · XIS · IN · AG · P · XIIXS·

quod si viros duos cognomines eodem casu efferrent, tum vero hanc aetatis notam utrique veteres adscribebant (1):

L · ANNIO · L · L · DIPHILO · MAIORI
L · ANNIO · L · L · DIPHILO · MINORI
L · ANNIVS · DIOMEDES · LIBERTEIS

Contra si plures diversis cognominibus, quae jam a Flaviorum temporibus fratres distinguere solebant (2), uno in titulo enunciandi essent, usu olim receptum erat, ut omissis praenominibus, commune nomen plurali numero scriberetur (3):

CONCORDIAE
AVG · SACR·
RAEDONII · VIC
TORINVS · TERTIVS
ET · INGENVVS
FRATRES · ARAM
CVM · SIGNO . EX
VOTO · POSVERVNT
L · L · M·

sic apud Donium leges (4), LACERIIS · FAVSTINAE · PAVLINAE · SATVRNINAE · SORORIBVS · SANCTIS: at ubi duo tantum ciendi essent, numerum non semel additum vidi (5):

VOLVMNI · DVO
VERVS · ET · SEVERVS
DIANAE · INVICTAE
D· D·

Haec sunt, quae de tota inscriptionum nomenclatura mihi perstringenda esse visa sunt, quo ea etiam plana fierent, in quibus multi saepe nonnihil offenderunt.

(1) Fabr. p. 371. n. 147.
(2) Bimard. Remarq. sur la sc. des Medaill. t. 2. p. 318.
(3) Maff. M. V. p. 380. n. 6.
(4) Cl. 7. n. 38.
(5) Spon· sect. 3. p. 73. Fabr. p. 615. n. 128. etc. Don. Cl. 2. n. 26.

CAPVT II

De rerum delectu et dignitate inscriptionum

I. Quamquam argumentum inscriptioni ab iis fere praescribatur, quorum res agitur; non ea tamen definire etiam solent, quae omnino comprehendi velint. vel si qui multa proponunt aut petunt, non adeo difficiles sunt, ut scriptoris auctoritati nunquam adquiescant. quare non inutile erit, si quid etiam de rerum delectu dicetur, unde maxime inscriptiones dignitate afficiuntur.

Perraro sane continget, ut inscriptionem exordienti non multa occurrant, quae iis si conferas, quae priscis in exemplis legimus, partim humilia, partim levia atque exigua videantur. neque enim semper rerum magnitudine et dignitate certare possumus. sed tamen Romanos illos veteres multo quisque facilius verbis, quam rebus aequaverit. neque id tibi difficile erit, siquidem, quae dignitatem inscriptioni eripere possint, prudens relinquas. templum, puta, a solo excitatum exaedificatumque sit: ridicule quis Vitruvium compilet, ut singulas templi enumeret partes. M. Agrippa, tanta illa Panthei mole exstructa, non ejus nomen inscripsit, non tholi, non porticus, non columnarum mentionem fecit, id unum professus, *Se Fecisse*: quippe cetera quisque videndo nosse poterat. nec vero multo plura inscribenda erunt, si templum alter inchoaverit, alter perfecerit: nam opera et sumptus utriusque satis est, si in rationum tabulas referantur. ecce tibi ex hoc genere vetus inscriptio, eaque dictionis prope singularis, sed quae tamen leve nihil aut inutile refert (1):

FORTVNAE · FÁNVM

AB · C · VÍBIO · VÁRO · PATRE · INCHOATVM

Q · CAESIVS · MACRINVS · PERFECIT · ET · DEDICAVIT

atque huic persimilis altera, *Histriae Fanum* iisdem auctoribus constitutum (2) declarans. si quid tamen memoria dignum ad ipsam templi exstructionem pertineat, ut si ob Principis salutem aedificatum fuerit, aut ab eo solum operi adtributum sit, non erunt haec tibi praetermittenda: quum non modo a Principis nomine decus aliquod inscriptioni accedat, sed etiam ipsa narratio, insigni operis caussa prolata, quasi complementum habere videatur (3).

Statuas autem in templis positas, bases, columnas, gradus et hujusmodi recte in titulo quis enumeret, quum haec veteri operi adjecta fuerint, nec in templi fronte inscriptio legi debeat: quamquam ne haec quidem ab artificio commendanda aut poëtarum more appositis illustribus distinguenda sunt. id scilicet unum docendi sunt posteri, quae res et cujus sumptu aut opera restituta aut dedicata sit; de pulchritudine, de symmetria, de pretio per se ipsi judicabunt.

Iam eundem in operum publicorum inscriptionibus servari modum videas: in quibus quid factum sit, nullo adjunctorum inutilium apparatu ornatuve enunciatur. ceteris id genus exemplis adde hoc e lapide descriptum, qui olim in agro Reatino prope Cutilias repertus est (4):

(1) Maff. M. V. p. 85. n. 4.
(2) id. p. 85. n. 2.
(3) v. inscr. 15. et 250.
(4) Fabr. p. 400. n. 292.

IMP · CAES · DIVI
NERVAE · F · NER
VA · TRAIANVS
AVG · GERMAN·
DACICVS · PONTIF·
MAXIMVS · TRIB·
POTESTATE · XV · IMP ·
VI · COS · V · P · P · SVB
STRVCTIONEM · CON
TRA · LABEM · MONTIS
FECIT

nec ita paucae numero sunt, quae ne nomen quidem operis referant, ne dum partium singularum: in oculis enim erat ipsa moles, de qua inscriptio loquebatur. atque ea fere, quae omnium aedificiorum propria sunt, sine quibus attolli moles non solent, omittenda item veteres putaverunt: satis nimirum haec quoque in ipso opere eminebant. eodemque modo quae restituta essent, generatim ac sine fuco explicare soliti: ut minime ad veterum normam directae eae sint inscriptiones, in quibus de singulis restituti operis molitionibus mentio fit: ut si in aquaeductu refecto inscribas, *Piscinas limarias purgatas esse, aquae libramentum restitutum*, et alia hujusmodi, quae in ductuum restitutione fieri necesse est: esto, nihil titulus referat non ex Frontini penu depromptum; ea tamen referat, quae antiqui minuta nimis atque inutilia ducebant.

II· Quid de ipsa operis caussa sive ratione dicam, in qua explicanda plerique diligentiores, quam opus sit, reperiuntur? quippe inscriptio jam nulla fit, in qua quid conditores spectarint aut spectasse videantur, multis verbis enunciari non soleat, quod apud veteres contra fuit: id enim primum in privatorum potius, quam in Principum titulis proferendum putaverunt; tum eam fere caussam tantummodo indicarunt, cujus nullum in ipsis operibus indicium esset: ut quum adscribebant, opus *In Honorem Imp. Caesaris* exstructum esse, aut signum *Ob Honorem Quinquennalitatis* dicatum. quod si et statuas ad aedificii publici *ornatum* et *celebritatem* positas aliquando addiderunt, eo id consilio factum apparet, ut significarent, eas publicum in locum non ex testamento, aut gratiae referendae caussa, sed sponte a se, et quodam publicae dignitatis studio inlatas esse: quorum sane consilium sola inscriptione indicari poterat. caussam autem rationemque operis publici, quam quisque, rem oculis usurpando, assequi posset, nemo tum attingebat: itaque neque aquam humanos in usus adductam, neque pontes ad flumina transmittenda factos, neque portus navibus recipiendis apertos quisquam adnotavit. Princeps vero, quod magna cum semper ac publica spectare par erat, nec eorum, quae gereret faceretque, rationem populo reddere, satis decorum videbatur, ne penitiores quidem caussas declarabat; ac nisi novam insignemque plane rationem sequutus esset, nihil omnino de consilio suo unquam addebat. multo illud minus cuiquam curae fuit, ut indicaret, quod nunc fit, iis se operibus *Rei Publicae Consuluisse*, aut *Vtilitati Publicae Prospexisse*: quae nunc quum leguntur, rogare, opinor, quis possit, inventi ne unquam Principes sint, qui in perniciem exitiumque civium aquas adduxerint, aut vias munierint, aut flumina pontibus junxerint? nihil profecto simile antiquis in exemplis legi, quum in his passim muri, turres, portae factae aut restitutae occurrant, et emporia, porticus, atria exstructa, et aquae adductae aut reductae, et viae silicibus stratae, et clivi in planitiem redacti, et pontes fluviis impositi, aliaque hujusmodi, unde magnus fere utilitatis fructus in cives omnes redundabat.

Sed tamen haec ipsa honorariis inserta inscriptionibus nemo jure reprehendet: quae sane veteres etiam addiderunt. ad Anconis portum in arcu, quem senatus Trajano di-

cavit, diserte scriptum est (1), *Quod Accessum Italiae Hoc Etiam Addito Ex Pecunia Sua Portu Tutiorem Navigantibus Reddiderit*: et in basi statuae, quae Trajano item posita est ob Circum Maximum restitutum ampliatumque, haec leges (2), *Quod Liberalitate Optimi Principis Commoda Earum* (Tribuum xxxv·) *Etiam Locorum Adiectione Ampliata Sint.* nimirum in hujus generis inscriptionibus, quae senatus et civium nomine ponebantur, non levis erat caussa, cur beneficia Principis magnifica potius, quam simplici oratione explicarent: sic enim non modo beneficii magnitudo, sed etiam grata voluntas civium magis elucebat.

Quamquam ea quoque ratio interdum probata, ut beneficium Principis apposito potius, quam narratione celebrarent: in quo dignitatis aliquando plurimum esse potest. inest enim Latinis quibusdam in verbis vis plane singularis ad significationem rerum maximarum: cujusmodi illa sunt RESTITVTORI · AEDIVM · SACRARVM, LOCVPLETATORI · CIVIVM, PROPAGATORI · ORBIS · TERRARVM, PATRI · EXERCITVVM, ADSERTORI · LIBERTATIS et id genus alia. itaque melius aliquando beneficii magnitudinem titulo hujusmodi brevissimo, quam vel longa oratione assequare: praesertim si locus ipse atque opus, in quo inscriptio legenda sit, aliquid praeterea exhibeant, unde hospites quoque cetera intelligere ac cognoscere facile possint. quamobrem, quum audio, consilium esse earum civitatum, quae agrum Pomptinum attingunt, ut, quoniam PII · VI · PONT · MAX · providentia exsiccatis paludibus, multa in singulas commoda derivata sunt, fornicem in ipsa via Appia Trajana aere communi constituant ad ejus beneficii memoriam sempiternam; soleo mecum de inscriptione cogitare, quae tanto monumento convenire maxime videatur. ac primum hoc mihi fingo, in summo illo fornice statuam Optimi Principis stare, atque hinc Amasenum inde Vfentem ad pedes jacere, urnis invicem conversis: tum ad arcus latera urbium earum simulacra addita, quemadmodum in statuae basi fuisse diximus (3), quae Romae Tiberio a Civitatibus Asiae dedicata est. jam inscriptio, quae praeclaro illi arcui congruat, hisce aut similibus concludi verbis posse mihi videtur:

PIO · VI · OPTIMO · FELICI · AVGVSTO
PONTIFICI · MAXIMO · PATRI · PATRIAE
VELITERNI · SVLMONENSES · SETINI
PRIVERNATES · TARRACINENSES
PROPAGATORI · AGRORVM

nam aquarum quidem in eo olim tractu stagnantium memoriam quae unquam vetustas delebit? cetera vero viatores, quicumque per Appiam commeabunt, oculis ipsi suis dispicient, mirabuntur, ii etiam, qui nihil ex iis viderint, quae poëtae, oratores, historici de tanto opere vel scripserint vel scripturi sint.

Verum appositis hujusmodi non ubique nobis utendum est: quemadmodum et veteres, quae magnis rebus convenirent, non eadem et parvis recte aptari putaverunt. hac certe formulae in honorariis Decurionum municipalium titulis vix apparent. beneficia quidem ipsa commemorarunt (4), ob quae honos habitus esset; at simplici plerumque enunciatione exposuerunt, siquidem nec multa numero, et magna pretio viderentur. minuta vero et levia, ea sic fere designata: *Ob Munificentiam Ejus, Ob Merita, Patrono Municipii, Praesidi Optimo* et similia, quae plus aliquid tamen significabant, quam quod ipsorum, ut opinor, beneficiorum enumeratione indicari aliquando potuisset.

Eodem saepe modo auctores sepulcrorum defuncti virtutes et accepta ab eo bene-

(1) v. inscr. 92.
(2) v. inscr. 90.
(3) v. inscr. 428.
(4) v. inscr. 106. 107. 108. etc.

ficia enunciarunt: leges enim *Optimae Et Sanctae Patronae De Se Benemeritae, Patrono Indulgentissimo, Patrono Benemerenti Pientissimo, Parentibus In Exemplum Piissimis, Patri Incomparabili, Matri Piissimae Et Indulgentissimae* et quae sunt hujusmodi. si quando exigua quaedam et levia nominatim expressa offendes, ea ad feminas fere atque pueros pertinere videbis (1)? nam in virorum illustrium monumentis si qua narratio instituitur, nihil ea nisi praeclarum continere solet. atque id multo magis in ellogiis servatum est: qua de re satis partitione superiore jam egimus.

In constitutionibus autem publicis nullus rejectioni locus esse videtur: quae enim constituta aut praescripta fuerint, eà antiquis, quantum fas est, formulis singula efferenda sunt. ceterum ex eo ornatu, qui nunc quibusdam probatur, nisi multa praecideris, elegantiam facilius privati scriptoris, quam priscam magistratuum referas dignitatem. excipe enim edicta quaedam et decreta nonnulla municipalia, in quibus uberiorem dicendi rationem veteres sequuti sunt: in reliquis ambitu verborum usi contracto et brevi, et rerum delectu satis exquisito atque parco. leges ipsae, etsi multa fieri jubent aut vetant; tamen quum brevi plane exordio et brevi ornantur sanctione, tum nihil habent alienum, nihil inutile, nihil inflatum ac tumens. ad summam nihil antiquis in exemplis eminet magis, quam parsimonia quaedam et modus.

III· Ne illud quidem in qualibet inscriptione postremum haberi debet, ut veritate nitamur. actum erit apud aequales nostros de dignitate inscriptionis, si assentari cuiquam aut posteros fallere videamur. quis enim non stomachetur, et cum irrisione titulum non legat illum, in quo multa falso memoriae prodi et impudenti mendacio praedicari videat? ac turpissimum sane est, quae laus recte factis debetur, eam inertiae tribuere: ingenioque et litteris ad ambitiosorum arbitrium abuti, quibus una nobis commendanda virtus est. nec vero eorum tantum auctoritas imminuitur, qui laudis praeconium indignis hominibus impertiuntur; sed horum etiam existimationi multum detrahitur, ac plus saepe, quam meruerint: facit enim indignatio, ut quum aliquid certo falsum deprehendimus, cetera etiam ficta credamus. vides ne, ut Tullius Staienum illum irriserit, qui in statuis auratis, quas ad Iuturnae posuisset, subscripserat (2), *Reges Ab Se In Gratiam Esse Reductos?* ut Verrem idem exagitarit, quod et in Sicilia et Romae in basi statuarum ejus maximis litteris incisum esset, *A Communi Siciliae Datas* (3)? multo vero graviora sunt Plinii minoris verba (4), ubi monumentum Pallantis liberti via Tiburtina intra primum lapidem se adnotasse refert, sic inscriptum:

HVIC · SENATVS · OB · FIDEM · PIETATEMQ·
ERGA · PATRONOS
ORNAMENTA · PRAETORIA · DECREVIT
ET · II.S · CENTIES · QVINQVAGIES
CVIVS · HONORE · CONTENTVS · FVIT

in quae subinde vehementer invectus, demum *ridere*, inquit, *satius* est, *ne se magnum aliquod adeptos putent*, *qui huc felicitate perveniunt*, *ut rideantur*: qui etiam non minus graviter de senatus consultis questus est, quae de his rebus facta, in aere incisa, et ad statuam loricatam *Divi Iulii* fixa fuerant. haec enim scripsit ad Montanum (5): *Parum visum tantorum dedecorum esse curiam testem: delectus est celeberrimus locus, in quo legenda praesentibus, legenda futuris proderentur: placuit aere signari omnes honores fastidiosissimi mancipii: quosque repudiasset, quosque, quantum ad decernentes pertinet, gessisset: incisa et inscalpta sunt publicis aeter-*

(1) v. inscr. 166. 170. 193. etc.
(2) pro Cluent. c. 36. n. 101.
(3) l. 2. in Verr. c. 63. n. 154.
(4) l. 7. ep. 29.
(5) l. 8. ep. 6.

nisque monumentis praetoria ornamenta Pallantis sic, quasi foedera antiqua, sic, quasi sacratae leges. tanta Principis, tanta senatus, tanta Pallantis ipsius, quid dicam, nescio, ut vellent in oculis omnium figi Pallas insolentiam suam, patientiam Caesar, humilitatem senatus.

Liquet igitur non Pallanti, non senatui, non ipsi Imp. Claudio honori fuisse, quod aut ille ambitiose concupierat, aut hi cum adsentatione tribuerant; de quibus quum tam severe a posteris judicatum sit, quid putemus sensisse aequales eorum temporum, qui liberti illius animos etiam et supercilium ferre deberent? at quidam fortasse ex iis, qui ad adsentationem eruditi sunt, illud opponent, titulis nempe omnibus, sive adulator eos sive laudator confecerit, suam semper manere dignitatem: quum haec non a rerum potius veritate, quam a splendore verborum ac stilo pendeat. id vero si ita esse velint, jam et si quis templum aliquod aut fornicem e tabulis telisque bene pictis constructum, in titulo marmoreum vocet, columnasque solidas et simulacra ipsa Pario e lapide esse dicat; is etiam tituli dignitati consuluisse videbitur: nisi forte obesse hoc magis putes, si quis falsa per jocum scripsisse, quam si ficta serio et graviter pronunciasse videatur.

Hic certe de iis titulis agimus, qui non in libris, sed in basibus statuarum, in operum publicorum frontibus, in columnis, in sepulcris legendi sunt; qui de iis rebus loqui debent, quibus inhaerent, et circa eos versari, quorum caussa inscripti sint. itaque fac esse Latinos totos et elegantes, ac nihil, si vis, ab iis dissimiles, qui Augusti aetate conditi fuerunt; nisi vera referant, et viris rebusque, de quibus agitur, convenientia, adeo dignitate careant, ut ludibrio habeantur.

Porro illud quoque ad inscriptionum dignitatem pertinet, ut cum orationis veritate certa etiam honestatis modestiaeque significatio conjungatur. cave, quidquam tibi excidat, unde quisquam possit offendi. non is, quem laudas, ex invidia alterius crescere debet, sed ex propria virtute. hoc vero num te recipere par est, qui titulos scribis, ut ceteros cives tuos aliqua suspicione perstringas, quo unius praeclarum facinus immortalitati commendes? quantum huic ipsi detraheres, quem ornas? difficile quidem est neminem laedere, si quem, ut fit, laudare debeas, qui sibi ab inimicorum victoria laudem peperit: sed major quoque gloria, si effeceris: efficies autem, si neque tuis unquam, neque alienis cupiditatibus servire, ut virum decet, in animum induxeris.

Religio in primis ac morum disciplina sancta ubique atque inviolata esse debet: qua in re peccatum aliquando ab antiquis est. Sardanapalum illum Assyriorum ultimum regem auctor est Tullius (1), sibi in busto sententiam incidi jussisse hujusmodi:

Haec habeo, quae edi, quaeque exsaturata libido
Hausit: at illa jacent multa et praeclara relicta.

cui similis sententia in sepulcrali cippo legitur, qui Romae Gorii aetate inventus est (2),

D · M ·
T · FLAVIVS
MARTIALIS · HIC
SITVS · EST · QVOD · EDI
BIBI · MECVM · HABEO
QVOD · RELIQVI
PERDIDI
IN · FR · P · VIII ·
. . . .

o praeclarum epitaphium, quod in lutulentae suis tumulo inscribi possit?

(1) Tusculan. l. 5. c. 35. n. 101. (2) in praef. ad Don. p. 78. n. 2.

III· Quod reliquum est, veteres in titulis fere omnibus serio loquuti. lusus quosdam apud Petronium invenies, quos Reinesius inscriptionibus suis adnumeravit (1). sed titulos illos nusquam lapidibus aut aereis incisos tabulis esse, manifestum est. epitaphia tamen occurrent aliqua antiquis in cippis inscripta, quae jocularia quidem sunt, sed fere inepta, nec sine mendis: ut C. illius Massellii apud Donium (2) titulus familiaris, cujus haec sunt extrema verba: *C. Massellius Venustus Merentibus Suis Fecit, Vivet Annis LXXXX. Et Posterisq. Meoru.* at haec nunquam exemplis accensenda putavi.

Quasdam vero propositas aliquando inscriptiones accepimus, quibus potentiores carperentur: ut quum L. Bruti statuae quidam Caesari infensus subscripsit, *Vtinam Viveres* (3): et statuae ipsius Caesaris,

BRVTVS · QVIA · REGES · EIECIT
CONSVL · PRIMVS · FACTVS · EST
HIC · QVIA · CONSVLES · EIECIT
REX · POSTREMO · FACTVS · EST

sed neque haec neque alia hujusmodi ad nos pertinent: neque enim aut incisa, ut cetera, aut justa aliqua de caussa proposita sunt. quod autem quidam nummi effigiem habeant Gallieni cum inscriptione GALLIENAE · AVGVSTAE, et in aversa fronte VBIQVE · PAX, quidam etiam Saloninae sint hoc titulo, AVG · IN · PACE (4): eos nummos Vaillantius a tyranno aliquo et hoste in eorum ludibrium cusos esse arbitrabatur. senatus nempe, si quem hostem judicasset, hoc decernere solebat, ut nomen ejus ex omnibus monumentis deleretur, quod multis adhuc in marmoribus factum apparet: tradiditque de Domitiani monumentis Svetonius (5), de Commodi Lampridius (6), de Maximini Capitolinus (7). quamquam et luto tantum inquinatos interdum titulos, auctor est Lampridius, qui de Antonino Heliogabalo in Alexandrum Caesarem furente haec habet (8): *Misit, qui in castris statuarum ejus titulos luto tegerent, ut fieri solet de tyrannis.* verum inscriptiones decreto aut consensu senatus ad ullius infamiam propositas incisasque aut numquam exstitisse, aut certe nusquam exstare puto: nisi forte hujus habenda generis est, quae in arcu Gallieni legitur, in qua hujus virtus invicta dicitur, quum eodem Imperatore triginta tyranni exstiterint (9); ipsa autem virtus pietate superata esse perhibetur, quum idem ille de patre Valeriano a Persis redimendo, ne admonitus quidem, numquam cogitarit (10). ut ut res se habet, ecce ipsum titulum (11):

GALLIENO · CLEMENTISSIMO
PRINCIPI · CVIVS · INVICTA · VIRTVS
SOLA · PIETATE · SVPERATA · EST
ET · SALONINAE · SANCTISSIMAE · AVG ·
M · AVRELIVS · VICTOR
DEDICATISSIMVS
NVMINI · MAIESTATIQVE · EORVM

hunc quidam titulum, quod miror, tamquam pulcherrimum exemplum imitati hac aetate sunt: imitatus etiam e majoribus est, qui Clementis VII · PONT · MAX · epitaphium scripsit (12). sed mihi tamen haud liquet, quae nam laus sit, *invictam virtutem sola*

(1) Cl. 4. n. 14. Cl. 7. n. 34. 35. etc.
(2) Cl. 11. n. 30.
(3) Svet. in Iul. c. 80· n. 6. et in Aug. c. 70. in Ner. c. 45. etc.
(4) Vaill. t. 2. p. 369. et 375.
(5) in Dom. c. 23. n. 2.
(6) in Comm. c. 20.
(7) in Gord. c. 9. v. Livium l. 31. c. 30. n. 44.
(8) in Hel. c. 13.
(9) Trebell. in Gallien. c. 16.
(10) id. ib. c. 9.
(11) Donat. de V. R. l. 3. c. 10.
(12) Sweert. in Delic. p. 24.

pietate superatam esse: neque enim id melius atque praestantius erat, quam si ejus, qui virtute (1) in bellis excelleret, non pietas solum, sed justitia etiam et fortitudo et prudentia et temperantia major exstitisset. nam quod Virgilius de Hectore et Aenea scripserit (2),

Ambo animis, ambo insignes praestantibus armis,
Hic pietate prior:

virum ille cum viro contulit, Aeneamque Hectori pietate anteposuit, non reliquas ejus virtutes pietate minores fecit.

(1) v. inscr. 402. (2) Aen. l. 11. v. 292.

CAPVT III.

De mensura inscriptionum

I. Ridicule quidam Aristoteli praecipere visi sunt, narrationem brevem esse oportere (1): Νυν δε γελοιως την διηγησιν φασι δειν ειναι ταχειαν: in quos belle quadrare ajebat, quod olim pistori dictum est, cui quidam roganti, duriusne an mollius subigi sibi panem mallet, num vero, inquit, bene haud licet? itaque narrationem Aristoteles neque brevem neque longam, sed justam esse volebat: Ουδε γαρ ενταυθα εστι το ευ, η τῳ ταχυ η τῳ συντομως, αλλα τῳ μετριως. hujusmodi autem esse tradit, quae primum omnia profert, quibus illustrari res possit: τουτο δ' εστι το λεγειν, ὁσα δηλωσει το πραγμα: deinde ὁσα ἡδεα, quae jucunda sint: mitto cetera: vides, opinor, quam ista inscriptionibus conveniant: quae quamquam ad suum quaeque genus revocantur, vix tamen aliud quam narrationes dici possunt. hunc ego modum in inscriptione requiro, ut justa sit; eamque justam futuram esse arbitror, quam nimirum perlegens et rem plane intelligam, et verba jucunde hauriam: si quid praeterea insit, quod neque perspicuitati quidquam neque oblectationi conducat, id extra modum esse, et justo longiorem facere; si quid contra deest, quod is, qui legit, merito requirat; id quoque praeter modum esse, et justo breviorem reddere.

Neque vero haec quisquam improbare possit, qui titulorum originem caussamque secum ipse consideret. hos enim ideo inventos adscitosque viderit, non modo ut hominum sensus ac voluntates conservarent, sed etiam ut palam ante oculos omnium propositi, cupide ab omnibus legerentur. quare utrumque opus est inscriptionem commendet, et argumenti evidens quaedam expositio, quae rem faciat illustrem, et is verborum delectus, qui splendore quodam et venustate tenere legentem possit. id nempe erat, quod veteres apprime praestabant, non rebus non verbis inscriptionem spoliare soliti, quae opus esset; non iis onerare, quae sine fraude abesse poterant: ut neque inutile quidquam aut nimium, neque incomptum aut obscurum offenderet.

II. Sed tamen fore aliquem intelligo, qui veterum opponat exempla, quorum elegantiam quidem miratus, at brevitate offensus, evidentiam se quandoque desiderare dicat. qui tamen hoc primum noverit, velim, caussa ne fuerit omnino nulla, cur ornatus omnis atque omnia adjuncta rejicerentur. nam inscriptionem veteres consulto inornatam et tenuem esse aliquando voluerunt: ut, si quid desit, non sine consilio omissum esse videatur. cujusmodi sane fuit, quam in tumulo Othonis Aug. se Brixelli legisse Plutarchus testatur (2): nihil enim aliud inscriptum erat, quam hoc, M · OTHONIS : quam brevitatem Othoniani milites Imperatori suo ad monumenti perpetuitatem profuturam putaverunt; quum ejus cineribus a Vitellio metuerent, qui longum et nobilem titulum in adversarii sui sepulcro laturus non videbatur: simul illud intelligerent, scriptores non defuturos, qui Othonis honores resque gestas memoriae mandarent. jam et illud animadvertendum est, de antiquis interdum inscriptionibus recte ab eo judicari non posse, cui marmora nunc sese offerunt a monumentis avulsa, nec quo steterint loco, aut quem in usum quave de caussa, manifestant. de Domitiano, exempli gratia, scripsit Tacitus (3): *Potiente rerum patre, disjecto aeditui contubernio mo-*

(1) Rhet. l. 3. c. 16. n. 127. *Nunc vero ridicule narrationem ajunt oportere esse brevem . . . . neque enim hic* Bene *est vel* Breviter *vel* Concise, *sed* ad mensuram.

(2) in Othon. sub fin.

(3) Hist. l. 3. c. 74.

dicum sacellum IOVI·CONSERVATORI *aramque posuit, casusque suos in marmore expressit: mox imperium adeptus* IOVI · CVSTODI *templum ingens seque in sinu Dei sacravit*. enimvero titulis hisce nomen suum Domitianus si addiderat, nil aliud opus erat adscribi; quum ipsum quodammodo monumentum ejus dedicationis caussam aperiret ostenderetque, cum nempe bello Vitelliano confugisse in Capitolium, ac Iove sibi propitio in ea arce tuto latuisse. ea tamen inscriptio si nunc exstaret, et sola exeso in lapide legeretur, obscura utique et justo brevior, etsi immerito, videri posset.

Quid Liviae titulus ille brevissimus, si locum ignoret, ubi legeretur, cui non obscurus videatur (1)?

LIVIAE · CAESARIS · AVGVSTI
PVBLICE

hunc Tiburtes Liviae Augusti uxoris simulacro subscripserant; quique Tibure legebant, his jam constabat, quid, a quibus, cur positum esset. sic Romae quum Antonini et Faustinae templum oculis lustramus, non jam displicet inscriptio illa in epistylio incisa (2):

DIVO · ANTONINO · ET
DIVAE·FAVSTINAE·EX·S·C·

eminet adhuc ad viam Appiam Caeciliae Metellae pulcherrimum Mausoleum, in quo hic titulus (3),

CAECILIAE
Q · CRETICI · F·
METELLAE · CRASSI

quo quidem contentus esse debet, qui novit, sepulcra ibidem fuisse Metellorum (4). nam qui monumenti ipsius auctorem requirit, in ejus viro agnoscat, licet, id est in Crasso illo Divite, quem Parthico bello interiisse scimus. nec vero alia temporis nota opus erat, ut Metellae aetas proderetur, quum et patris ejus et viri nomina jam in fastis legerentur. quo pacto servorum et libertorum tempora satis dominorum aliquando et patronorum nominibus indicantur (5):

CHRESTE · CONSERVAE
ET · CONIVGI . CELADVS · ANTON · (6)
DRVSI . MEDICVS · CHIRVRG·
MERENTI · FECIT
EA · VIXIT · ANNOS · XVII·

(7)

FELIX · TI · CLAVDI
GERMANICI · EQVES
CHARITO · FRATRI
PRO · MERITIS · FECIT

(8)

DIS · MANIBVS
TVRIAE · SATVRNIAE
SORANAE
LIBERTAE · FECIT
PLACIDVS
IMP · DOMITIANI · AVG·
TABELLARIVS
CONIVGI · OPTIMAE
ET · PIENTISSIMAE

(1) Fabr. p. 60. n. 347.
(2) Grut. p. 257. n. 5.
(3) Maff. M. V. p. 289. n. 7.
(4) Cic. Tusc. Q. l. 1. c. 7. n. 13.
(5) Fabr. p. 300. n. 273.
(6) *Antoniae*.
(7) Don. Cl. 7. n. 131.
(8) Fabr. p. 309. n. 330.

nec aliter cetera exempla, quae fortasse contracta nimis ac brevia videntur, si recte singula perpendas, suis plane distincta notis fuisse, ac justa habenda esse reperias. laudanda vero nobis est, atque etiam imitanda verborum ista, quasi sumptuum, moderatio quaedam et parsimonia, quae nec iis, quae dare lucem possint, titulos privat, et legentem qua levat molestia, qua concinnitate delectat.

nI· Atque hoc eo fidentius dico, quod aequo plus copiam plerumque amamus et ubertatem: nihil autem veremur magis, quam ne quid nimis obscure narrare videamur. mihi sane recentiorum scriptorum titulos curiosius consideranti nemo fere demendo potius, quam addendo extra mensuram illam modumque prodire visus est. hanc quaeso inscriptionem expende, quae Genuae prostat (1):

ANDREAE · DORIAE
QVOD · REMPVBLICAM · DIVTIVS
OPPRESSAM · PRISTINAM · IN
LIBERTATEM · VINDICAVERIT
PATRI · PROINDE · PATRIAE
APPELLATO
SEN · IANVENSIS
IMMORTALIS · MEMOR · BENEFICII
VIVENTI · POSVIT

nonne, si adverbia illa *Diutius*, *Proinde* expunxeris, nihil huic necessarium, nihil speciosum ademeris? quin justa jam inscriptio atque optima esse coeperit.

Demendo item, non addendo, melior fieri posse videtur hic, qui Neapoli legitur, Egizii titulus (2):

VETVSTISSIMAM · NILI · STATVAM
AB · ALEXANDRINIS · OLIM · VT · FAMA · EST
IN · PROXIMO · HABITANTIBVS
VELVT · PATRIO · NVMINI · POSITAM
DEINDE · TEMPORVM · INIVRIA
CORRVPTAM · CAPITEQVE · TRVNCATAM
AEDILES · QVIDEM · AN · M · DC · LVII ·
NE · QVAE · TOTI · HVIC · REGIONI
CELEBRE · NOMEN · FECIT
SINE · HONORE · IACERET
RESTITVENDAM · CONLOCANDAMQ ·
AEDILES · VERO · ANN · M · DCC · XXXIII ·
FVLCIENDAM · NOVOQVE · EPIGRAMMATE
ORNANDAM · CVRAVERE

dele *Vetustissimam;* neque enim non antiquissima esse ea statua poterat, quae *ab Alexandrinis olim* posita esset. ne illa quidem necessaria *Velut Patrio Numini,* quippe id cuique facile, commemoratis Alexandrinis, occurrit. tum illa *Deinde, Quidem, Vero* plane inutilia, neque ex veterum more aut elegantia esse videntur. similia his puto reliqua illa *Toti Huic* et *Celebre:* his omnibus extrusis, quae supersunt, mensuram implent. initium etiam a re inutili factum arbitror in altero illo Egizii titulo (3):

(1) Zaccar. Sag. Crit. t. 2. p. 2. art. 19. (2) Opusc. p. 279. n. 1. (3) Opusc. p. 280. n. 3.

IN · PVLCHERRIMA · VIA
FONTEM · SALVBERRIMVM
VETVSTATE · CORRVPTVM
ORD · POP · Q · SALERNIT ·
REFICIVNDVM · CVRAVERE
ANN · M · DCC · XXXIII ·

si enim haec in ipsa via legebantur, quid opus erat, ut de via mentio fieret, cujus pulcritudinem usurpare quisque oculis posset? sed multa de genere hoc passim offendes, quae tute agnosces, si paullo diligentius animum adverteris: neque idem difficile vitabis, siquidem illud statueris, plerasque inscriptiones verborum saepe copia deformari: ut de iis dici possint, quae Scapham illam ancillam Philematio dominae suae dicentem inducit Plautus (1): nam quum domina, quae esset forma egregia, Scaphae ornatrici suae dixisset, *Tum tu igitur cedo purpurissum:* respondet illa:

· · · · · · *Non do: scita es tu quidem,*
Non isthanc aetatem oportet pigmentum ullum attingere,
Neque cerussam, neque melinum, neque ullam aliam offuciam.

Sed fuere etiam nonnulli, qui veterum breviloquentiam admirati, dum breves esse laborabant, orationem, sententia justo parcius explicata, minus commode contraxerunt. qua in re peccasse aliquid Ferrarius quibusdam videbatur, cujus tituli saepe monumentorum auctores non praeferant (2): ut geminum contra verbum hoc in exemplo desiderabant (3):

M · PLAVTIVS
AEDICVLAM · CVM · ARA
ET · DIEBVS · DOMINICIS · SACRVM
EX · PATRIS · TESTAM ·

neque enim, si addamus *Fecit,* utrique id rei aeque convenient: nec si Plautius *aediculam dedisse* recte dicetur, idem simul *dedisse sacrum* dicendus erit, quod sacrum statis diebus ut fieret, impensa sua caverit. ne illa quidem omnibus satisfacit funebris ejusdem inscriptio (4):

CIVIBVS
QVI
PRO · PATRIA · OCCVBVERVNT
PACEM · ET · REQVIETEM
SVPERVM

se enim scire ajunt pervelle, quibus pacem et requietem precatur, ii ne pugnantes, an in legatione aliqua, laboribus confecti, an insidiis appetiti, pro patria occubuerint? tum etiam quinam funeri justa solvant, decuriones ne, an collegium sodalium, an consanguinei? raro enim haec hospiti ac peregrino locus ipse ornatusque indicaverit.

Rursus in hac etiam inscriptione deesse aliquid clamant (5):

(1) Mostell. I. 3. 105.
(2) p. 100. n. 332. etc. p. 175. n. 363. p. 196. n. 405. etc.
(3) p. 174. n. 361.
(4) p. 189. n. 390.
(5) p. 11. n. 21.

S · AGABIO
NOVARIAE · EPISCOPO · ET · PATRONO
VETERI · DIRVTO
MVNIENDAE · VRBIS · CAVSSA
NOVVM · TEMPLVM
EX · PECVNIA
PVBLICA · ET · PRIVATA

nam illa *Veteri Diruto Muniendae Vrbis Caussa* quia sine substantivo nomine legunt, suspensi haerent, nec illico subit, quo pertineant. at plana fortasse omnia, si hoc pacto scribas:

SANCTO · AGABIO
EPISCOPO · PATRONO · CAELESTI
SACRVM
EX · PECVNIA · PVBLICA · ET · PRIVATA
TEMPLO · VETERI
MVNIENDAE · VRBIS · CAVSSA
DIRVTO

sic aliae hujusmodi ambages in aliorum titulis uno saepe aut altero verbo resolvi possint.

III· Enimvero ne in ea ipsi vitia incidamus, quae in aliis reprehendimus, atque ut inscriptiones omnes ad eos metiamur modulos, qui nobis a veteribus relicti sunt; illud, opinor, conducet vel maxime, si titulos, qui incidendi erunt, nihil de argumento praefati, amicis exhibeamus, rogemusque, ut his perlectis, quam tituli cujusque sententiam esse putant, nobis edisserant. facile nimirum apparebit, adsequuti, nec ne, id simus, quod propositum fuerat: facile etiam quid tollendum, quid addendum sit, haud dubiis indiciis demonstrabitur. nemo hoc sibi tribuat, velim, ut solus, quid opus sit, quid non, ceteris acrius ac melius videre possit. nam quod una in re diutius animo versati simus, fit aliquando, ut quaedam ipsi verba nec opinantes negligamus, quibus omissis alios peregrinari aut non parum haesitare necesse sit: interdum etiam, ut nimio imitandi studio plus aliquid inseramus, quam aut ipsa res patiatur, aut teretes eruditorum aures ferre possint. et est horum maxime mensuram inscriptionis cujusque intelligere: qui quamquam non semper praestare tantundem scribendo possunt; cognitis tamen antiquorum exemplis, optime norunt, qui nobis scribendi fines constituti sint.

Hic autem animadvertendum est, quum veteres quoque in quolibet fere inscriptionum genere, qua simplici, qua ornata dictione usi sint, non ea nunc, quae ab inscriptione, salva sententia, tolli possint, omnia semper extra modum habenda esse. nam praeterquam quod ornamentis hujusmodi fere subest res, nec inanis verborum sonus dici possunt; saepe etiam sollemnes formulae et ipsa dictio paullo copiosior vim auget sententiae, unde ipsa quodammodo crescit ac nobilitatur inscriptio. id erat, quod initio ajebam, ad justam inscriptionem omnino pertinere, ut ea nos non modo rem, de qua agitur, doceat, sed etiam verbis ipsis, quantum fieri potest, delectet ac teneat. quis non, exempli gratia, verba aliquot hoc e titulo demi posse fateatur, quin tamen sententia pereat? Fabretti inscriptio est, in lapide quidem ob fracturam haud integra, sed quam ille certissimis verbis supplevit egregie (1):

(1) p. 450. n. XIII.

IMP · CAESARI · DIVI · TRAIANI
PARTHICI · F · DIVI · NERVAE · NEPOTI
TRAIANO · HADRIANO · AVG · PONTIFICI
MAXIMO · TRIB · POTEST · XIII · COS · III · P · P ·
COLLEG · VICTIMARIOR · QVI · IPSI · ET · SACERDOTIBVS · ET
MAGIST · ET · SENATVI · APPARENT · QVOD · CVM · COMMODIS · EORVM
IMPVGNARETVR · LIBERALITATE · EIVS · RESTITVTA · SINT · DEDIC · VI · K · MAIAS
Q · FABIO · CATVLLINO *COS ·*
M · FLAVIO · APRO

nempe quum Victimariorum munus, tum Hadriani beneficium exponi brevius et paucioribus indicari verbis plane poterat: quid tamen? nihil ex iis, quae usurpata sunt, redundare aut supervacaneum esse videtur: quin sententiam simul omnia et diserte explicant et apte complent. aliud enim est dictione uti ornata, aliud verbis inutilibus: haec in simplicis etiam dictionis titulo brevissimo esse possunt; quum ornatae contra plures et satis longae inscriptiones sint, in quibus nihil inutile reperiatur: quippe in ipso ornatu modum veteres servaverunt, nec quid dici posset, sed quid oporteret, considerarunt. ornatam autem dictionem, quae ad aliena non excurrat, facile inscriptionis mensura capit, quod haec non certo verborum aut versuum numero, sed ipso argumenti genere ac dignitate definitur.

Ad summam non hic agitur, ut quam paucissimis verbis inscriptio constet: id illi curae sit, cui spatium longiori titulo inscribendo desit. nihil nos de brevitate inscriptionis aut longitudine laboramus: vel potius hoc unum cordi est, ne longa neve brevis dici possit: justam enim probamus, in qua non verborum numerus ineundus est, sed facultas cujusque et usus considerandus. quapropter etsi veterum formulae saepe nullo negotio contrahi possunt; quia tamen sua verbis quibusque inest vis, sua dignitas, nihil temere amputandum esse censemus: ut quod rebus designandis minus aliquando necessarium est, id illustrandis comendisque tribuatur.

V. Ceterum judicii erit nostri, ut exiguis in monumentis grandiore dicendi genere non utamur, nec in magnis humiliori. nihil citius legenti incurrit in oculos, quam quod rebus non congruit; nec abest fere a reprehensione temeritatis, qui ne id quidem animadverterit, quod primum esse debebat, quid maxime conveniret. tum eorum etiam habenda ratio est, qui loquentes inducuntur: ne plura effari aut majora videantur, quam vel aetas eorum vel dignitas ferat. locum vero potissimum atque opus, in quo inscriptio legenda sit, vidisse, saepe interest, ne aliis scilicet utamur verbis, quam oporteat. pronomina ipsa, ut jam monui, quae nunc passim adscribi solent, antiquis in exemplis vix reperias ad opera ea designanda, quibus titulus inhaereret; ut ne adverbia quidem, orationis connectendae caussa, crebro occurrent: raro praeterea geminum uni rei enunciandae adhibitum verbum: nihil autem verbis umquam sententiisque variatis bis expressum: plura demum, ut jam adnotavimus, ex iis omissa, quae in ipsis efficta operibus quisque intuebatur. haec maxime erant, quibus veteres inscriptionem immodice crescere arbitrabantur: quae nunc quoque, qui titulorum genera et caussas perpenderint, locum, tempus, adjuncta omnia considerarint, negligenda fere ac repudianda esse facilius intelligent.

CAPVT IIII·

De perspicuitate inscriptionum

I· Diximus capite superiore, quo justa inscriptio sit, nihil ex iis esse omittendum, quae ad rem declarandam necessaria videantur: neque id novum aut cuiquam ignotum vel parum probatum. sed tamen inscriptiones aliquando sic ab adjunctis ornari usuvenit, ut obscuritatem et tenebras afferant, quae lumen maxime adhibere debebant: quod mihi fieri videtur, vel quod vetusta nimis et ignota consectamur; vel quod incerta quaedam et ancipiti significatione nutantia usurpamus; vel etiam quod regulas quasdam minutas negligimus, quibus maxime inscriptio perficiatur. de his singulis hoc capite agetur; ut iis, quae obesse possunt, amotis, tituli omnes ab ipsa etiam perspicuitate commendentur.

Primum igitur sapiens titulorum scriptor id, quod a C. Caesare excellentis ingenii ac prudentiae viro in primo de Analogia libro (1) scriptum est, habebit semper in memoria atque in pectore, ut tamquam scopulum sic fugiat inauditum atque insolens verbum. non illud hic admonebo, quod Gellius scribit (2), vitium id esse plerumque serae eruditionis, quam Graeci Ὀψιμαθίαν appellant, *ut quod nunquam didiceris, diu ignoraveris, quum id scire aliquando coeperis, magni facias quo in loco cumque et quacumque in re dicere*. hoc dicam, quod magis huc pertinet: si vocabula hujusmodi, tum quoque, quum Latinae litterae florerent, eruditorum aures respuebant (3), quique his uterentur, ii nolle intelligi putabantur (4); quid nunc fieri necesse est, quum Latinam vix linguam perpauci nec optime teneamus? quos vero inscriptio potissimum non obturbet ac moretur, in qua quisque plana omnia et concinna sibi spoponderit? haereant sane plerique, neque sententiam semper adsequantur: et hoc etiam fiet, ut cetera simul, quae proba sint, contemnant, ac tota scriptoris laus uno saepe verbo obteratur. nimirum quos nunc titulos scribimus, eos non mater Evandri legere debet, sed ii, qui sermonem Latinum in Tullii potissimum libris didicerunt, qui hanc esse Latinam linguam putant; nec quae vocabula ceteri scriptores semel aut iterum usurparunt, ea semper vel nosse vel meminisse potuerunt. non debes autem id existimare perspicuum, quod plerique sine interprete non intelligant, neque omnium communes habere eas voces, quae antiquariis jamdiu relictae sunt. nam quod in hisce vocabulis eruditio scriptoris enitere tibi videtur, hanc, qui aequissimi sunt, intempestivam appellant.

Quod vero ea quidam utuntur excusatione, quod proprias cujusque artis formulas, propria nomina usurpaverint, ii quamquam aliquid probabile afferunt; exquisitius tamen loquuti videntur, quam communis inscriptionum lingua pateretur: quos inter Ferrarium aliquando numerandum esse, quaedam ejus exempla declarant (5):

IVLIVS · MACER
OSTIVM · ANTEPAGMENTVM · VALVAS
ET · AB · EPISTYLIO
ACROTERIA · CORONAM · FASTIGIVM
D · S · P · F · C ·

(1) Gell. N. A. l. 1. c. 10.
(2) ibid. l. 11. c. 7.
(3) v. Svet. in Aug. c. 86.
(4) v. Senec. epist. 114.
(5) p. 17. n. 35.

nonne ad Vitruvium tandem atque ad interpretem ejus veniendum est, si omnia adsequi velis? quid illa Luciliana (1)?

PAVIMENTVM · DE · TESSERVLIS
ET · EMBLEMATE · VERMICVLATO
STRATVM · A · M · DCCXLIX ·

istud ipsum *Emblema* quum in quodam decreto patrum recitaretur, commutandam Tiberius censuit vocem, inquit Svetonius (2), *et pro peregrina nostratem requirendam*. Tullius quidem usus fuerat, sed ita aliquando molliverat, *et tamquam in vermiculatò emblemate, ut ait Lucilius* (3). nam ille etiam Graeca verba fere rejiciebat, cujus haec regula est (4), *Sermone eo debemus uti, qui natus est nobis, ne, ut quidam, Graeca verba inculcantes jure optimo irrideamur*. quamquam Graeca hic verba appellare Cicero videtur, quae Latini non receperant, itaque plerisque ignota erant. nam quae Graeca quidem, sed jam in usu, ipse etiam saepe usurpavit.

Haec autem sunt, quae in inscriptionibus etiam si quando legantur, offendere neminem possint: cujusmodi habentur quaedam aedium publicarum Graeca nomina, sed Latinitate donata, *Xenodochium, Nosocomium, Gerontocomium*: num vero et *Odinosocomium*, quod nuper invectum est? non utique; quis enim usquam vidit, aut quotusquisque est, qui intelligat? quin etiam perspicuitatis caussa quidquid Latinis verbis efferri commode possit, Graecis ego nominibus vel notissimis vix designem: quare libentius *Hospitalia* cum Vitruvio (5), quam Xenodochium eam appellarim domum, quae peregrinis excipiendis parata sit; item *Valetudinaria* cum Columella (6) eam, qua aegri recipiuntur, et *Nosocomium* fere nominatur.

II· Non modo autem, quo inscriptio perspicua sit, Graeca nomina vitanda, quae simul Latina non sint, sed interdum vel quaedam Latina et probata rejicienda puto, si minus conveniant. haec primum esse statuo honorum, munerum, curationum antiquas appellationes, de quibus jam superius actum est (7). tum geographiae vocabula quaedam, quae olim obtinuerunt, at nunc prope obliterata sunt. equidem in urbibus designandis antiqua omnino nomina praeoptaverim, si propria, si certa fuerint, quae sane et nota esse solent. at si adhuc sub judice lis est, cur ludibrium posteris debere velim, ut ii, qui olim Falerios in historica inscriptione *Vejos* appellarunt? nonne satius erit veteri more barbarum adsciscere nomen, at certum; quam hoc abstinere, ut Latinum, at incertum usurpem? eodem modo si urbs nominanda sit, quae post Latinos scriptores condita fuerit, ut ut in antiqui oppidi ruinis constitutam multi contendant, malim recenti appellatione, quam veteri nomine utaris: id enim multi repudiabunt, et incertum esse contendent. quamquam improbandum haud censeo, si quis oppida hujusmodi, quae apud Italos Gallosque, quia in collibus sita sunt, *Montes* non raro appellantur, Latinorum more nominet, *Alcinodunum, Falcodunum, Feltrodunum* et similia: quippe *Dunum* veteres ea sententia usurpaverunt. Δουνὸς scilicet Dorice idem, quod Βουνός, id est collis, tumulus, clivus, uti jam Menagius animadvertit (8), vocem eam esse Gallicam pernegans. atque etiam, si de veteri appellatione tu quidem nihil, ceteri parum ambigant, nomen tamen utrumque elegantius adhibeas, quam vetus tantum: sic olim in titulis appellatae urbes, quae Coloniae esse coepissent (9): sic apud Plinium occurrent *Puteoli Colonia Dicaearchia, Paestum Posidonia, Segede Restituta Iulia, Olyssipo Felicitas Iulia, Ebora Liberalitas Iulia*, et similia.

(1) p. 19. n. 40.
(2) in Tib. c. 71. n. 2.
(3) de cl. orat. c. 79. n. 274.
(4) de off. l. 1. c. 31. n. 111.
(5) l. 6. c. 10.
(6) l. 12. c. 3.
(7) part. 1. c. 2. §. 1. n. 4.
(8) Amoen. I. C. c. 3.
(9) v. inscr. 37. et 251. et part. 1. l. 2. c. 1. §. 3. n. 2.

Recentiora autem provinciarum regionumque nomina prae antiquis optima habenda: neque enim earum iidem nunc fines sunt, qui olim fuerunt: ut qui veterum populorum appellationes usurpet, perraro certum aliquid ac definitum designet. veteres Tragicos reprehendit Paterculus (1), qui Myrmidonum civitatem *Thessaliam* vocarint, de iis temporibus scribentes, quibus *Thessalus* ne natus quidem esset: *Quibus*, inquit, *minime id concedendum est: nihil enim ex persona poëtae, sed omnia sub eorum, qui illo tempore vixerunt, dixerunt.* porro minus id quidem absurdum erit, si quis novas nunc provincias, novisque saepe finibus descriptas Romanis appellet nominibus; sed ad inscriptionis perspicuitatem quod attinet, parum idonea atque etiam incommoda futura sunt.

II. His jam adnumeres priscas monetae appellationes, quibus nunc si utaris, nemo fortasse summam pecuniae nostrae adsequetur. vix enim est, cui, quum ad sestertios venerit nummos, non jam Grammatici consulendi sint. nonne satius erit, quod Ferrario placuit, *Aureos Venetos* supponere, quos nemo non agnoscet (2)?

L · CORNELIVS
PVTEVM · SVA · IMPENSA · DEFOSSVM
ET · MACERIA · CLVSVM · POPVLO · DEDIT
LEGATIS · INSVPER · QVOTANNIS
AVREIS · VENETIS · IV ·
IN · TYMPANVM · ET · CATENAM · ET · FVNEM
ET · AD · REPVRGANDVM
AC · REFICIENDVM

Eos vero probabo vel maxime, qui Romanos nummos nostrates, qui olim plures ex argento cudebantur, iterum inducat, atque ab ipsa effigie *Scutatos nummos* appellent: ut veteres a bigis, rate, victoria denarios et quinarios suos *Bigatos, Ratitos, Victoriatos* nominarunt. nihil scilicet ad summam quamlibet subducendam magis accommodatum esse solet. nec vero mihi pro ipsis nomina regum displiceant, quorum illi auctoritate primum percussi sint: quemadmodum eos quoque nominatos scimus, quos Choerilus ille ab Alexandro, incultis versibus et male natis (3)

Rettulit acceptos regale nomisma Philippos:

vel etiam ut dari Claudio jubet Valerianus in epistola ad Zosimionem procuratorem Syriae (4), *Philippos nostri vultus annuos centum quinquaginta*; cujusmodi item sunt nummi, quos idem Valerianus Probo tribuno a Mulvio Gallicano praefecto praetorii numerari voluit (5), *Aureos Antoninianos centum*, *argenteos Aurelianos mille, aereos Philippeos decem millia*. atque huc referas *Darios* sive *Daricos*, quos Ausonius usurpavit (6) a Dario rege Persarum denominatos: quibus plane similes *Paulli* hi nostri et *Iulii*, quos nemo jure rejiciat. sic equidem recte usurpari posse olim putavi;

MARIAE · ADIVTRICI
SACRVM
VOTO · SVSCEPTO
VICANI · CARSEOLANI
LIBENTES · MERITO
CVIVS · DEDIC · SACERDOTIBVS · QVI
SACRVM · FECERVNT
IVLII · VIII · N · SINGVLIS · DATI · SVNT

(1) Hist. l. 1. c. 3.
(2) p. 14. n. 28.
(3) Hor. l. 2. ep. 1. v. 233.
(4) Trebell. in Claud. c. 14.
(5) Vopisc. in Prob. c. 4.
(6) Epist. 5. v. 21.

IIII· Venio ad litteras singularias, quarum nunc usus in titulis aliquando multus et ineptus ad impudentiam. ludere enim quidam videntur, et hominum litteratorum ingenio pro pecudum stupore abuti: quasi vero summorum sit ingeniorum, non germanas veterum formulas nosse, sed quid stultissimus quisque somniarit, Chaldaeorum id more interpretari.

Litteras singularias primum in senatu maxime a veteribus usurpatas arbitror, quum ea scribenda essent, quae quis interrogatus responderet. nam et Tullius consul, quum de Catilinae conjuratione ageretur, *introductis in senatum indicibus, constituit senatores, qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent:* eos autem constituit, quos sciebat, *memoria, scientia, consuetudine et celeritate scribendi facillime, quae dicerentur, persequi posse* (1). nec tamen Carpentiero assentior existimanti, omnia plane verba a senatoribus illis prima tantum cujusque littera esse designata (2). quis enim ea deinde, nisi Themistocles esset aut Oedipus, legere potuisset? ea ego solum singulariis conscripta litteris puto, quae sollemnia essent, aut ex ipso ceterorum nexu et societate lucem acciperent: quales deinde formulas in jure civili usurpatas Magno quidem collegit, et regi Carolo dicavit (3): et quales potissimum illae sunt, quas in antiquis senatus consultis nunc quoque legimus: haec autem quum in aes inciderentur, quod eum laborem concisa illa brevitas minuebat, nihil esse mutatum, atque idem in legibus quoque placuisse: denique quum titulos satis longos parvis saepe tabellis concludere opus esset, quidquid jam omnes iisdem semper verbis explicare consueverant, primis tantum eorum verborum litteris indicare coeperunt: eaque contractione delectati, quae nullam orationi obscuritatem afferret, novum morem retinendum censuerunt, etiamsi necessitate non cogerentur. nemo tamen sibi interdictum putavit, ne formulas, quascumque vellet, omnibus plane litteris perscriberet: quod a plerisque saepe factum ostendunt veteres passim tituli, ut eum temere novitatis accusaturus sis, qui vel notissimas formulas omnibus litteris reddiderit.

Nunquam autem vocabulis quibusque, quot cuique liberet, litteras subduxerunt: quod ii novere, qui diu sunt in antiquis inscriptionibus examinandis exercitati. ac Maffejus quidem (4) tanta veteres religione fuisse arbitratur, ut praeter sollemnes formulas vix aliud quidquam non omnibus litteris indicare auderent: nec dubitat idem plerasque inscriptionum, quae litteras singularias praeferunt novas, aut vocabulorum ignota initia, fictas et commentitias habere (5). itaque tenes, opinor, quam non necessariae ad inscriptionem ornandam singulariae istae sint litterae, quantus praeterea delectus esse debeat, quantusque in usu modus, ut veterum consuetudinem revocemus. verum quanto etiam parcius nos uti necesse est, ne inscriptionibus tenebras offundamus? quum Romana republica amissa, et prisca superstitione repudiata, novis jam legibus institutisque vivamus. tu ne mihi, quo veterum exemplis licentius abutare, Sertorii Orsati librum objicies et collectionem siglorum infinitam? quem ille laborem quum eorum tantum caussa susceperit, qui antiquitatis monumenta scrutantur, vel sibi tamen, vel iis, quorum opera usus est, nimio plus fidisse, non immerito arguitur.

Si quid ex eo libro in rem nostram hauriendum est, iis contenti formulis esse debemus, quibus eae designentur res, quae adhuc in usu sint; en tibi exemplum (6):

(1) pro Sull. c. 14. n. 41.
(2) in praef. ad not. Tiron. p. 5.
(3) Nicol. de sigl. vet. c. 12. §. 6. p. 65.
(4) Art. Cr. L. l. 3. c. 2. p. 180.
(5) ibid. l. 3. c. 4.
(6) Don. Cl. 5. n. 1.

M · OPPIO · M · F · VEL ·
SECVNDIONI
EQVO · PVBLICO
PROPR · PROV · GALL ·
CVRAT · MVNICIP · NVMANAT ·
DECVR · EIVSDEM · MVNIC ·
PATRONO · COLON · AESIS
CVRAT · R · P · ATTIDAT · CVRAT ·
CASVENTIN · AD · AGR · DIVIDEN ·
DAT · AB · IMP · CAES · ANTONIN ·
AVG · P · COR · AVREA · HASTA · PVR ·
PLEBS · COLON · AES ·
OB · MERITA · EIVS · IN · C · D · C · D ·
L · D · D · D ·

nihil est in primo versu, si tribum excipias, quod non imitari possis. neque illa obscura nunc sint, PROPRaetori PROVinciae GALLiae: nota item illa CVRATori, DECVRioni. tum si de finitimis urbibus sermo sit, vix opus, ut nomina scribantur integra, ut neque hic scripta: quippe facile quisque legebat NVMANATium, ATTIDATium, CASVENTINorum, quos ab Aesinatibus, in quorum oppido inscriptio erat, haud procul sitos fuisse scimus (1). extremas etiam litteras L · D · D · D · eodem pacto usurpare non dubitem: nam locus monumentis nunc quoque a decurionibus datur. verum illa COROna AVREA, HASTA PVRa (supple) DONATO, si nunc usurpanda essent, omnibus litteris scriberem; neque enim dona hujusmodi ferre quisquam solet: et si quis in dedicatione statuae cenam, ut Oppius, dedisset, omnibus item litteris scriberem, IN CVIVS · DEDICATIONE · CENAM · DEDIT (2): quod morem nunc illum non retinemus. ac singulariis quidem litteris raro uti praestat, nisi quum una tantum sententia omnium judicio subesse videatur. nam si eas alio etiam sensu commode interpretari quis possit, saepe jocandi ansam praebeas. id apud veteres quoque aliquando contigisse, non unus auctor tradidit: sed illud insigne est exemplum apud Tullium (3): *Vt, inquit, quum Scaurus accusaret Rutilium ambitus, quum ipse consul esset factus, ille repulsam tulisset, et in ejus tabulis ostenderet litteras* A · F · P · R · *idque diceret esse,* Actum Fide P. Rutilii; *Rutilius autem* Ante Factum, Post Relatum: *C. Canius eques Romanus cum Rufo adesset, exclamat, neutrum illis litteris declarari. quid ergo? inquit Scaurus:* Aemilius Fecit, Plectitur Rutilius.

Hujusmodi autem interpretationes quam nunc multi vel cupide venari vel ingeniose comminisci solent? memini, titulum, dum haec scribimus, propositum alicubi temporarium, qui quamquam e genere inscriptionum historicarum erat, hisce tamen litteris, velut si sacer esset, concludebatur, L · L · M · Q · enimvero has tum litteras homines dicaculi, qui malitiose carpere vellent, mirum! quam varie explicarint: ac illud primum negabant plerique, sic esse legendas, *Laeti Libentes Merito Que*, quippe quia formula haec sacrarum inscriptionum propria est. alii autem hanc esse sententiam affirmabant, *Locus Locatus Magistris Quinquennalibus*, alii hanc potius, *Lyceum Lugens Magistros Quaerit*, quidam etiam hanc, *Laborem Levat Mercurius Quaestu*, et id genus alia, quae impudenter quidem, vix tamen intempestive dicta putabantur.

Iam in nominibus decurtandis cavendum est, ne casus discrimen tollas. veteres certe, quamquam CAES · passim scribebant, si sextus tamen casus designandus erat, quem alia nomina, ob similitudinem cum dativo casu, satis indicare non poterant, omnibus litteris scripsere CAESARE, ut hoc aliisque in exemplis videre licet (4):

(1) Plin. l. 3. cc. 13. 14. nn. 18. 19. Front. de colon. p. 103. edit. Goes.
(2) v. Reines. Cl. 6. n. 22.
(3) l. 2. de orat. c. 69. n. 280.
(4) Acad. Paris. t. 3. p. 242. v. inscr. 65. etc.

TIB · CAESARE ·
AVG · IOVI · OPTVMO
MAXSVMO · ARAM
NAVTAE · PARISIACI
PVBLICE·POSIERVNT

tum illud quoque curae esse debet, ne a vocabulis vel notissimis tot una litteras auferamus, ut eorum ambiguum fiat initium. inepte quis scripserit M · FABIVS · C · F · si Fabii patri nomen *Carolo* aut *Cornelio* fuerit: nec recte qui PRESBYTER est, duabus litteris PR· indicabitur; nam et PRaetor et PRaefectus legi possit. quae autem veterum formularum litterae singulariae nostris conveniant titulis, quae item e priscis vocabulis trunca usurpari possint, ea omnia libro tertio digesta, et suis quaeque inscriptionum generibus adtributa reperies.

V. Denique ipsa etiam structura collocatioque verborum perspicuitati obesse potest. accedat qui Romanam historiam nunquam attigerit, legatque hunc Ferrarii titulum (1):

HAEC · LATA · LOCA
VIDERE · HANNIBALEM
PROGRESSVM · IN · INSVBRIAM
PRIMA · ROMANOS · CLADE
PELLERE

haud facile is victorem secernet a victis, atque illius de Pyrrhi victoria oraculi instar putabit: vel potius Hannibalem a Romanis pulsum existimaverit, quum is in Insubriam *progressus* dicatur. porro amphiboliae hujusmodi tollendae caussa inscriptionem quamdam haud ita pridem in urbe exsculpi vidimus, pro qua novus est titulus incisus. omnino bene; quid enim proderat exstare inscriptionem, quam nemo intelligeret?

Scio equidem laudi quibusdam esse tributum, quod perspicuitatem aliqua in re consulto neglexissent: ut M. illi Marcello, qui tribus consulatibus gestis periit in mari (2): quippe is, quum in monumentis avi sui ad Honoris et Virtutis aedem statuam sibi ac patri itemque avo poneret, subscripsit,

TRES · MARCELLI
NOVIES · CONSVLES

fuerat autem, inquit Asconius (3), avus quinquies, pater semel, ipse ter: itaque neque ille mentitus, et apud imperitiores patris sui splendorem auxit. verum obscuritatis hujusmodi affectandae rara caussa, nec semper probabilis: ac nihil fere diligentius in titulis suis curasse veteres mihi videntur, quam ne quid obscure efferrent: nam et a communibus aliquando regulis recessisse video, ne quid minus perspicue enunciatum esse videretur. sollemne erat, exempli gratia, ut ei, qui plus vice simplici consul fuisset, numerum consulatuum post tres illas litteras COS· semper adscriberent: at in subjecta inscriptione, quia obscuritatem offundere poterat, praescriptus est (4):

(1) p. 92. n. 147.
(2) Cic. in Pison. c. 19. n. 44.
(3) in eund. Tull. loc. v. Hagemb. Ep. Ep. p. 348.
(4) Gor. Inscr. t. 1. p. 386. n. 142.

L · FVLVIO · C · F · POPIN ·
ABVRNIO · VALENTI
PONTIFICI · PRAEFECT ·
VRBI · FERIARVM · LATINAR ·
FACTO · AB
IMP · HADRIANO · AVG · II · COS ·
III · VIRO · A · A · A · F · F · QVAEST · AVG ·
TRIBVNO · PLEBIS · DESIGNATO
CANDIDATO · AVG ·
EQ · PVBL ·
D · D ·

alio in exemplo, quod superius allatum est (1), ante liberti nomen leges appositum *Sodalis Ejus* (Silvani) *Et Larum*, quod contra consuetudinem est, sed si infra scripsissent, sententia ambigua facta esset. sic quia genitivi duo casus, si alter alterum consequeretur, orationem obscurare poterant, rectus inter utrumque scriptus reperitur (2):

SILVANO · AVG · SACRVM
CRESCENS · ALYPIANVS
IMP · CAESARIS · NERVAE
TRAIANI · AVG · GERM ·
DACICI · DISP · FISCI · FR · (3)

nam nihil contra turbatum est, siquidem casus omnes ordine quodam grammatico distributi orationem dilucidam facere poterant; quod quum ex aliis passim exemplis, tum ex hoc discere possis (4):

DIS · MANIBVS
PIERI · AVG · L · PRAEC ·
PVERR · CAESARIS · N ·
FLAVIA · NICE · CONIVNX
B · M · TITVLVM · CVM · VALVIS
AENEIS · D · S · P · PERMISSV · HERMAE
AVG · L · A · CVB · DOMITIAE · AVG ·

atque hunc fere ordinem, qui maxime ad perspicuitatem utilis est, sequuti veteres sunt, quemadmodum infra ostendemus (5).

Eosdem vero, quum verbum, ut fit, aut nomen aliquod tamquam inutile omitterent, adeo considerate fecisse videmus, ut nemo desiderare id posset. in quo sane nos etiam diligentes atque attentos esse plurimum refert, ne minus recto brevitatis studio lumen inscriptioni adimamus: orationem enim, vel una vocula temere praetermissa, obscuram facile aut ambiguam feceris. si quid maxime geminum sit, et alterutrum tantum nominari oporteat, cave, ne personae aut rei mentionem sine discrimine facias: cave etiam, ne ullo dubiae significationis utaris verbo, quod in pejus detorqueri possit: nec vero illud minus, ne res sic attingas, ut curiosis hominibus plura sciendi injicias desiderium, nec tamen expleas. mitto jam cetera: nam multa quidem tu ipse experiendo didiceris: quaedam etiam partitione prima adnotata sunt, quum de singulis inscriptionum generibus ageremus.

(1) part. 1. c. 1. §. 2. n. 5.
(2) Gor. Inscr. t. 1. p. 296. n. 25.
(3) *Dispensator Fisci Frumentarii.*
(4) Rein. Cl. 9. n. 34.
(5) cap. 6.

CAPVT V.

De dictionibus inscriptionum

I. Bifariam, opinor, accipi *Dictio* potest: nam et orationis forma rerumque expositio sive λογος hoc nomine appellatur; et particula item orationis quaecumque, quam Graeci φρασιν vocant. utrumque autem mihi hoc capite attingendum est.

Ac primum consideranda dictio sive simplex sive ornata, quam inscriptionum propriam habendam esse statuimus. suam nempe oratores etiam habent, suam poëtae: quae sic differunt inter se, ut si nullo artificio simul misceantur, non modo altera alteri repugnet; sed neutra etiam in titulorum structura apte unquam cohaerere, aut loco usurpari posse videatur. itaque communis inscriptionis sermo inter oratorium et poëticum medius est et utrinque reductus: ut ad alterutrum si excurrat, quidquid ipsius proprium est maxime, debeat amittere. et sane, quamquam vocabula ab oratoribus poëtisque praerepta plerumque inscriptionibus, si sola spectes, idonea videntur; ea tamen poëta aut orator sic fere copulavit, ut ex ipsa conjunctione species exsistat et figura dicendi aut vehemens nimis et pugnax, aut mollis nimis et remissa, longiore etiam verborum circuitu, aliquando et breviore, quam inscriptionis stilus requirat. accedit eodem, multa, quae in oratoribus ac poëtis illustriora sint, numero quodam et concentu exsultare audacius, et inscriptionis gravitati quodammodo adversari. quin et illud non raro usuvenit, ut oratorum poëtarumque dictione eae etiam res fusius uberiusque excolantur, quas fere inscriptio negligit; rerum autem generibus et capitibus minus respondeant, quae potissimum inscriptio persequitur.

Quae tamen non eo quisquam a me dici putet, quod veterum scriptorum lectione nihil ego inscriptionum stilum arbitrer adjuvari. imo vero etiam utilitatis ex ea mirificum percipi fructum posse, libro tertio latius demonstrabo (1). hoc ego intelligi volebam, multum eos falli, qui praeclaram inscriptionem se confecisse putant, quum singula prope verba a Tullio ipso acceperint, nisi ea omnia ad veterum quoque inscriptionum stilum dictionemque detorserint.

Ac stilus quidem late patet, et omnia complectitur, quae hic de inscriptionibus vel singulatim vel generatim traduntur. at dictionem una orationis forma et proprius verborum textus definiunt. hujus autem ea prope natura est, ut munda atque elegans sit, nec tamen fucata, aut alieno nitens ornatu: deinde ut modesta et parca et gravis, nihil aut sine caussa, aut sine modo, aut sine dignitate persequatur. quo fit, ut quum antiqua exempla legimus, nihil mutari aut loco moveri posse existimemus: semper autem scriptor ea verba, quae maxime cujusque rei propria, quaeque essent ornatissima atque optima, occupasse videatur.

Quamquam ipsum inscriptionis artificium haud satis nosse possimus: quippe id ex rejectione verborum atque ex sententiarum delectu maxime pendet: quae uni scriptori nota sunt, ei nempe, quem vidisse nobis datum non est, quum (2)

Detereret sibi multa, recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur: et in versu faciendo
Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.

sed tamen hoc ipsum artificium antiquis in exemplis non parum elucere videas, quo-

(1) partit. 2. c. 1.

(2) Horat. l. 1. sat. 10. v. 69.

tiescumque inscriptioni veteri recentiorem comparaveris. neque ego hic de aetatis nostrae titulis loquor, sed de iis, quos nunc quidam tamquam exempla et mirantur et imitantur. lege enim inscriptionem, quam subjiciam, aetatis minime eruditae, eamque cum illis confer, quas libro primo protulimus: facile, opinor, intelliges, quantum in illis succi et sanguinis sit, tantum in hac colorum et pigmentorum esse: atque ex illis nihil fere detrahi posse, quin totae pereant; hanc contra, ubi multa ademeris, meliorem plane futuram (1):

GREGARII · V · C ·

CHEIONIO · CONTVCIO · V · C ·
OB · EGREGIA · FACTA · ET · RA
RVM · VETERIS · SANCTITATIS
EXEMPLAR · INLVSTRATORI
PROSAPIAE · SVAE · CVIVS · OPE
AVCTAM · INSTAVRATAMQ ·
TOTA · SE · PICENI · ET · FLAMI
NIAE · PROVINCIA · GRATV
LATVR · QVO · IVDICANTE · QVA
SI · QVODAM · PARENTE
PRIMAEVO · SINGVLAE · CI
VITATES · IN · PRISTINAM · FA
CIEM · REVOCATAS · ESSE · LAETAN
TVR · FORONOVANI
DESIDERIA · TOTIVS
PROVINCIAE · PRAE
CEDENTES · STATV
AM · AD · VIVACEM · RECOR
DATIONEM · ET · SEMPITERNAM
MEMORIAM · POSVERVNT

norant utique veteres verbosissimos hujusmodi locos: non tardi sententiis, non inopes verbis erant. sed ampullas hujusmodi et exquisitius dicendi genus in oratione interdum aut etiam in historia probabant; in inscriptionibus nullum esse illis locum arbitrabantur. lege exempli caussa, et perpende quae ex Vellejo subdam de Livia Augusta (2): *Mater*, inquit, *eminentissima, et per omnia Deis*, *quam hominibus similior femina: cujus potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis*. haec sane tamquam optima amplectantur, qui sequiorum inscriptionum formam suspiciunt: at veteres haec ipsa expeditissime duobus verbis designarunt: quippe Livia MATER · PATRIAE aut etiam GENETRIX · ORBIS appellata est (3): eodem modo qui barbaras gentes domuerat, urbes condiderat, colonias deduxerat, PROPAGATOR · ORBIS · TERRARVM appellabatur: quique urbem spoliis hostium ditaverat, militibus duplex stipendium dederat, plebem congiario donarat, hunc LOCVPLETATOREM · CIVIVM vocabant. sic saepe alia atque alia magnorum virorum praeclara facta, ut alias attigi, brevissime indicarunt: hisque tamquam definitionibus propriam virtutis cujusque vim declarandam rati, cetera dicendi ornamenta poëtis atque oratoribus reliquerunt.

II. Quin etiam non haec una dictionis ratio veteribus probata est: quidam enim multo etiam simplicius dicendi genus sequuti sunt; modo quod exiguis monumentis multa convenire verba non putarent, modo quod magnis operibus longiorem titulum inutilem esse arbitrarentur. sed ea tamen fere attigerunt, quae iis, qui omnia curiosius non exquirunt, satisfacere omnino possent.

(1) Fabr. p. 101. n. 229. (2) Hist. l. 2. c. paenult. (3) v. inscr. 392.

Hoc autem simplicis dictionis maxime proprium esse videas, ut attributiones atque adjuncta negligat, nec nisi circa ea versetur, quae ad rei summam pertinent: sic tamen, ut hanc adsequatur. id factu perfacile esse dixeris: at non omnibus successisse video. antiquum enim exemplum proferatur (1):

C · MARCIVS · L · F · L · N ·
CENSORINVS · ET · C · ASI
NIVS · C · F · GALLVS · COS · (2)
EX · S · C ·
FIN · POMER · TERMIN ·

nihil sane hinc demi potest; at nec quid addi possit, facile quis dixerit, quo rei summa melius enuncietur. atque hujusmodi sunt ceteri eruditae aetatis tituli, quos quidem simplici dictione scriptos accepimus. exempla nunc eorum consideremus, qui post ea tempora dictionem eamdem exprimere conati sunt (3):

FABIVS · TITIANVS
V · C · CONSVL
PRAEF · VRBI
CVRAVIT

tribus haec in basibus inscripta leguntur: itaque de statuis sermo esse videtur: at cui liquet, statuas ne Titianus statuendas curaverit, an restituendas, an vero faciendas vel reficiendas? omnino id verbo designandum erat. addam et alterum ejusdem aetatis titulum, satis illum quidem elegantem, sed tamen qui simplicem dictionem excedat, ornatam non adsequatur (4):

FLAVIVS · PHILIPPVS · VIR · CLA
RISSIMVS · PRAEFECTVS · VRBI · NYMPHE
VM · SORDIVM · SQVALORE · FOEDA
TVM · ET · MARMORVM · NVDITATE
DEFORME · AD · CVLTVM · PRISTINVM
REVOCAVIT

veteres nimirum simplici dictione usi, minime in fontis ruina describenda morati essent: at ornatam sequuti, primum Philippi honores omnes enumerassent, tum explicata operis caussa, hoc etiam exposuissent, cujus id sumptu, quo anno, aut quorum ergo, et cujus auctoritate factum esset: quae fere libro primo in ornatae dictionis exemplis animadvertere potuisti.

III· Enimvero antequam inscriptionem aggrediare, statuendum erit, quae dictio conveniat maxime, quaeque etiam auctoribus monumentorum satisfacere possit: quamquam ornatam plerique cujuscumque argumenti caussa nunc probant. eliges autem, quae operi et loco et personis apta sit: ut neque magna extenuasse, neque, ut ajunt, tragoedias in nugis egisse videare. id erit scilicet definire, quae tibi res attingendae, quae relinquendae sint; nam dictio ipsa rebus magis, quam verbis ornata fit. hinc jam formulas, quae singulis rebus respondeant, quaeres; et si qua occurret plenior atque sonantior, eam ornatae dictioni aptabis: quae pressior sit et paullo lenior, hac in simplici dictione utere. formularum vero omnis generis non exigua tibi copia libro tertio parata est. atque ab his potissimum utraque dictio colorem ducet, quo ab oratoria ratione et poëtica distinguatur. neque enim vocabula tantum solitaria aut mera nomina, sed textum ipsum verborum integrasque sententias suppeditamus. quare judicio denique tuo illud fere unum relictum est, quae res formulis careant suis, eas latine reddere, et hac efferre

(1) Grut. p. 196. n. 2.
(2) Aun. Varr. 746.
(3) Grut. p. 193. n. 7.
(4) Manut. Orth. p. 349.

lege, nihil ut a ceteris discrepent: quod quidem latine scienti minime difficile esse debet, quum habeat ceteras formulas, ad quarum exemplar novas condat: nisi forte plusculum difficultatis affert ipsa conformatio conjunctioque verborum, qua de re capite sequenti agendum est.

Hic tamen adnotasse proderit, nulla re magis antiquam germanamque dictionem exprimi reddique posse, quam si natura veluti duce sensa animi nativis verbis ac propriis sine ulla eloquentiae aut elegantiae ostentatione expromamus. id nempe discrimen inter antiquas inscriptiones, et quae post Philippos Augustos confectae sunt, plerumque invenies, ut illae quidem sponte e scriptoris fluxisse ingenio, hae vero multo expressae labore in lucem venisse videntur. illas sane ratio aut officium, has fastus aut adsentatio distinguit: et morum item antiquorum in illis species eminet, veritas in primis et moderatio et dignitas: at hae mores redolent externos, dissimulationem, prodigentiam, obsequium: itaque verba ipsa in illis et sententiae vix unquam exquisitum aliquid habent atque insolens, in his contra tota dictio artificiosa turget atque inflata est; velut si eas Lucretius aut Tibullus, has Ausonius aut Claudianus dictasset. tu cave, audias, qui horum stilum quasi sublimem mirantur, nec optimum putant, nisi quod inusitatum novatumve est.

III. Nunc ut de particulis orationis dicamus, e quibus ipsa dictio conflatur, eas utique tiro non aliunde, quam ex veterum exemplis petere assuescat: ejusque rei caussa antiquarum inscriptionum lectione ipsae ejus aures delectentur: nam sic eum legere par est, ut sonus verborum et numerus ad aures feratur; quippe harum denique sensu judicioque, ut ait Tullius, superbissimo optima quaeque facile ex veterum etiam scriptorum libris optare, atque ad titulorum structuram transferre poterit. dum is tamen in veterum inscriptionum lectione se exercet, formulasque inde ac varias dictiones decerpit; non et verba indidem singula nullo discrimine sibi petenda esse putet. scio equidem, qui antiquos titulos collegerunt, ab his priscorum verborum indices libris suis adjectos esse; perinde quasi hoc etiam in animo habuerint, ut longa nos conquisitionis cura et labore levarent. at neque inscriptionibus singulis, neque indicibus hujusmodi plane fidendum est. quum enim in libris inscriptiones cujuscumque aetatis simul descriptae sunt; tum in indicibus ea etiam verba prolata, quae nusquam apud bonos Latinitatis auctores reperire licet, quaeque non publicis inscripta marmoribus, sed privatis in titulis atque obscuris in epitaphiis leguntur. quare non ea horum auctoritas est, quae ceterorum: nec satis esse debet, in lapidibus haec incisa legi, nisi et a Latino homine aut certe Latinum sermonem docto profecta esse videamus.

Sed tamen in privatis monumentis si quis aliquando usurpare voluerit, quae in in privatis item repererit, nec in Latinis scriptoribus legantur, non admodum repugnem: dum ne ex iis titulis sumpserit, quibus mendum aliquod et soloecismus omnem auctoritatem eripuerit: cujusmodi sane hic non est, quem subjicio (1):

HIC · SITA · EST · AMYMONE · MARCI · OPTIMA · ET · PVLCHERRIMA
LANIFICA · PIA · PVDICA · FRVGI · CASTA · DOMISEDA

istud *Domiseda* in antiquis scriptoribus non occurrit; sed tamquam Latinum quis verbum non immerito usurpet: quum cetera epitaphii verba, electa omnino et Latina; illud a non rudi auctore prolatum demonstrent: cui quidem, si ipse vocabulum primus excudit, exemplo fuerunt alia hujusmodi, ut *Domicenium*, *Domiducus*, *Domiporta*.

Eodem modo quamquam cippos sive terminos e Tiburtino lapide nusquam *Tibur-*

(1) Fabr. p. 252. n. 35. v. Don. Cl. 15. n. 42.

tinos tantum in libris appellatos legerim, satis habet auctoritatis concinnus hic titulus, ne in privato monumento vocabulum hujusmodi usurpantem reprehendam (1):

D · M ·
PETRONIAE
Q · F · RVFINAE
MATRI · PIENTISSIMAE
FECIT
APPIA · SEVERINA · FILIA
LOCO · EMPTO · QVO · TIBVRTINI
POSITI · QVATVOR · DEMONSTRANT
IN · FR · P · VI · IN · AGR · P · VIII ·

Tatam et *Tatulam* pro nutritore satis bonae habent inscriptiones (2): ut ut *Tatam* unus fortasse Martialis eo sensu, idemque ludibundus usurparit (3). idcirco in nutritoris epitaphio alumnus non male tamquam blandientis voce eo vocabulo utetur. atque hac lege ne quid e mendosis inscriptionibus sumas, alia hujusmodi inducas licebit, quotiescumque privata tractes.

At publicae inscriptioni conficiendae quis ea vocabula idonea esse putet, quae nusquam in publicis monumentis incisa sint? quum in his verba quaeque non modo certae auctoritatis, sed etiam legitima fere ac sollemnia esse debeant. quamobrem veteres publicos ubique titulos a viris doctis scribendos, et accurate simul incidendos semper curarunt: ut qui etiam sequioris aetatis sunt, nec ceterorum mendis deformatos, et propriis insignes formulis esse videamus. si quid enim etiamtum scribi poterat latine ac proprie, in publicis profecto monumentis id legi par erat, in quibus Princeps potissimum loquebatur. quae caussa est, cur non minori nunc cura inscriptiones publicae fiant, florentibus praesertim litteris, quae Principibus maxime, quorum praesidio vigent, famulari atque obsequi debent.

V. Enimvero ut optimis veterum dictionibus recte utaris, non tam exemplis opus erit, quam judicio et intelligentia. nam exemplorum quidem vel optimorum ea copia est ac varietas, ut inscriptiones pangenti perpauca occurrant, quibus nihil illa prodesse possint. sed in dictionibus eligendis non raro fallimur, quod sententiae vim minime adsequuti, usum verborum ac formularum ignoramus.

Inscriptio est Tibure, quae paucis, ut fiebat, mutatis, ter incisa legitur, hoc modo (4),

L · OCTAVIVS · L · F · VITVLVS
C · RVSTIVS · C · F · FLAVOS
IIII · VIR · D · S · S · (5)
VIAM · INTEGENDAM
CVRAVER ·

si *Viam Integendam* idem esse putes, atque *Viam Sternendam* vel *Muniendam*, ut existimavit Maffejus, qui et inscriptionis auctoritatem hac de caussa labare scripsit (6); falléris utique, et dictione abutére: sermo enim hic est de via fornicata, cujusmodi et Romae fuit (7): id locus indicat, in quo inscriptio adhuc est ad fenestram, camera tectus perpetua.

Quaedam exstant militarium viarum columnae, in quibus sub Latina inscriptione non milliaria latine inscripta sunt, sed veteri Celtarum vocabulo *Legae*, *Leucae* aut *Leguae* (8) vel etiam *Leugae* (9): at non illud spatium hoc tum nomine designaba-

(1) Murat. p. 1271. n. 3. v. c. 4. part. II. §. 4. n. 1.
(2) Grut. p. 662. n. 6. etc. Fabr. p. 141. n. VIII. etc. Don. Cl. 4. n. 63.
(3) lib. 1. epigr. 101.
(4) Acad. Cort. t. 2. p. 168. v. Grut. p. 150. n. 1. 2. 3.
(5) *De Senatus Sententia*.
(6) Art. Cr. L. l. 3. c. 4. p. 293.
(7) Liv. l. 22. c. 21. n. 36.
(8) Berg. de V. M. l. 3. c. 37. Wesseling. ad It. Ant. p. 254.
(9) Ac. Paris. t. 3. p. 250.

tur, quod indicari nunc solet: quippe et *Leguam* et *Milliarium* in Gallia eodem spatio definita fuisse tradit Bellejus (1): passibus scilicet mille et quingentis. itaque ea voce qui utatur, non id jam in Latina inscriptione indicaverit, quod sibi proposuisse videatur.

Formula est inscriptionum honorariarum, nec tamen quae in optimis et antiquissimis legatur, verbum *Locavit* in fine usurpatum, cujus verbi casus erat *Statuam*, quem scilicet subaudiri aliquando voluerunt; quippe ipsa statua cuique conspicua erat: sed casum nihilominus, quem omitterent, ornarunt appositis: itaque legimus (2),

ORDO · CAPVENSIS · VOTI · ET · OBSEQVI
SVI · PIGNVS · LOCAVIT

Statuit nempe, sive *Posuit*, ut voti et obsequii sui pignus statua ipsa esset et haberetur. id quidam quum non animadvertisset, inscriptionem edidit perlongam ex eo genere honorariarum, quod per haec tempora nullo veterum exemplo invectum est, ejusque ultima haec fecit verba,

NVNC · NOVO · GAVDIO · PLAVDENS
ET · EXVLTANS
FAVSTAE · GRATVLATIONIS · ET
PERENNIS · OBSEQVII · PIGNVS
LOCAVIT

quae quum de statua accipi non possent, chartam illam, in qua inscriptio esset, utendam mercede concessisse, aut eam fenori dedisse, argutuli homines dictitarunt.

Legerant alii in statuis Graecorum Αντιοχος Αθηναιος Εποιει, Μενελαος Στεφανου Μαθητης Εποιει (3) et his similia: quid deinde? caussam quum ignorarent, cur Graeci artifices *Faciebat* non *Fecit* scripsissent, hoc sibi etiam licere existimarunt, ut in monumentis inscriberent *Exornabant*, *Restituebant*, *Dedicabant*, non *Exornarunt*, ut veteres, et *Restituerunt* et *Dedicarunt*: inepte vero illi et mendose; audi enim a Plinio, quid suspensum illud Εποιει apud Graecos significaret (4): *Et ne*, inquit, *in totum videar Graecos insectari, ex illis nos velim intelligi pingendi fingendique conditoribus, quos in libellis his invenies, absoluta opera, et illa quoque, quae mirando non satiamur, pendenti titulo inscripsisse: ut* APELLES FACIEBAT *aut* POLYCLETVS: *tamquam inchoata semper arte et imperfecta, ut contra judiciorum varietates superesset artifici regressus ad veniam, velut emendaturo, quidquid desideretur, si non esset interceptus*. num vero id unquam spectasse aut cogitasse illi videntur, qui signum posuisse aut donum dedisse dicuntur? quique aquam in urbem perduxerunt, viam straverunt, porticum aut theatrum dedicarunt? imo de hoc maxime gloriari dixeris, quod opus a se absolutum perfectumque sit. ceterum fieri aliquando potest, ut suspenso verbo uti debeas; tum nempe, quum inscriptio non una de eodem opere, nec eodem tempore incidenda fuerit. ut si extrema opus perfectum, aliae inchoatum aut productum debeant ostendere. hujusmodi fuit, quae a Bonfadio, ut fertur, condita est, quum Genuates urbem a mari etiam, moenibus cingerent, quod annorum aliquot opus fuit (5):

AVCTA · S · C · MOLE · EXTRVCTAQVE
PORTA · PROPVGNACVLO · MVNITA
VRBEM · CINGEBANT · MOENIBVS
QVACVNQVE · ALLVITVR · MARI
ANNO · MDLIII ·

(1) Acad. Paris. t. 19. p. 636.
(2) Grut. p. 459. n. 1.
(3) Maff. M. V. p. 318. n. 4. 5.
(4) H. N. in praef. sub fin.
(5) Zachar. Excurs. litt. p. 29.

hanc et Latini veteres probassent, nisi forte scire voluissent, quibus a magistratibus opus illud susceptum aut probatum esset.

VI. Sed tamen permulta alia sunt, quae in recentiorum inscriptionibus temere usurpata reperiuntur, quamquam verissime iidem affirmant, ea se in antiquis marmoribus invenisse: in aliam enim sententiam nec opinantes detorserunt, et ea significatione accepere, quam nunquam habuerunt: ut qui *Comitia* appellant, ad quae, non populus, sed civitatum primores tantum et optimates convenisse dicuntur: qui aream ante domum aut templum vocant *Forum*, et quod forum est *Plateam* dicunt: qui *Aulam* nominant, quae Graecis et Vitruvio (1) Oecus est sive Cenatio aut Conclave in aedibus maximum; nam *Aula* locus est subdialis, sive, ut ait Athenaeus, ὁ διαπνεόμενος τόπος (2). idem faciunt qui *Officinam* esse putant, in qua non opus fit, sed aliquid venale prostat, quae proprie *Taberna* est: quique *Claustrum* recte appellari existimant, quod Atrium aut Peristylium dici debet; et quae templi Cella est, *Navim* vocant. male etiam *Praesules* vocantur, qui Antistites sacrorum sunt; nam *Praesul* idem ac Praesultor, itaque hoc nomine princeps Saliorum appellabatur (3): sero autem eodem designari coeptus, qui universim rei alicui praeesset. fuit nuper, qui Pontificem Maximum in temporaria inscriptione *Regem Sacrorum* appellarit: omnino inscienter; id enim sacerdotium diserte Livius Pontifici Maximo subjectum fuisse tradidit (4): et erant aliae caussae, cur eo vocabulo abstineret. nec vero erudite ille alius, qui Principis sui nomini apposuit *Patrono Indulgentissimo*: nam privati ea viri appellatio est: itaque Augustos suos Romani *Dominos* potius aut *Principes* aut *Parentes* aut *Conservatores* et hujusmodi vocaverunt.

Iam et a quibusdam minus proprie, qui Tullii aetate aut antea unquam inanium Deorum cultores erant, *Pagani* dicuntur: quae appellatio rectius iis tribuetur, qui Christianis temporibus superstitione veteri etiam tum infecti erant, quasi ex alio pago sive societate sacrorum (5). nec bene litterati viri, quod nunc vulgo fit, *Viri Clarissimi* vocantur, quum ea formula veteres dignitatem virorum, non doctrinam designarent: itaque senatores potissimum sic audierunt; eaque de caussa quum eo titulo Praefecti praetorio carerent, quod ex equestri ordine creabantur, Severus Alexander senatoriam, inquit Lampridius (6), his addidit dignitatem, ut *Viri Clarissimi* et essent et dicerentur. idem etiam peccavit, qui pridianam Natalis Christi sollemnitatem *Pervigilium* dixit, quo nomine sacrum nocturnum et integrae noctis vigilatio designabatur: qui *Aes Precarium* pro stipe induxit, *Protectorem* vocavit, qui Patronus aut Defensor dicendus erat: et alia hujusmodi, quae in recentiorum inscriptionibus haud immerito Grammatici notaverunt; quamquam et ea interdum iidem culparunt, quae laudanda essent: ut qui *Cooptatum* quem in collegium Patrum Cardinalium, haud recte dici pronunciavit; quod nempe Cardinalem quemque, non qui sunt ex eo còllegio, sed Pontifex Maximus ipse legat: *Cooptare* autem non unius, sed multorum esse contendat virum unum communi sententia adlegentium. atqui *Cooptare* non aliud est, quam aggregare in multorum numerum, sive unus sive plures virum eundem legant. itaque, ut alios mittam, Cicero de Verre Siciliae praetore, qui multos multis in civitatibus senatores fecerat, nec quemquam suffragiis, ut leges earum erant, sic loquutus est: *Atque in his omnibus senatoribus Cooptandis non modo suffragia nulla fuisse, sed ne genera quidem spectata esse, ex quibus in eum ordinem Cooptari liceret* (7). idemque de Cn. Pompeii filio quum ageret, quem a senatu in patrimonio suo collocari volebat,

(1) lib. 6. c. 10.
(2) lib. 5. c. 3.
(3) Capit. in M. Aur. c. 3.
(4) lib. 2. c. 1. n. 2.
(5) v. Ac. Cor. t. 4. p. 197.
(6) in Alex. c. 21.
(7) l. 2. in Verr. c. 49. n. 120.

Haec, inquit, *senatus, reliqua populus Romanus in ea familia, quam vidit amplissimam, persequetur: in primis paternum Auguratus locum, in quem ego eum, ut quod a patre accepi, filio reddam, mea nominatione Cooptabo* (1).

Negant etiam quidam, qui Rex sit et regiam in stipendiarios dominationem habeat, eum recte *Principem* nominari: quippe sic a Romanis appellatum, qui nomine Principis rempublicam sub imperium ita accepisset, ut ipse in senatus potestate esset; Regis vero ampliorem, quam Principis, auctoritatem esse dominatumque majorem: quum huic omnes et pareant et parere debeant. quod sane inficiari nemo potest; sed ne illud quidem, etsi non omnes, qui Principes dicantur, iidem et Reges sunt, omnes tamen, qui regnum obtinent, eosdem et principatum obtinere: itaque quem initio Regem appellaveris, eundem recte *Optimum Principem* subinde dici posse, tamquam si Praesidem Rectoremve γενικῶς voces. quod ni ita esset, minus bene loquutus videretur Augustus, cujus ea fertur sententia (2), *Pietate et justitia Principes Dii fiunt*; nec melius Seneca, qui quum de placidi tranquillique Regis felicitate multa dixisset, adjecit, *Hic Princeps suo beneficio tutus, nihil praesidiis eget* (3): cujus et in libris *de Clementia* quicumque imperium habeant summum, qua Reges qua Principes nominantur.

Sunt praeterea, quibus is, quem rex apud regem rerum suarum procuratorem constituerit, haud proprie *Legatus* nec latine dici videatur: quia nempe Legatus, transacta re, ipse totius negotii nuncius redibat; at qui nunc a regibus mittuntur, annos saepe complures in statione sua manent: itaque *Oratores* rectius appellari putant: quasi vero non eo vocabulo Virgilius Aeneae Legatos nominarit (4). his porro Tullii opponenda sunt verba in Vatinium (5), quae Legati descriptionem munusque continent: nam intelligent, *Legati* appellationem stationariis aeque oratoribus convenire, quicumque Principis sui nomine apud exteros negotium publicum agant. sic enim ille adversarium insectatur suum: *Ne hoc quidem Senatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut Legati ex ejus ordinis auctoritate legarentur? adeone tibi sordidum consilium publicum visum est, adeo afflictus Senatus, adeo misera et prostrata respublica, ut non* Nuntios pacis ac belli, *non* Curatores, *non* Interpretes, *non* bellici consilii Auctores, *non* Ministros muneris provincialis *Senatus more majorum deligere posset?*

At vero quanto illi rectius alia quaedam expungenda censuissent? non solum quod alieno sensu usurparentur, sed etiam quod Latina nullo modo essent. vidi ego, et ingemui: vidi sub praeclara statua ex aere, nobilissimi municipii nomine inscriptum in basi, *Benefactori*, quod plane barbarum est; quum inscribi posset *Conditori*, aut *Restitutori*, aut *Locupletatori*, aut denique *Parenti Municipii*. externa etiam illa sunt *Typographia, Typographica Ars, Typographus:* pro quibus rectius scribatur *Officina Libraria*, *Ars Libraria*, *Officinator Librarius*. atque in eorum verborum numero habenda cetera, quae Latini aut nunquam usurparunt, aut Graecis semper litteris scripsere: nomina quaedam excipe, quae novis rebus imposita, latine exprimi non potuerunt: quamquam nec omnia ejusdemmodi sunt; quique latine sciat, plura felicius efferet, quam hactenus prolata videamus.

Hic tamen non dissimulabo, ut apud Latinos auctores, ita in ipsis inscriptionibus aliquando, quae Graeca passim appellatione indicarentur, vocibus iisdem et litteris enunciari: quod nuperrime in eleganti titulo vidimus ad aream Sancti Marci invento, unde nova etiam dictio *Pupillatus* iterum in Latinae linguae censum relata est:

(1) Phil. 13. c. 5. n. 12.
(2) Lips. Civ. Doctr. l. 2. c. 10.
(3) de Cl. l. 1. c. 13.
(4) Aen. l. 7. v. 153. etc.
(5) c. 15. n. 35.

DIIS · PROPITIS
CLAVDIA · TI · F · QVINTA
C · IVLIO · HYMETO · AEDITVO
DIANAE · PLANCIANAE
PAEDAGOGO · SVO · KAI
ΚΑΘΗΓΗΤΗ · ITEM
TVTORI · A · PVPILLATV
OB · REDDITAM · SIBI
AB · EO · FIDELISSIME
TVTELAM · ET · C · IVLIO
EPITYNCHANO · FRATRI
EIVS · ET · IVLIAE · SPORIDI
MAMMAE · SVAE · F ·
LIB·LIBERTABVSQ·POSTER·EOR·

nempe quia Hymetus Claudiae puellae non modo custos ac morum rector, sed etiam deductor et adsecla fuerat, Graecum et tralatitium ejus muneris nomen (1) rectius usurpatum est, quam *Deductori* aut *Adseclae:* quod his vocabulis Romae non mercenariam deductionem designabant. eodem modo, quamquam Litteris Latinis, ad Hieronicarum nomina in honorariis inscriptionibus additum legimus, HIERONICAE · CORONATO · ET · DIAPANDON (2), BIS · CORONATO · ET · DIAPANTON (3), IN · VRBE · CORONATO · DIAPANTON · AB · IMPP · DD · NN · SEVERO · ET · ANTONINO · AVGG · (4) quod ea jam φησι Pentathli, opinor, sive Quinquertiones vulgo prodebantur. ceterum Graeca ejusmodi nomina in ore hominum esse desierunt, et alia quis inepte fere ac sine caussa nunc revocare videatur.

Denique veterum dictiones ii quoque pervertunt, qui antiquas formulas nullius generis proprias, sed communes omnium habent: itaque, quod jam questi sumus, indiscriminatim utuntur, et omnibus omnes monumentis scite aptari putant. atqui veterum exempla suo quasque generi addictas fuisse demonstrant: quod quum Maffejus saepe animadvertisset (5), Gruterianas inscriptiones non paucas non alia de caussa commentitias esse censuit, quam quod propria alienis miscerentur. ex his est Veronensis quaedam *Petronii Probi* (6): quippe *incipit,* ut ille ait, Vivus Fecit, *qua formula funebris constituitur: pergit* Iunoni Sacrum, *quibus verbis in votivam transilit: deinde* Petronio Probo, *e quibus demum honoraria cognoscitur* (7). huic porro similem, nisi quod temporaria erat, paucis abhinc annis in Capitolio propositam legimus: nec raro lapidibus ipsis incisae reperiuntur.

Sed tamen si qua opellae hujus nostrae apud doctos erit auctoritas, vix jam hoc nomine in posterum culpari ulla inscriptio poterit, quum non modo hoc libro multa de his monuerimus, sed etiam formulas ipsas libro tertio in sua quasque genera distributuri simus: quo etiam libro non minus adjumenti tironibus afferemus, quum optimarum dictionum vim, non exiguo jam labore comparatam, apta partitione usi, explicabimus.

Quid jam reliquum est, nisi ut tironem moneamus, ne Latini sermonis inscitia humiles voces et abjectas, quibus vix comici utuntur, dignas unquam putet, quae inscriptionibus inserantur? ne in infimi quidem hominis epitaphio, ne dum iis in titulis, qui publice inscribi debent, committendum est, ut sine venustate loquuti esse videamur. scio vetera exstare epitaphia, quae hujusmodi adspersa sint maculis (8), et esse etiam, qui nunc de faece aliquando haurire malint, quam de fonte. quid tamen? apage istiusmodi e plebe ornamenta: quae non minus repudianda sunt, quam ea, quae contra Grammaticorum leges scripta esse reperiamus. utraque enim a recta abeunt norma, nec eorum propria esse potuerunt, qui nobis potissimum imitandi sunt.

(1) Poll. Onom. l. 3. c. 16.
(2) Grut. p. 313. n. 8.
(3) Don. Cl. 4. n. 53.
(4) Murat. p. 659. n. 1.
(5) Art. Cr. L. l. 3. c. 2. p. 180.
(6) Grut. p. 450. n. 1.
(7) Art. Cr. L. l. 3. c. 4. p. 340.
(8) Fabr. p. 705. n. 263. p. 115. n. 294. etc.

CAPVT VI·

De junctura verborum et particulis inscriptionum connexivis

I· Quamquam multa jam de rerum ac verborum serie atque ordine dicta sunt, quum de singulis inscriptionum generibus ageremus; quaedam tamen supersunt, quae omnium fere inscriptionum communia quum sint, hoc loco exponenda mihi esse putavi. primum enim quosdam esse video, qui in verborum conjunctione nulla se lege teneri existiment, quos, velim, mecum animadvertere, non pauca esse, quae hac ipsa in re a veteribus summa religione servata sint.

Mitto hic, quod jam adnotavi, et Deorum et hominum nominibus eam semper sedem esse tributam, unde si dimoveas, vix alium reperire his locum possis, quo apte collocentur. hoc quoque veteres non minus accurate praestiterunt, ut in appositis adscribendis ordinem quemdam grammaticum simplicemque tenerent. atque his res quasque subnecterent ea maxime dispositione, quae prima postremis dilucide numeroseque conjungeret. inscriptionem enim Sutrinam satis implicatam atque abnormem, quam hic subjiciam, exemplum e paucissimis unum esse scias, quae priscis in monumentis jure displiceant (1):

C · LEPIDIO · C · F · PAP ·
VICTORI
II · VIRO · IVRE · DIC · CVR ·
PEC · PVBL · ET · OPERVM · PV
BLICORVM · QVIBVS · EX · FIDE
REFECTIS · OB · MERITA · EIVS
DECVRIONES · ET · AVGVST ·
ET · POPVLVS
STATVAM · PONENDAM
EX · AERE · CONLATO · DECRE
VERVNT · QVI · HONORE
CONTENTVS · EX · SVO · PO
SVIT · ET · CONLATIONEM
REDDIDIT

Enimvero si veteres Deorum titulos consideremus, in his quidem επιθετον ante postve nomen scripsere; itaque eruditae aetatis lapides habent *Omnipotenti Deo Mithrae* (2), *Virgini Victrici Sanctae Deae Nemesi* (3), *Sanctis Draconibus* (4), *Deo Sancto Mercurio Augusto* (5): et contra *Soli Sanctissimo* (6), *Minervae Paciferae* (7), *Dianae Invictae* (8) et pleraque hujusmodi. verum ea apposita, quae substantiva essent, ac vim Deorum numenque praesens significarent, ea semper nomini subjecta sunt; ut *Iovi Depulsori* (9), *Neptuno Adiutori* (10), *Herculi Servatori* (11). neque hisce appositis, ut plerique nunc faciunt, patrios casus praescribere, sed omnino subscribere solebant: cujus moris exempla vulgo occurrent hoc modo: *Fortunae Conservatrici Horreorum Galbianorum* (12), *Iunoni Reginae Conservatrici Liberorum Domus Augustae* (13), *Herculi Comiti Et Conservatori Dominorum Nostro-*

(1) Grut. p. 428. n. 6.
(2) id. p. 34. n. 1.
(3) id. p. 80. n. 5.
(4) Don. Cl. 1. n. 59.
(5) id. Tab. 4. n. 1.
(6) Grut. p. 36. n. 1.
(7) Reines. Cl. 1. n. 228.
(8) Don. Cl. 1. n. 17.
(9) Murat. p. 9. n. 8.
(10) Oderic. p. 183. n. 7.
(11) Vit. Ant. Ben. t. 1. p. 73.
(12) Grut. p. 75. n. 2.
(13) id. p. 25. n. 4.

rum (1), *Diis Deabusque Praesidibus Provinciarum* (2). excipe tamen ex adjectivis nominibus *Potens*, quod fere genitivum casum subsequitur: sic enim efferebant, *Iovi O. M. Tempestatium Divinarum Potenti* (3), *Deo Neptuno Aquarum Potenti* (4), *Mercurio Lucrorum Potenti Et Conservatori* (5).

II. Iam post Deos hominum ciendorum ea ratio fuit, ut nominibus primo fere loco praescriptis apposita omnino subjicerent, tum appositis adderent patrios casus, hoc plane modo (6):

LABERIA · FELICLA
SACERDOS · MAXIMA
MATRIS · DEVM · M · I · (7)

sic alia sacerdotia enunciantur: *Magister Collegii Fratrum Arvalium* (8), *Flamen Divorum Vespasiani, Traiani, Hadriani* (9), *Pontifex Tolentinatium* (10). sic et magistratus ac curationes, quotiescumque patrio etiam casu designanda essent: *Quatuorvir Viarum Curandarum* (11), *Praefectus Vigilum Et Armorum* (12), *Curator Pecuniae Alimentariae* (13), *Legatus Augusti, Procurator Augusti Alpium Maritimarum, Proconsul Provinciae Asiae* et sexcenta hujusmodi: nec aliter tituli illi, quos laudis caussa adscribebant: *Conservatori Orbis Terrarum, Parenti Patriae, Locupletatoribus Municipii*.

Hanc rationem veteres constantissime retinuerunt, nec fortasse aliud eruditae aetatis exemplum proferri potest, in quo patrii casus praepostere scripti legantur, quam quod e Grutero subjiciam, ut ut suspiciosum ambiguumque (14):

IMP · VESPASIANO · AVG ·
PONT · MAX · TRIB · POT · IIII ·
COS · VIII · DESIG · VIIII · P · P ·
SACRARVM · AEDIVM
RESTITVTORI
ET · RITVVM · ANTIQVOR ·
CONSERVATORI
SODALES · TITII

adnotavit scilicet Spanhemius (15), in tribuniciae potestatis numero mendum esse; ea quippe octavum ornatus fuerat Vespasianus, quum Consul nonum est designatus. addo, apud eundem Gruterum bina exstare exempla, quorum alterum exhibet *Conservatori Aedium Sacrarum Sodales Titii* (16), alterum *Conservatori Aedium Publicarum Et Restitutori Aedium Sacrarum Sodales Flavii* (17): ut vix credibile sit, eosdem Sodales Titios alium temere sequutos ordinem, ac eum, quem et ipsi et alii alibi tenuerunt. nam quod nummum Augusti protulerim (18), in quo legimus *Libertatis P. R. Vindex*, primum non illa communis generis inscriptio est: deinde quum ea verba in orbem scripta sint, aliter fortasse legenda, quam Vaillantius putavit. ac Latinorum certe propriam diu habitam esse hanc casuum et appositorum distributionem, sequioris etiam aevi exempla declarant (19):

(1) Grut. p. 45. n. 7.
(2) Rein. Cl. 1. n. 4.
(3) Spon. Misc. p. 76.
(4) Murat. p. 56. n. 2.
(5) Don. Cl. 1. n. 168.
(6) id. ib. n. 28.
(7) *Magnae Idaeae*.
(8) Don. Cl. 9. n. 28.
(9) id. Cl. 2. n. 31.
(10) id. Cl. 9. n. 20.
(11) Rein. Cl. 2. n. 26.
(12) id. Cl. 6. n. 60.
(13) Don. Cl. 1. n. 169.
(14) Grut. p. 243. n. 5.
(15) Diss. 12. p. 474. v. inscr. 77.
(16) p. 243. n. 7.
(17) p. 244. n. 7.
(18) part. 2. cap. 2. §. 2.
(19) Maff. M. V. p. 251. n. 3.

DIVO · AC · VENERABILI
PRINCIPI · CONSTANTINO
PATRI · PRINCIPVM
MAXIMORVM
L · CREPEREIVS · MADALIANVS · V · C ·
PRAEF · ANN · CVM · IVRE · GLAD ·

Porro dativi etiam casus et ablativi, quibus maxime munera indicabantur, post apposita item scripti reperiuntur, ut *Decemvir Stlitibus Iudicandis, Triumvir Auro Argento Aeri Flando Feriundo, Curator Pecuniae Publicae Exigendae Et Adtribuendae In Ludos, Quatuorvir Aedilicia Potestate, Procurator Augustorum A Rationibus Vicesimae Hereditatium*, et similia: sed tamen ex appositis ea, quae adjectiva sunt nomina, obliquos fere casus sequuntur, ut *Principi Castrorum Equo Publico Exornato Et Donis Donato* (1), *Omnibus Honoribus In Patria Sua Functus* (2), *Duumviralibus Ornamentis Suffragio Sancti Ordinis Honoratus* (3) *Praefectus Iuri Dicundo Ab Decurionibus Creatus* (4). nomen tantum Principis fere adjectivo subjicitur, ut *Curatori Reipublicae Dato Ab Imp. Trajano* (5), *Adlecto Inter Patricios Ab Imp. Caes. Trajano Hadriano Aug.* (6), *Misso Ab Imp. Antonino Aug. Pio Ad Deducendas Vexillationes In Syriam Ob Bellum Parthicum* (7).

Sunt et Επιθετα laudis caussa substantivis nominibus juncta: quae, si de *Principe* sermo est, fere nomen antecedunt: itaque legimus passim *Optimo Principi, Nobilissimo Principi, Optimo Sanctissimoque Principi, Optimo Fortissimo Providentissimoque Principi*, et hujusmodi. at ceteris nominibus fere subjiciuntur, ut *Praesidi Abstinentissimo, Praesidi Optimo Et Rarissimo, Patrono Optimo, Patrono Optime Merito, Patrono Praestantissimo, Amico Incomparabili, Civi Munificentissimo, Viro Innocentissimo, Pantomimo Sui Temporis Primo*: contra legi apud Fabrettum, *Bono Civi, et Rarissimo Innocentissimoque Cur. R. P. Et Patrono* (8).

Quod si Επιθετον muneri aut arti designandis nomini conjungeretur, ne tum quidem praeibat: excipe qui *Summus Curator* (9) dicebatur, reliqua eodem modo enunciari videmus: ut *Pontifex Maximus, Flamen Perpetuus, Frater Arvalis, Tribunus Laticlavius, Legatus Augustalis*: et *Faber Argentarius, Faber Ferrarius, Fabri Tignarii, Fabri Navales Ostienses, Negotiator Sagarius, Negotiator Frumentarius, Mercatores Frumentarii, et Olearii*. adjectiva item nomina, quae substantivis addita conditionem cujusque et gradum in republica declarabant, secundo passim loco scripta reperies: ut illa, *Vir Clarissimus, Vir Spectabilis, Vir Inlustris, Vir Egregius, Vir Perfectissimus* (10): itaque non bene Muratorius, quum apud Gruterum (11) ei occurrisset *Martinianus* V. P. *Praeses Provinciae Norici Mediterr.* legendum putavit (12) *Vrbi Praefectus*: quippe veteres litteris P. V. *Praefectum Vrbis*, litteris vero V. P. *Virum Perfectissimum* certo discrimine designabant. tum in castris quoque hanc appositorum rationem valuisse videas: nec solum cognomina legionum nomini ac numero singularum subjecta sunt, sed cohortes etiam et alae militum appositum, quo maxime distinguuntur, extremum referunt: ut *Ala Thracum Herculania, Ala I. Tungrorum Frontoniana, Cohors II. Gallorum Macedonica, Cohors I. Aquitanorum Equitata*, et quae in Gruteri et aliorum voluminibus in promptu sunt. atque in Gruteri quidem συλλογῇ urbis etiam regiones ac vicos eodem modo indicari reperias: idem enim e basi

(1) Don. Cl. 6. n. 20.
(2) Grut. p. 322. n. 9.
(3) id. p. 431. n. 1.
(4) id. p. 195. n. 4.
(5) id. p. 392. n. 7.
(6) id. p. 393. n. 6.
(7) id. p. 441. n. 4.
(8) p. 603. n. 33. p. 118. n. 1.
(9) Grut. p. 431. n. 1.
(10) v. inscr. 50.
(11) p. 283. n. 5.
(12) Anecd. Graec. p. 5.

statuae, quam Hadriano Aug. posuere *Magistri Vicorum Vrbis Regionum* XIIII· quinque regionum vicos descriptos edidit (1), hisce appellationibus: *Vico Camoenarum, Vico Drusiano, Vico Veneris Almae, Vico Piscinae Publicae, Vico Larum Ruralium*, et hujusmodi.

Porro ut apposita, sic et pronomina primarios fere casus subsequuntur (2):

PRO · SALVTE · ET · GLORIA · IMP · CAES · M ·
AVRELII · ANTONINI · AVG · L · ARRVNTIVS
PHILIPPVS · ET · Q · CODIVS
IASON · MERCVRIVS · FILIVS · HVIVS
D · D ·

alia hujusmodi exempla habes libro primo: *Ob Merita Patris Et Ipsius* (3), *Tribuno Militum Leg. IX. Hispan. Vexillariorum Ejusdem* (4), *Insignibus Virtutibus Eorum* (5), *Limocincti Tribunalis Ejus* (6), *Qui Et Dedicatione Ejus* (7), *Per Legatum Ejus* (8), *In Solacium C. Vallii Postumi Patroni Municipii Patris Ejus* (9), idem tamen pronomen inter similes casus medium aliquando leges, ut *Ob Adsidua Ejus In Hanc Rempublicam Merita* (10): item ante geminum casum, ut *Quod Ejus Ductu Auspiciisque* (11).

III· Numerorum etiam adscribendorum regulam quamdam veteres habuere. honores quoties quisque cepisset eosdem, numero post magistratuum nomina scripto indicabant, ut *Dictator Quinctum, Cos. III., Duumvir Iterum, Quinquennalis II.*, quod ab Hagembuchio etiam animadversum est (12). eodem modo vitae annos numero post nomen expresso demonstrari videmus, *Vixit Annos XXXX.* et appellatione ipsa aliquando praescripta, *Vixit Annos Numero XXX.* (13) quam ad personarum etiam numerum designandum a veteribus usurpatam esse, libro primo admonui (14).

Contra ubi de sestertiis nummis agitur, primum nota sestertii occurrit HS, deinde numerus fere, exempli caussa, XXX. tum N., id est *sestertiis triginta nummis*. si autem totidem sestertiûm millia significanda erant, nulla post numerum scribi littera solebat, aut N. tantum ante ipsum numerum, *Pecunia N. HS. XX.* id est *numero sestertiorum viginti* (15). ceterum in aliarum rerum numero prodendo de notarum ordine ac loco minus veteres laborarunt: id ex Pompeii disces inscriptione (16), in qua notarum aliae ante nomina scriptae sunt, aliae vero subsequuntur. nisi quod ratum illud fixumque erat, ut ordinalia quae vocant nomina a numero orta, quibus maxime legiones et cohortes distingui solebant, inter nomen cujusque et cognomen media collocarent: sic enim vulgo cientur, *Legio I. Adjutrix, Legio II. Adjutrix Pia Fidelis, Legio V. Macedonica, Cohors I. Aelia Dacica, Cohors XII. Vrbana, Cohors V. Antoniniana* et hujusmodi.

IIII· Varios jam casus, varia nomina et apposita, nisi certis orationis particulis utamur, raro conjungi recteque componi posse, manifestum est. nec tamen iis omnibus usi veteres sunt, quas poëtae oratoresque licentius usurparunt. primum enim iis fere abstinuerunt, quae inutiles essent. itaque quum Deos suos appositis ornarent, nullo ea nexu jungebant (17):

(1) Grut. p. 250.
(2) Walch. Marm. Stroz. p. 13. n. 14.
(3) v. inscr. 85.
(4) v. inscr. 101.
(5) v. inscr. 95.
(6) v. inscr. 84.
(7) v. inscr. 252.
(8) v. inscr. 251.
(9) v. inscr. 100.
(10) v. inscr. 86.
(11) v. inscr. 88.
(12) Ep. Ep. p. 330. v. c. 4. hujus partit. n. 5.
(13) Hagemb. ib. p. 495.
(14) ad inscr. 121.
(15) V. N. ad inscr. 108.
(16) inscr. 32.
(17) Grut. p. 50. n. 3.

HERCVLI · VICTORI
POLLENTI · POTENTI
INVICTO · D · D · L · M · (1)
C · VLPIVS · FRONTO
VIATOR · Q · (2)
DEDIC · III · K · IVL ·
L · VETTIO · PAVLLO
T · IVNIO · MONTANO COS · (3)

iidem tamen, si plures Dii nominandi erant, ne quis unum multis nominibus Deum esse putaret, non raro particula ET alterum ab altero distinguebant (4):

SILVANO · SANCTO
ET · MERCVRIO
ET · LIBERO · PATRI
SACRVM
M · VARGVNTEIVS · M · F ·
PAL · AVGVRINVS
SVA · PECVNIA · D · D ·
III · IDVS · AVGVST ·
PETRONIO · TVRPILIANO
ET · CAESONIO · POETO · COS · (5)

sic et nomina dedicantium enunciabant, si plures essent: nisi quod primum aliquando recto casu, alterum ablativo efferebant, particula CVM praeposita, et verbis nihilominus plurali numero usurpatis (6):

IOVI · O · M ·
FORTVNAEQVE
MELIORI · AVG ·
ET · DIS · DEABVS
QVE · COMMVN
IBVS · M · GELLIVS
STEPHANVS · IVN ·
CVM · STEPHANO · PATRE
DOMV · TERTIANA · EX
DIRVTION·RESTIT·DEDICARVNTQ·

Magistratus autem, curationes, gradus militares, sacerdotia sine ulla conjunctione recenseri item solebant; atque idem potius nomen ter quaterque insertum est, quam ulla nexus particula illius loco recepta (7):

C · IVNIO · C · F · QVIR ·
FLAVIANO
PRAEF · ANNONAE
PROC · A · RATIONIBVS · PROC ·
PROVINCIARVM · LVGDVNENSIS
ET · AQVITANICAE · PROC · HEREDITAT ·
PROC · HISPANIAE · CITERIORIS
PER · ASTVRICAM · ET · GALLAECIAM
PROC · ALPIVM · MARITIMARVM
PROMAGISTRO · XX · (8) HEREDITATIVM
TR· MIL· LEG · VII· GEM · PONTIF · MINORI
MERCATORES · FRVMENTARI
ET · OLEARI · AFRARI

(1) *Donum Dedit Libens Merito*.
(2) *Viator Quaestorius*.
(3) Cos. an. Varr. 921.
(4) Grut. p. 62. n. 7.
(5) an. Varr. 814.
(6) Grut. p. 3. n. 9. v. inscr. 42. l. 1.
(7) Grut. p. 426. n. 5.
(8) *Vicesimae*.

verum si quis rei uni munere gemino praeesset, vel etiam bina negotia unius magistratus nomine administraret, tum vero et munera et negotia connexivis particulis copulabantur (1):

TI · IVLIO · AVG · L ·
OPTATO · PONTIANO
PROCVRATORI · ET
PRAEFEC · CLASSIS
TI · IVLIVS · TI · F · FAB ·
OPTATVS · II · VIR ·

(2)

L · CASVRIO · L · F ·
CLV · (3) SPECVLATORI ·
AED · IIII · VIR · I · D · Q · ARK ·
PVBL · (4) ET · PEC · ALIMENTAR ·
DEFENSORI · R · P · CVR · ANN ·
POPVLO · PRAEBITAE
COSCONIVS · SECVNDINVS
ET · SAFINIA · IVSTINA · ET · COSCONI
GRATVS · SECVNDINVS · ET · IVSTINVS

ut autem hic in personarum etiam enumeratione particula ET usurpata est, sic eadem usi veteres plerumque, quum diversos civitatis ordines nominarent (5):

C · IVLIO · AVGVSTI · L ·
HELENO
EX · DECRETO · DECVR ·
MVNICIPII · ALETRINAT ·
ET · POLLICITATIONE · SEVIR ·
ET · MVNICIPVM · ET · INCOLAR ·
OB · MERITA · EIVS

itaque nuper, quum Bononiae non unius generis conditionisve homines pecuniam ad Zannotti simulacrum contulissent, in ejus, quam condidi, inscriptione particulam ET bis inserendam putavi, ne cui forte ambigua designatio illa videretur:

FRANCISCO · MARIAE
ANDR · F · CAVAZONIO · ZANOTTO
CIVI · BONONIENSI
DOCTORI · DECVRIALI · DISCIPLINAE · MORVM · TRADENDAE
SVMMO · SCRIBAE · AB · ACTIS · INSTITVTI · MARSILIANI
PRAESIDI · EIVSDEM
POETAE · ORATORI · PHILOSOPHO
QVOD · NOMINIS · BONONIENSIS · GLORIAM
DOCTRINAE · SVAE · LAVDE · AVCTAM
LITTERARVM · ETIAM · MONVMENTIS
POSTERITATI · PROPAGARIT
AMICI · VETERES · ET · COLLEGAE
ET · AVDITORES
AVCTORI
STVDIORVM · OPTIMORVM
ANNO · M · DCC · LXXVIII ·

(1) Grut. p. 423. n. 8.
(2) id. p. 386. n. 4.
(3) *Cluentina tribu*.
(4) *Quaestori Arcae Publicae*.
(5) Grut. p. 422. n. 3. v. inscr. 79. 81. 84. etc.

Ad summam conjunctio ab antiquis libenter recepta, quotiescumque ad perspicuitatem utilis esset: magis vero particulam ET probarunt, quam AC aut ATQVE. nec saepe iis usi particulis, quae αυξησιν sapiunt; quippe inscriptionem illis plus aequo producere, ac paene inflare videbantur. sed si quando adsciverunt, ita circumloquutionem amplexi sunt, ut περισσολογιαν tamen vitarent (1):

DIVO . ANTONINO · AVG ·
SENATVS · POPVLVSQVE · LAVRENS
QVOD · PRIVILEGIA · EORVM · NON
MODO · CVSTODIVERIT · SED · ETIAM
AMPLIAVERIT · CVRATORE
M · ANNIO · SABINO · LIBONE · C · V ·
CVRANTIBVS · TI · IVLIO · NEPOTIANO
ET · P · AEMILIO · DONATIANO · PRAET ·
II · Q · Q · LAVRENTIVM

Videas etiam, particula ET rejecta, CVM placuisse, ac simul verbum plurali numero adscriptum esse, perinde quasi casibus rectis jungeretur duobus (2):

DIS · MANIBVS · SACRVM
VIVENIAE · L · F · HELIADI
VIXIT · ANNIS · XVI · MENSIB · VI ·
FECER · HELIVS · AFFINIANVS · PVBLICVS
AVGVRVM · CVM . SEX · PSYCHE · CONIVGE
FILIAE · PIENTISSIMAE

rursus pro ET usurpatum aliquando est ITEM (3):

IMP · CAES · DOMITIANO · AVG ·
GERMANICO · XV ·
M · COCCEIO · NERVA · II · COS ·
THALLVS · AGITATOR · L · AVILLI · PLANTAE · SER ·
DOMINVM · SILVANVM · DE · SVO
POSVIT · ITEM · DEDICAVIT

nec raro conjunctionis caussa, praesertim si oratio longiuscula esset, IDEM interponebant, quo scilicet posteriora quoque ab eodem viro gesta esse admonerent: sive etiam ut multa ab uno perfecta esse apertius ac luculentius demonstrarent (4):

C · TORASIVS · C · F · HOR · SEVERVS · IIII · VIR · I · D ·
AVGVR · SVO · ET · P · MECLONI · PROCVLI · TORASIANI · PONTIF ·
FILI · SVI · NOMINE · LOCO · ET · PECVNIA · SVA · FECIT · IDEM
AD · CELEBRANDVM · NATALEM · FILI · SVI · IN · PVBL · DEDIT · HS · CCL·
EX · QVORVM · REDITV · III · K · SEPT · OMNIBVS · ANNIS · DECVRIONES · IN
PVBLICO · CENARENT · ET · MVNICIPES · PRAESENTES · ACCIPERENT
AERIS · OCTONOS · ITEM · DEDIT · VI · AVG · ET · COMPITALARIBVS
AVG · ET · MAG · VICORVM · HS · CXX · VT · EX · REDITV · EIVS · SVMMAE
EODEM · DIE · IN · PVBLICO · VESCERENTVR · HVNC · OB · MERITA · EIVS
ERGA · REMPVBLICAM · ORDO · DECVRIONVM · PATRONVM
MVNICIPI · ADOPTAVIT

alias, clari viri nomine inscripto, et honore monumenti indicato, narrationem subnectebant, initio facto ab pronomine HIC: cujus moris exempla habes libro primo (5).

V. Ceterum haec in Imperatorum titulis non occurrent, quorum oratio una ac perpetua esse solet. quin et privatis plerumque curae fuit, ut eodem modo inscriptionem

(1) Fabr. p. 682. n. 67. Grut. p. 256. n. 7.
(2) Fabr. p. 336. n. 503. v. inscr. 42.
(3) Fabr. p. 274. n. 158.
(4) Grut. p. 179. n. 3.
(5) v. inscr. 105. 106. etc.

ad ipsum exitum sermone nunquam interrupto deducerent (1): idque interdum in epitaphiis quoque servatum esse reperies; quidam enim vitae etiam aut matrimonii annos relativo pronomine QVI extulere, ne quid scilicet in tota inscriptione disjunctum relinquerent (2):

D · M · S ·
TI · CLAVDIO · SALVIO · ET
RVBRIAE · CHRYSIDI · F ·
TI · CLAVDIVS · CHRYSIPPVS
PARENTIBVS · B · M ·
QVI · VIXERVNT · VNA · ANNIS · L ·

alii eodem pronomine usi in obliquos casus declinato, ut res alias sententia continuata subnecterent (3):

DIIS · MANIBVS
TI · CLAVDI · AVG · LIB ·
THALETIS · VINICIANI
NOMENCLATORIS
A · CENSIBVS
THALLVS · ET · IANVARIA
LIB · DE · SVO · POSVERVNT
LOCO · LEGATO · AB
IVLIO · ALCIDE · COLL · (4) EIVS
CVIVS · HERES · FVIT

atque hoc pacto addebant in honorariis inscriptionibus, quae quisque in statuae suae dedicatione civibus divisisset: nihil enim crebrius in municipalibus monumentis, quam illa legimus: *Cujus Dedicatione Decurionibus Sportulas Et Municipibus Epulas Divisit* (5), atque alia hujusmodi.

At si res gestae, si magnae virtutes, si praeclara beneficia prodenda erant, alias fere particulas, easque felicius usurparunt. hae sunt QVOD (6), AD (7), VT (8), EX (9), OB (10). atque has quidem magno olim usui in dictionis ornatae exemplis fuisse facile agnosces: nam in iis, quae simplicis dictionis sunt, aliae saepius occurrunt, PRO, IN, CVM, SVB et similes harum, quae fere longam post se orationem non requirunt. cujusmodi illa sunt *Pro Salute Arriae Suae* (11), *In Memoriam Minei Prisci* (12), *Clypea Cum Imaginibus* (13), *Sub Quorum Tutela Augusti Militant* (14), *Per Collegium Pontificum* (15), *De Senatus Sententia* (16). nec tamen conjunctionibus istis ad inscriptiones condendas ita opus est, ut nullae sine illis justae perfectaeque esse possint. nam si res gestae, aut caussae monumentorum sexto casu efferantur, sive simplici sive ornata dictione utaris, egregiae saepe inscriptiones atque optimae exsistant: quarum sane exempla quaedam primo item libro (17) prolata sunt.

Quid vero, si utramque aliquando rationem sequaris, orationemque primum conjunctione aliqua suspendas, deinde sexti casus figura protrahas, ut tandem numerose desinentem apta sententiae terminatione concludas? id equidem usui tibi futurum arbitror, inceptumque commode successurum, quotiescumque uno in titulo res inter se diversae jungendae fuerint. sic enim facile illud adsequere, ut inscriptionis sententiam una perpetuaque oratione efferas. atque hoc ipsum expertus dico: datum enim mihi argu-

(1) Fabr. 267. n. 108. v. inscr. 298. 237. etc.
(2) Fabr. p. 267. n. 108. v. inscr. 166. etc.
(3) Grut. p. 599. n. 4.
(4) *Colliberto*.
(5) Fabr. p. 664. n. 514.
(6) v. inscr. 47. 88. 89. 90. 92.
(7) v. inscr. 91. 273.
(8) v. inscr. 277.
(9) v. inscr. 35.
(10) v. inscr. 94. 95. 99.
(11) v. inscr. 14.
(12) v. inscr. 13.
(13) v. inscr. 18.
(14) v. inscr. 10.
(15) Grut. p. 13. n. 11.
(16) id. p. 43. n. 5.
(17) v. inscr. 23. 32. 33. 42. 72.

mentum nuper est inscriptionis satis implicatum, quod fuit hujusmodi: Pium VI· Pont. Max. ne praeclara pictorum, statuariorum, architectorum monumenta penitus amitterentur, Bibliothecae Vaticanae e proximo satis magnum conclave adtribui jussisse, in quo ea volumina adservarentur, quae ibidem non exiguo jam numero ex egregiis veterum recentiumque operum exemplis compacta sunt, quaecumque hactenus aereis incisa tabulis et inde in chartis efficta habemus. porro consilium et munus singulare optimi Principis sic exposui:

PIVS · VI · PONT . MAX ·
ANNO · SACRI · PRINCIPATVS · SEXTO
VT · MEMORANDA · ARTIFICVM · EXCELLENTIVM · INVENTA
LINEARIS · PICTVRAE · EXEMPLIS · EXPRESSA
POSTERITATI · PROROGARET
AVCTIS · BIBLIOTHECAE · VATICANAE · SEDIBVS
NOVOS · LAVDATORVM · DIAGRAMMATVM · CODICES
SVA · IMPENSA
INSTITVENDOS · ORDINANDOSQVE · CVRAVIT

VI· Reliquum est, ut quae hactenus de junctura verborum ac de connexivis particulis dicta sunt, nemo tamquam levia et exigua contemnat. parum certe vidisse dixerim, qui non ab his titulos saepe colorem ducere, atque ad antiquorum formam perfici animadverterit. quid, quod recentiorum inscriptiones quum offendimus, si quid praeter veterum ordinem ac dispositionem initio peccatum est, cetera jam praetereuntes negligimus, nec meliora esse putamus? quod perturbatio nempe illa indicio sit, scriptorem, quicumque fuerit, ex iis non fuisse, qui de stilo inscriptionum ex antiquis exemplis praecepta hauserint. at contra si qua inscriptio, non illa quidem optima, sed tamen recte inchoata, ab antiquorum norma abludere non videtur; eam quisque ab erudito viro prodiisse non dubitat, dignamque esse censet, quae tota perlegatur. quare qui rectum conjunctionum usum et priscam verborum juncturam studiosius retinuerit, hoc etiam facile adsequatur, ut ipse eruditi famam occupet, inscriptiones a stili veteris forma commendentur.

Neque ego tamen, quae plerisque inscriptionibus convenire dixi, ea omnia in monumentis etiam sacrorum et in fastis quibuslibet et in constitutionibus publicis accuratissime servanda semper esse statuerim: quae veteres quoque liberius paullo ac solutius scribenda putaverunt. id tute videris, et usu maxime atque imitatione definieris. equidem quae sint eorum propria et sollemnia quaeque arbitrii nostri et judicii, satis jam superius exposui.

CAPVT VII.

De figuris inscriptionum

I. Valde errant profecto, qui nullam sive verborum sive sententiarum figuram inscriptionibus convenire censent; at graviori in errore versari puto, qui omnes inscriptiones figuris ornandas pluribus distinguendasque arbitrantur. facilius enim probabiles inscriptiones ab illis fient, qui figurarum ornatum repudient omnem, quam ab iis, qui eas studiose et avide consectentur. has certe ex quo avi nostri aucupari coeperunt, nullum tolerabilem titulum nobis prodidere: quorum tamen majores, rejecta poëtarum licentia, antiquam plane inscriptionum simplicitatem multis expressam monumentis reliquerant.

Enimvero qui optima quaeque veterum exempla perlegerit, et diu singula eorum genera considerarit, ita figuris in inscriptione locum tribuendum existimet, ut plerasque omnino rejiciat, aliis parce nec sine caussa utatur, quasdam ultro amet ac licentius identidem intermisceat. nam et nullam ferme e multis, quae avis nostris placuere, in germanis veterum exemplis se invenisse meminerit, et alias in plerisque exemplis desiderari jam noverit, et quae modestae aut graves aut tenues sunt, eas maxime antiquis probatas esse didicerit.

Primum igitur eas sententiarum figuras, quae poëticae plane sunt, aut oratoris quodam animi impetu concitati propriae videntur, inscriptioni minime aptas esse, veteres putaverunt: neque enim inter antiqua exempla numeres nescio quas inscriptiones plane ineptas, quae tamen eruditorum quorundam indulgentia diu inter priscas probasque sedem impune habuerunt. hujusmodi sunt, quae in Dacia repertae dicuntur, quibus olim Leunclavius, quod Trajani res gestas celebrarent, commentarios in Dionem suos (1) ornari nonnihil posse existimavit: at nemo sanus non eas commentitias habeat, et funditus omnes repudiet: esto, Gruterus etiam adsciverit, nec omnes in suspicionem vocaverit sublestae fidei; sero illae, atque unius omnes, nec tamen Itali hominis stilo conscriptae sunt: qui haud rectis innutritus studiis, Latinam dignitatem ignorabat, nec Trajani aevi inscriptiones viderat, quibus nihil grandius fere aut elegantius usquam reperies. pudet me vel unum ex illis exemplum afferre; sed tamen non est omittendum, quo tirones melius noscant, quid improbemus (2):

FORTVNAE · AVG · OMNIPOTENT ·
VBI · ERAS · RHAMNVSIA
VBI · ERAS · QVANTVM · ABFVIT
NE · ROMA · LVGERET · SED · VIVIT
TRAIANVS · VE · TIBI · DECEBALE
MILSS · LEG · VI · ET · XII · G ·
DEVOTIS · CAPITIBVS

ex eodem genere Hispanae quaedam sunt satis notae, e quibus digna haec, quae familiam ducat (3):

(1) p. 1040.
(2) Grut. p. 73. n. 8. v. p. 23. n. 3. et p. 103. n. 5. etc.
(3) Grut. Spur. p. 2. n. 1.

PALLADI · VICTRICI · SACRVM
HIC · HOSTIVM · RELIQVIAS · PROFLI
GAVIT · CATO · VBI · ET · SACELLVM · MIRO
ARTIFICIO · STRVCTVM · ET · AEREAM
PALLADIS · EFFIGIEM · RELIQVIT
PAREANT · ERGO · ET · NOSCANT · O
MNES · SENATVS · ET · POPVLI · ROMANI
IMPERIVM · ET · DEORVM · NVMI
NE · ET · MILITVM · FORTITVDINE
ET · TVERI · ET · REGI

hanc tamen inscriptionem, quod miror, Noghera vir doctus tamquam priscum exemplum attulit (1), ut figuratam dictionem tironibus repraesentaret.

Porro antiqua exempla non modo figuris hujusmodi immunia sunt, sed iis etiam carent, quae in verborum notatione versantur: e Dacia enim est atque e Latii officina, quam hic subjiciam, quamquam Fleetwoodus (2) in Danubii ponte, Trajani aetate, fixam putavit, et inter germanas inscriptiones recepit:

PROVIDENTIA · AVG · VERE · PONTIFICIS
VIRTVS · ROMANA
QVID · NON · DOMET
SVB · IVGVM
ECCE · RAPITVR · ET · DANVVIVS

Varronis scilicet notationem recens tituli hujus scriptor legerat, quae hujusmodi est (3): *Sacerdotes universi a sacris dicti* Pontifices, *ut Q. Scaevola Pontifex Maximus dicebat, a* posse *et* facere*; ego a* ponte *arbitror: nam ab iis Sublicius est factus primum et restitutus saepe, quod eo sacra et uls et cis Tiberim non mediocri ritu fiant.* nec vero, si quod aliud exemplum lusibus hujusmodi aut agnominationibus inspersum occurret, non id recens habeas et commentitium: quippe haec Latini partim Grammaticis quaerenda linquebant, partim sibi ad joculares sermones reservabant; neque illi ad hunc gustum ea scribenda arbitrabantur, in quibus et serio et saepe publice atque etiam ad posteros loquerentur.

II· Sed tamen non omnes sive verborum sive sententiarum figurae a veteribus repudiatae: quin aliae atque aliae apparent in exemplis bene multis, e quibus dictio illa exstitit, quam singularem appellavimus; quae multis fortasse opportuna atque percommoda videatur, qui ingenio nempe dare aliquid, et a communi norma plus aequo etiam recedere solent. verum ne in hac quidem Latini illi veteres voluptati magis, quam rationi indulgere: ut in ipsa licentia modum plane servasse videantur.

Graecorum erat mos, ut ipsas Deorum suorum effigies, quas dedicabant, loquentes inducerent: itaque in templo, quod Pisis Elei exstruxerant, ad Iovis pedes, ut ait Pausanias (4), haec legebantur,

ΦΕΙΔΙΑΣ · ΧΑΡΜΙΔΟΥ · ΥΙΟΣ · ΑΘΗΝΑΙΟΣ
Μ' ΕΠΟΙΗΣΕ

hunc et Latini morem aliquando sequuti, quod jam adnotavimus (5). sed ea magis forma delectati, quae auctorem monumenti primae personae figura loquentem faceret, sermone etiam ad Deos converso: ut hoc in exemplo (6):

(1) ad inscr. Ferrar. p. 24.
(2) p. 65. n. 2.
(3) de L. L. l. 4. c. 15.
(4) lib. 5. c. 10. *Phidias Charmidae filius Atheniensis me fecit.*
(5) v. inscr. 60.
(6) Grut. p. 82. n. 2. v. inscr. 57. 58.

TE · TIBI
VNA · QVAE
ES · OMNIA
DEA · ISIS
ARRIVS · BAL
BINVS · V · C ·

statuam nempe Isidis Balbinus ipsi dicavit Isidi: nam simulacra ipsa Deos appellabant, uti superius animadvertimus.

Eodem modo in epitaphiis loquentes inducuntur, qui tumulum condiderunt (1):

ASCLEPIADES
VALERIAE · SABINAE
CONIVGI
BENEMERENTI
ANIMAE · INNOCENTI
QVAE · VIXIT · MECVM
A · XXV · M · IIII · D · X ·
MONVMENTVM
FECI

iidemque sepultos adloquuntur, aut sepulti ipsi garriunt aliquid, aut viatores compellant (2). quin viator interdum salutem primus sepulto dicit, tum hic viatorem resalutat (3):

D · M · S ·
MACEDO · HAVE
BENE · VALEAS
QVISQVIS · ES
FECER · C · MODESTIVS
MACEDO · PATRI
PIISSIMO · ET
FORTVNATA
CONIVX · CVRANTE
RVFINO · COLLIBERTO

Iam acclamationes atque omina cum in epitaphiis, tum aliis in titulis legimus (4), in quibus verbum fere subaudiendum est. nihil in his tamen translatum audacius, nihil longius petitum, quam res ipsa ferat: ut in singulari illa dictione quotquot exstant exempla, forma quidem aliquid, re nihil ab aliis dissentiant. saepe autem uno tantum rerum ordine differunt, variatis scilicet casibus, ut quae primo loco in aliis leguntur, illic extrema sint, et verbum passiva potius, quam activa significatione usurpetur. hoc modo confectae aliquando historicae inscriptiones, quas inter egregiam dixeris, quae nuper in agro Faleriensi reperta, Romam advecta est:

(1) Grut. p. 758. n. 5. v. inscr. 147. 177. etc.

(2) v. inscr. 151. 152. etc.

(3) Grut. p. 732. n. 13.

(4) v. inscr. 150. et not. ad inscr. 441.

(1)

IMP . CAESARE
TRAIANO · HADRIANO
AVG . III · COS ·
VIA . NOVA · STRATA · LAPIDE
PER · MEDIVM · FORVM · PECVAR ·
A · SVMMO · VICO · LONGO · AD
ARCVM · IVNCTVM · CAPITOLIO
EX · CONLATIONE · MANIPRETII
POSSESSORVM . CIRCA · FORVM · ET · NE
GOTIANTIVM · ITEM · COLLEGIA · QVAE
ATTINGVNT · EIDEM · FORO
II · VIRATV · · · · · · · ·
· · · · · · · · · · · ·

nolim, illa nimium displiceant, *Item Collegia Quae Attingunt Eidem Foro*: Graecorum haec more scripta videri possint, ut si diceres *Item Ex Conlatione Collegiorum, quae Collegia Attingunt Eidem Foro* id est εφαπτεται τῃ αγορᾳ: cujusmodi multa Latinis poëtis placuerunt. in fine nomina duumvirorum vetustate deleta sunt.

Vt autem hic quisque quarto versu subaudiet EST, sic in aliis alia verba omissa videmus, quae tamen nemo impensius requirat: idcirco nuper in titulo viae suburbanae ad Velitras nullum ultra haec verbum necessario addendum putavi:

ANNO · M · DCC · LXXXVIIII ·
EX · DECRETO · ORDINIS
VIAE · LIMITES
FERIATIS · CIVIBVS
AD · APRICANDVM
PROLATI

tum verba alibi si minus omissa, at praesenti potius tempore, quam praeterito (2), vel primae potius, quam tertiae personae figura usurpantur (3). in iisdem exemplis, *Canusini more bilinguis*, latine iidem aliquando et graece loquuti in epitaphiis potissimum, quibus moralem nempe sententiam subscripsere. honorariae vero inscriptiones subnexam saepe habent narrationem aliquam a demonstrativo pronomine fere inchoatam, in qua tamen sine pigmentis fucoque puerili res singulas enumerari, magis, quam celebrari dixeris: cujus moris exempla libro primo invenies non pauca. addo, et sacris aliquando narrationes hujusmodi satis longas subscriptas esse: quorum eximium hic exemplum subjiciam (4):

(1) in Mus. Vatic. v. inscr. 251. 252. 254.

(2) v. inscr. 256. etc.

(3) v. inscr. 110. etc.

(4) Grut. p. 256. n. 10.

DIVO · ANTONINO
PIO
C · EGNATIVS · FESTVS · AEDIL · II · VIR ·
HVIC · CVM · PLEBS · VRBANA · LVDOS · PVB
LIC · EDENTI · AD · STATVAM · PONENDAM
PECVNIAM · OBTVLISSET · IS · HONORE
CONTENTVS · IMPENSAM · REMISIT
ET · IMPETRATA · VENIA · AB · ORDINE
PERVSINOR · OPTIMO · MAX · Q · PRINC ·
DE . SVA · PEC · POSVIT · CVIVS
OB · DEDICATIONEM · DARI · IVSSIT
AB · HEREDE · SVO · DECVRIONIB ·
SING · HS · IIII · N · PLEBI · HS · II · N ·
L · D · D · D ·

Atque haec maxima sunt, quae Latini, quum soluti legibus, exspatiari latius vellent, permissa sibi atque integra esse putaverunt. eatenus scilicet Latinarum litterarum et liberae scriptionis patere fines; quod ultra progrederetur, a Latino more atque a nativa venustate abhorrere arbitrabantur.

III· Venio ad figuras, quas communis etiam recipit stilus. eae paucae omnino, ac fere in verbis consistunt. primum quidem, ut res alias, sic aedificia aliquando non propriis sed aliunde petitis nominibus apte appellarunt: ut apud Beneventanos Vidius Pollio, qui curiam a se exstructam *Caesareum* nominavit (1), et Romae Augustus, qui sepulcrum Caesarum, quod propter Tiberim aedificarat, *Mausoleum* dici voluit (2). sic Romae item ingenuarum artium ludus ab Hadriano constitutus *Athenaeum* dictus est (3). atque ille idem in Tiburtina villa plerisque locorum Graeca nomina imposuit. in qua *Lyceum*, *Academiam*, *Prytaneum*, *Canopum*, *Poecilen*, *Tempe* fuisse scimus (4): quemadmodum quaedam iisdem nominibus loca in Tusculano suo Tullius habuerat.

Translata quoque veteres quaedam usurparunt laudis caussa, ut quum Imperatores suos *Parentes Patriae* appellarunt, Augustas vero *Matres Castrorum Senatus Ac Patriae* (5). cave tamen, antiqua censeas, quae Emeritae vetusto in lapide inscripta feruntur (6):

IMP · TITVS · CAES · VESP ·
AVG · PON · M · TRIB · P · V ·
COS · VIII · P · P · GENERIS
HVMANI · AMOR · ET · DE
SIDERIVM · ETIAM · VIVENS
IIII ·

quorsum haec quaeso in milliario? aut quid sapiunt? inepte omnino atque intempestive a Svetonio haec sumpta detortaque, qui Titi vitam sic inchoavit, *Titus cognomine paterno, amor ac deliciae generis humani.*

Nec tamen pro ipso nomine rei aliquando definitionem descriptionemque non recte usurpes: ut quum veteres pro *Natali Aug.* dixere *Qua Die Eum Saeculi Felicitas Orbi Terrarum Rectorem Edidit* (7): vel quum pluvialium imbrium rivos vocavere *Aquam Caelestem Dilabentem Montibus* (8), et similia. itaque nuper quum mihi quodam in titulo appellanda Medicina esset, hanc, Celsi usus periphrasi (9), *Artem Salutis humanae praesidem* nuncupavi:

(1) v. inscr. 234.
(2) v. inscr. 279.
(3) Vict. in Hadr.
(4) Spart. in Hadr. c. 26.
(5) Maff. M. V. p. 312. n. 4.
(6) Grut. p. 155. n. 3. Nogher. ad inscr. Ferrar. p. 24.
(7) Grut. p. 229.
(8) id. p. 180. n. 2.
(9) in praef. p. 11. ed. Com.

PIO · VI · PONTIFICE · MAXIMO
PRAEFECTVS · ET · CVRATORES · VALETVDINARI
DEPOSITORVM
EX · AVCTORITATE
IOAN · BAPTISTAE · REZZONICI · CARD · PATRONI
SCHOLAM · ANATOMICAM
ARTI · SALVTIS · HVMANAE · PRAESIDI
APERTAM · EXCVLTAMQVE
INSTRVMENTO · OMNI · ORNANDAM · CVRAVERVNT

has, opinor, periphrases, si neque inanis sententia subsit, neque longa oratione constent, jure nemo rejiciat: quod plane dignitatem inscriptioni afferre videantur. sed nisi modum retineas, vereor, ut doctis eas viris probare possis. adnotatum id jam a Longino (1), periphrasim in oratione, nisi moderate et scienter usurpes, ceteris figuris multo esse periculosiorem: ευθυς γαρ, inquit, αβλεμες προσπιπτει, κουφολογιαστε οζον, και παχυτατης, quidquid nempe circumloquutione immodice auxeris. quod si oratori etiam obesse id potest, quanto nobis magis, quorum scriptio tam angustis finibus continetur! nullis certe veterum exemplis tueri se ille possit, qui periphrases in titulis amet longiores.

Saepius autem συνεκδοχη sive ελλειψις occurret, ut TRIB · POT · pro *Tribunicia Potestate Ornatus*, EQ · PVB · pro *Equo Publico Honoratus*, AGRIPPINA · GERMANICI pro *Agrippina Germanici Vxor*, TRIB · MIL · A · POPVLO (2) pro *Tribunus Militum A Populo Creatus*. nonnulla etiam, quia non minus, quam haec, sermone ipso trita erant, paucioribus explicata vocabulis sunt, quam rei natura posceret: ut illa, *Ornatus Sententia II. Virali* (3) id est *Cui tributum, ut Sententiam in curia dicere possit inter Duumviralicios*: quod in honorariis inscriptionibus legimus, *Publice*, ut significaretur, statuam et auctoritate et pecunia publica esse constitutam (4): tum quae in epitaphiis saepissime scripta sunt, IN · FR · P · X · IN · AGR · P · XII ·, quibus indicabant, locum religiosum tot pedes quaquaversum patere. sic in honoraria Vespasiani inscriptione paucis verbis magistratuum notata incuria est (5): *Quod Vias Vrbis Negligentia Superiorum Temporum Corruptas Impensa Sua Restituit*.

Nec *Denominationem* in titulis raro veteres usurparunt. *Vicus* pro *Vicani*, *Colonia* pro *Coloni*, *Municipium* pro *Municipes*, vulgare est. *Domus* etiam aliquando pro ipsa familia legitur (6):

DOMVS · C · VALERI · HERMAISCI
TEMPLVM · SERAPIS · SCHOLA · (7)
FAVSTINIANA · FECIT · C ·
VALERIVS · HERMAISCVS · DEDIC · ID ·
DEC · BARBARO
ET · REGVLO · COS · (8)

quod ampliori etiam significatione Tullius de Academicorum secta veteri et nova (9), Seneca de omni familia philosophorum (10) usurparunt. quare eodem modo appellari posse duxi, qui Romae publica auctoritate rem familiarem administrant Nosocomii Rochiani, quo scilicet praegnantibus mulierculis valetudinaria ad puerperium patent, inscriptionemque hujusmodi rogatus olim confeci, quae tamen rejecta est:

(1) de sublim. n. 29.
(2) v. inscr. 82. 248.
(3) v. inscr. 134.
(4) v. inscr. 112.
(5) v. inscr. 89.
(6) Don. Cl. 2. n. 10.
(7) nempe *In Schola*.
(8) an. Varr. 910.
(9) Acad. l. 1. c. 4. n. 13.
(10) epist. 29. sub fin.

PIO · $\overline{\text{VI}}$ · PONTIFICE · MAXIMO
DOMVS · ROCHIANA · PRAEGNANTIBVS · RECIPIVNDIS
AD · INCREMENTVM · REI · FAMILIARIS
ET · SACRAE · VRBIS · CVLTVM
AEDES · LOCATITIAS · VETVSTATE · DILAPSAS
OPERIBVS · AMPLIATIS
A · SOLO · SVA · IMPENSA · RESTITVIT

Quae demum figurae verborum sunt paullo luculentiores, et apertiorem habent artem ac magis affectatam, eae, si gradationem exceperis, omnes repudiatae: atque ipsa etiam gradatione sic usi veteres, ut oratorum vim numerosque vitarent. exemplo esse potest pulcherrima illa Pompeii Magni inscriptio in delubro Minervae (1): vix enim in ea eminet figura, quamquam rerum gestarum enumeratio ita est instituta, ut a magnis ad majora semper progressio fiat. nam enunciata confecti belli diuturnitate, hoc primum indicatur, quot captae aut depressae hostium naves: tum quot oppida, quot castella in fidem recepta, denique quanta orbis terrarum pars imperio adjecta sit: atque ob haec tamdem delubrum, quod tantus ille dux voverat, merito Minervae dicatum dicitur. enimvero id Pompejus hac ratione adsequutus est, ut qui titulum legeret, non verba sibi, sed res propositas esse intelligeret, quas admiraretur. in his vero quam cavendum est, ne illa quoque enumeremus, quae ob humilitatem vel omnino omittenda, vel certe generatim tantum indicanda sint? eo nomine Theopompum a Longino perstringi video (2), quod scilicet Persarum regis iter per Aegyptum describens, et munera referens, quae undique a civitatibus ad eum per legatos mittebantur, vel materia singula vel artificio praeclara, his utres etiam et condimenta et saccos admiscuerit, itaque culinae quamdam imaginem adumbrarit. nec minori curae esse debet, ne quae postremum in locum reservemus, ea minus respondere prioribus videantur. quisque enim, quum multa uno in titulo enumerari videt, nescio quid maximum ultimo loco scriptum animo praesumit, idemque ad ultima quum devenerit, falsum se deceptumque, aegre ferre solet. id mihi etiam contigit, quum inscriptionem legerem, quae Mutinae nostra aetate in equestris statuae basi incisa est:

FRANCISCO · III · ATESTIO
QVOD
PROLATIS · IMPERII · FINIBVS
VIIS · MILITARIBVS
PER · ARDVA · MONTIVM · PATEFACTIS
VRBE · RENOVATA
ORDINATIS · LEGIBVS
AD · PAVPERES · EXCIPIENDOS
ALENDOSQVE · AMPLISSIMIS · AEDIBVS
EXSTRVCTIS
LITTERARVM · BONARVMQ · ARTIVM
STVDIIS · EXCITATIS
REIPVBLICAE · COMMODO
CONSVLVERIT
M V T I N E N S E S
PEC · PVBL · P · P · ANNO · MDCCLXXIII ·

(1) inscr. 32.

(2) de sublim. n. 43.

nam qui tot illa beneficia in civitatem contulisset, hunc reipublicae commodo consuluisse, jam initio noveram, nec solum omnibus, sed singulis etiam beneficiis plurimum profuisse putabam: itaque tot simul bonis aucta amplificataque republica, nescio quid majus de optimo Principe praedicandum videbatur.

Hae fere sunt verborum figurae, quas communis dictionis exempla exhibent. quae sententiarum appellantur, ex his non alia fortasse recepta, quam *Epiphonema*, quo item modestius usi veteres, quam poëtae aut oratores solent. neque enim a reliqua, ut fit, oratione sejunxerunt, sed in eadem inclusum latere quodammodo voluerunt. exemplum habes in ea inscriptione, quae in columnae Trajanae basi legitur (1); sic enim, perinde quasi Trajani operibus celebrandis minus verba suppeterent, inscriptum est, *Ad Declarandum Quantae Altitudinis Mons Et Locus Tantis Operibus Sit Egestus*. eodem spectat additamentum illud in Metelli elogio (2), *Quod A Condito Aevo Nulli Alii Contigit:* tum etiam laus illa in epitaphio, quod supra attuli (3), *Conjugi Plus De Se Meritae Quam Titulo Scribi Potuit*. cetera de genere hoc: ut plane constet, studio cavisse veteres, ne quid inscriptio exquisitum nimis aut fucatum habere videretur.

Quare nobis haud minus curae esse debet, ne pluris verba, quam res ipsas faciamus: idque tironem meminisse juvabit, nulla re magis extenuari inscriptiones atque auctoritatem amittere, quam si rerum forte inopia laborantes, grandia tenues conemur, atque a levibus tropis et inanibus verborum sonis temere ornamenta petamus. nisi quod illud, opinor, unum in his aliquid conferat, nec certe a prisca consuetudine abhorreat, si Graeca Latinave sententia tempestive utamur: cui sane in epitaphiis saepe est locus, siquidem haec ad privatos spectent. nam quia clausulae eam loco subjicimus, ut ut insignem figura faciat, nihil de epitaphii forma detrahit, nihil immutat: et leporis tamen aliquid affert ac venustatis, quod lectoris animum nec opinantis ad gravem aliquam cogitationem adducat.

(1) inscr. 91. (2) inscr. 289. (3) part. 1. c. 3. §. 3. n. 3.

CAPVT VIII.

De numeris modisque inscriptionum

I. Rudem equidem atque in his litterarum studiis hospitem dixerim, si quis inscriptioni, quo possit certare cum optimis, minime necessarium putet, ut ea numerose volubiliterque fundatur. nam venustatis plurimum et dignitatis in ipso numero est, quo dempto ea etiam, quae magna sunt atque praeclara, lucem amittunt. verum non ita de inscriptionis numero disserendum est, ut eam fere magis probemus, quae versum imitari melius videatur. imo ut Graeci olim Latinique oratores delectationis atque aurium caussa numerum a poëtica sic ad eloquentiam traduxerunt, quemadmodum orationis severitas pati posset; ita nobis ornandi gratia eum esse in numero modum adhibendum existimo, ut quantum inscriptionis genus postulet, tantum cuique tribuentes et auribus iidem et rebus ipsis servire videamur.

Vt autem non unum est inscriptionum genus, ita nec idem cuique numerus convenire potest. quis enim non videt, variis rebus diversisque personis saepe brevem orationem aptam esse, interdum longiorem; ac modo grandem, modo lenem omnino congruere? quo fit, ut nec semper eodem numero cadere possit, et modo incidenda sit, ne turgeat, modo fulcienda ac sustentanda, ne humi repere videatur. quin etiam tituli aliquando exsistant ejusmodi, necesse est, ut numerum in his, de quo loquimur, propter eorum brevitatem, nullum esse contendas: in quibus non ego me illum esse dicam, qui sonum unus audiam planeque hauriam: quamquam si verba vel pauca sic ad aures ferantur, ut non modo rem perspicue nos doceant, sed nullus etiam sit verborum, nullus litterarum asper concursus, in his quoque numerus jam esse aliquis videtur. nam contra quidem, si absurdius quid aut durius dictum fuerit, ut in fidibus vel in tibiis quamvis paullum discrepent, id fere a multis animadverti solet. neque is tamen est numerus, quem in plerisque inscriptionibus quaerimus, in quibus varii praeterea pedes, modo brevibus vocibus modo longis una periodo circumscripti, quemdam quasi concentum efficiant, sententiamque totam apte cadentes numerose suaviterque concludant. nam hic utique ille est numerus, quem maxime veteres sequuti sunt: sed iidem etiam ostenderunt, non eum semper, qui in uno inscriptionum genere apprime utilis sit, aeque bene in aliis usurpari: et esse genera quaedam, in quibus leni atque adstricta dictione utendum sit; alia, quibus sonantior numerus et magis volubilis sermo apte respondeat: ut quemadmodum tibicines ad cantus moderationem qua remissiores modos faciunt, qua intentiores; ita inscriptionibus numerus modo exilior a nobis atque modestior, modo grandior ac plenior aptandus sit.

II. Enimvero ad sacras primum inscriptiones quod pertinet, ob ipsam argumenti dignitatem liberius fere numerosa oratione veteres delectati sunt. atque ea quidem in simplicis dictionis exemplis minus percellit; quippe brevi haec verborum ambitu plerumque concluduntur: ita tamen in his etiam gravis est ac decora, ut numerum saepe satis jucunde hauriamus. nonne hic ipse votivae tabellae titulus numerose et apte cadit (1)?

(1) Fabr. p. 470. n. 109.

PROSERPINAE
SERVATRICI
SEX · VOLVMNIVS
PRO · AEMILIA · PETE
LINA · CONIVGE · SIBI
RESTITVTA
EX · VOTO · SVSCEPTO
ARAM · CONSECRAVIT

At iis in exemplis, quae ornatae dictionis sunt, cujus aures tam hebetes inveniantur, ut vocalem eorum numerum non accipiat? eminet sane inter illa Pompeii inscriptio, quae incitati amnis instar non sine sonitu et fragore devolvitur (1). sed aliarum etiam numeri fere modique insignes sunt. lege iterum quae in librum primum exempla congessimus (2): eam esse verborum collocationem animadvertes, ut nihil suavius nihil plenius ad aures ferri possit. et auget inscriptionum numerum ipsa Principis appellatio, ut etiam granditate verborum crescere videantur. nam res quidem non ita aliquando magnae, ut splendidis vocabulis omnes efferri possint. cujusmodi est, quae sequenti inscriptione designatur, quam numero tamen ceteris parum concedere fatearis (3):

LARIBVS · PVBLICIS · SACRVM
IMP · CAESAR · DIVI · F · AVGVSTVS
PONTIFEX · MAXIMVS
TRIBVNIC · POTESTAT · XVIIII ·
EX · STIPE · QVAM · POPVLVS · EI
CONTVLIT · K · IANVAR · APSENTI
C . CALVISIO · SABINO
L · PASSIENO · RVFO · COS · (4)

nec multa hoc alio in titulo narrantur; sed auctus idem est ac sonantior factus, adjectis ad notam temporis qui templo Dianae Nemorensis prope Ariciam praeerant, quique sacra ejus et reditus curabant. sublato enim *Rege Nemorensi*, qui fugitivus erat (5), ritus mutatos per ea tempora dixerim, quum Trajanus ipse Dictatorem se fieri passus sit (6):

DIANAE
NEMORESI · VESTAE
SACRVM · DICT · (7)
IMP · NERVA · TRAIANO · AVG ·
GERMANICO · III · COS ·
PRAEF · EIVS . T · VOLTEDIO · MAMILIANO
QVAESTORIB .
L · CAECILIO · VRSO · II · M · LVCRETIO
SABINO · II · AEDILIB · Q · VIBENNA · QVIETO
TI · CLAVDIO · MAGNO
P · CORNELIVS · TROPHIMVS · PISTOR
ROMANIENSIS · EX · REG · XIIII · IDEM · CVR ·
VICI · QVADRATI · ET · LANIA · C · F · THYONOE · CONIVX
EIVS · VOTVM · LIBENS · SOLVERVNT

Iam inscriptiones honorariae, quae fere publice positae sunt, numeros habent multo etiam insigniores: eae maxime, quae honores Imperatorum laudesque continent, senatus nempe populique Romani nomine celebratas. relege quaeso Augusti titulum ob Alpinas gentes devictas (8), relege qui Trajani potissimum nomen habent (9): non eos plane pro summa principis populi amplissimique consilii dignitate magnum quiddam so-

(1) v. inscr. 32.
(2) v. inscr. 33. 34. 35. 36. etc.
(3) Grut. p. 106. n. 4.
(4) an. Varr. 750.
(5) v. Svet. in Cajo c. 35. n. 7. et Serv. in Aen. l. 6. v. 137.
(6) Grut. p. 41. n. 7.
(7) *Dictatore*.
(8) v. inscr. 88.
(9) v. inscr. 90. 91. 92.

nare et aures complere inficiaberis. nec vero municipalium inscriptionum remissiores numeri sunt, quas saepe longa munerum publicorum enumeratio intendit atque sustentat (1):

T · VARIO · CLEMENTI · PROC ·
PROVINCIARVM · BELGICAE
GERMANIAE · SVPERIORIS · GERMANIAE
INFERIORIS · RAETIAE · MAVRETANIAE . CAESARENS ·
LVSITANIAE · CILICIAE · PR · EQ · AL · BRITANNIC · MILIAR ·
PRAEF · AVXILIORVM · IN · MAVRETANIAM · TINGITANAM · EX
HISPANIA · MISSORVM · PRAEF · EQ · AL · II . PANNONIOR · TRIB · MIL ·
LEG · XXX · V · V · PRAEF · COH · II · GALLORVM · MACEDONICAE
CIVES · ROMANI · EX · ITALIA · ET · ALIIS · PROVINCIIS
IN · RAETIA · CONSISTENTES

quibus interdum militarium quoque donorum mentio subnectitur (2), aut etiam laudatio aliqua ob rem publicam in magistratu recte administratam (3).

Quae autem inscriptiones in simplici dictione consistunt, ne illae quidem numeris carent suis, quod oratio earum perpetua sit, unoque exitu tota concludatur. lege, sis, exempla libri primi (4): nullum reperies, cujus non ea complexio verborum sit, quae volvi uno spiritu et possit et debeat.

Contra in epitaphiis rarius veteres longo anfractu et oratione perpetua usi, modos probarunt leniores: nam et sententias identidem diviserunt, et unamquamque ad spiritum vocis aptam esse voluere. id scilicet moerori etiam significando magis idoneum visum est: vix enim qui gravius dolent, sermone utuntur perpetuo. tum illud viderant, uno in epitaphio multa saepe commemoranda, quae cohaerere inter se, et una claudi periodo non possent. exemplo sit Seii nescio cujus epitaphium, quod si quis perpetua oratione efferre velit, non modo numeros tollat, sed ipsas quoque sententias perturbet (5):

D · M ·
C · IVL · C · F · FABIA · ROMA
SEIO · IVNIORI · VETERANO
AVG · MILITAVIT · IN · CHORTE
XI · VRB · 7 · VALERI · ANNIS · X ·
MISSVS · HONESTA · MISSIONE
V · IDVS · IANVARIAS · APPIO
ANNIO · ATILIO · BRADVA
T · VIBIO · VARO · COS · (6) VIXIT
ANNIS · XXXX · DIEBVS · XX ·
FECIT · IVLIA · PALESTRICE · CO
IVGI · BENEMERENTI

quaedam tamen clarorum virorum epitaphia invenias, quae magistratuum, curationum, militarium graduum enumeratione insigniora fiunt: sed haec etiam incisa quodammodo sunt, ut in his sententiae sint, quarum altera defuncti laudes et vitae anni, altera carorum officia extrema aut formulae quaedam sollemnes concluduntur (7). quae autem una perpetuaque sententia scripta sunt, ea fere brevissima, etiamsi ornata dictione constent; eademque aequabili orationis lenitate deducta esse animadvertes (8).

Porro hujusmodi pleraeque ex historicis sunt, Fasti in primis et quas *Indices* appellavimus: neque enim in his longae ornataeque dictioni locus, sine qua numeros remissiores esse necesse est. ceterum ab his longe abeunt operum publicorum inscri-

(1) Maff. M. V. p. 241. n. 5.
(2) v. inscr. 97. 98. 101.
(3) v. inscr. 99. 102.
(4) ab inscr. 71. ad 87.
(5) Fabr. p. 128. n. 50.
(6) an. Varr. 913.
(7) v. inscr. p. 138. 140.
(8) v. inscr. 139. 141.

ptiones, praesertim imperatoriae, in quibus stilus ipse adsurgit atque eminet, itaque et modos capit plane manifestos: quos potissimum in dictionis ornatae exemplis quisque sentit, nec sine jucunditate auribus accipit, ut etiam regustare saepius legendo velit. ex his Trajani inscriptiones numero ceteris fere antecellunt, e quibus haec quoque est (1):

IMP · CAESAR · DIVI · NERVAE · F . NERVA
TRAIANVS · OPTIMVS · AVG · GERMANICVS
DACICVS · PONTIFEX · MAX · TRIBVNIC ·
POTEST · XVIII · IMP · VII · COS · VI · SACRARIA
NVMINVM · VETVSTATE · DILAPSA
A · SOLO · RESTITVIT

huic tamen non impar, quam Hadrianus templo Cuprae Maritimae inscripsit (2):

IMP · CAESAR · DIVI · TRAIANI · PARTHICI · F · DIVI · NERVAE · NEP·
TRAIANVS · HADRIANVS · AVG · PONT · MAX · TRIB · POT · XI · COS · III ·
MVNIFICENTIA · SVA · TEMPLVM · DEAE · CVPRAE · RESTITVIT

crescere vero numerus ac sonantior fieri solet, si et operis publici caussam suspensa paullulum oratione exponere atque ornare possis: quod nuper ipse tentare ausus, inscriptionem quum conderem, quae via Veliterna figeretur.

EX · AVCTORITATE
IOAN · FRANCISCI · ALBANI
EPISC · OST · VELIT · DEC · CARD ·
ORDO · POPVLVSQ · VELITERN ·
VT · VIAM · APPIAM · TRAIANAM
PROVIDENTIA · PII · VI · PONT · MAX ·
POST · IMMEMORABILIS · AEVI · SPATIA · RESTITVTAM
CONSENSV · OPTIMI · PRINCIPIS
MVNICIPIO · CONIVNGERET
VELITERNAM · QVAE · VETVSTATE · INTERCIDERAT
SVBACTO · IVGO · PONTIBVSQ · CONSTRVCTIS
AD · APPIAE · MILLIARIVM · XVIIII ·
MVNIENDAM · CVRAVIT

In ellogiis autem hos quidem numeros non invenies: studio enim veteres rerum multarum complexione abstinuisse videntur, ne oratio exsultaret audacius. sed singulae res singulis sententiis, et numerose tamen apteque ad spiritum vocis expositae sunt. nam et spatio circumscriptae brevi, verbo item singulae ad certas mensuras clauduntur; nec dissimilitudine soni atque vocum ita inter se differunt, ut modi in tota oratione diffusi omnino lateant. itaque ellogium etiam impressiones habet quasdam numeris non continuis, sed tamen ejusmodi, ut orationem aequalibus prope intervallis metiri possis. atque haec distinctio et aequalium fere intervallorum percussio numerum conficit non injucundum: quippe illud caverunt diligentissime, ne verba extrema eodem syllabarum concentu ingratos auribus atque insuaves ederent sonos.

Constitutionibus denique publicis suus item est numerus, non idem omnino in singulis, sed tamen lenior fere atque remissior in omnibus. in legibus quidem, in decretis, in edictis prope oratorium esse dixeris; nam saepe in his relativo pronomine oratio inchoatur, et enumerationes fiunt et exornationes et narrationes: nec raro periodi

(1) Fabr. de C. Tr. p. 293. (2) Grut. p. 1016. n. 2.

occurrunt insignes, quae in locupleti etiam oratione legi possint. ceterum formulas singula suas habent et clausulas, quibus verborum ambitus infringuntur nonnihil, et oratorius ille retunditur numerus, ne aures nimium percellat. reliqua autem minus etiam adsurgunt, et tenui deducta filo epistolarum lenitatem aut moderatam historicorum dictionem imitantur. itaque vel articulis distincta brevibus, vix alium habent numerum, quam qui ex sono et varietate efflorescit verborum extremorum (1); vel si longior oratio, ea est in his verborum comprehensio, ut modico saepe initio, nec suspensa diu sententia, res, de qua agitur, ceteris protinus indiciis designetur; quae autem consequuntur, leniter singula molliterque considant (2); in quibus scilicet judicio aurium multa digesta, nec alia lege, quam quae Principis aut magistratuum orationem et dilucidam et gravem esse jubet.

III· Iam vero illud scire ex me pervelis, quonam pacto numerosa fieri inscriptio possit, vel etiam quatenus esse debeat. ego vero de inscriptionum numeris, quid tradendum sit, haud facile invenio. res quidem ipsa difficilis factu esse non debet; *nihil est enim*, inquit Tullius (3), *tam tenerum neque tam flexibile neque quod tam facile sequatur, quocumque ducas, quam oratio:* tum, ut ait idem (4), *hominum aures vocem natura modulantur ipsa:* ut ad numerosam inscriptionem quidquid opus est, id in promptu cuique esse videatur. sed quum praecepta et regulae requiruntur, ad veterum exempla tamdem veniendum est; quae tiro quum perlegerit, eum jam aures melius, quam magister, edoceant.

Sed tamen a collocatione verborum oriri numerum constat. haec enim inscriptionem junctam efficit, atque, ut ita dicam, levem et aequabiliter fluentem, quibus fere in rebus numerus consistit. de ipsa autem collocatione hoc praecipi potest, ne verba priora, cuicuimodi ea sint, cum consequentibus ita jungamus, ut aspere concurrant aut vastius diducantur; deinde ut vocum delectu habito, quae maxime illustres sint, disyllabas rarius recipiamus, iambumque pedem ac trochaeum frequentem segregemus, ut bacchio saepius et anapaesto et paeone utamur; tum etiam ut caveamus, ne quum ad intervallorum percussiones venerimus, similitudo litterarum et sonus idem redeat; neve praecipua tituli sententia, quae rem totam complectitur, ultra unius periodi fines excurrat; denique ne circuitu verborum utamur aut breviore, quam aures exspectent, aut longiore, quam angustiae spiritus patiantur.

Quia vero fit interdum, ut non omnibus vocabulis abstinere possis, quorum extremae syllabae eundem efficiunt sonum; hoc etiam addi potest, ea, ne alterum alteri obsonet, conjungenda esse, ut nihil sit intermedium. id quum Ciceroni in orationibus familiare fuit, tum antiquis in titulis servatum esse animadverti (5):

L · ATEIVS · M · F · CAPITO
DVOM · VIR · QVINQ ·
CVRIAM · TABVLARIVM
SCAENARIVM · SVBSELLARIVM · (*a*) LOCO
PRIVATO · DE · SVA · PECVNIA · C · C · N · F · (6) · COERAVIT
PORTICVS · CENACVLA · EX · DECVRIONVM · DECRETO · DE
SVA · PECVNIA · C · C · N · FACIVNDA · COERAVIT · IDENQ · PROBAVIT

sed tamen si minus nomina, verba certe, nisi ad formulas pertineant, loco movenda erunt, aut alia supponenda, ut varia sint sonoque diversa: quae sane mirum, quantum

(1) v. inscr. 312.
(2) v. inscr. 314. 315. etc.
(3) de Orat. I. 3. c. 45. n. 176.
(4) ibid. c. 48. n. 185.
(5) repert. an. 1777. prope Centumcellas.

(*a*) Novum hocce vocabulum non *subseliarium*, ut dederat Cl. Auctor, sed *subsellarium* reponendum curavi, fretus auctoritate Caj. Marinii, qui Fr. Arv. p. 527. et 608. lapidem hunc nitidissimis litteris insculptum accuratissime se legisse testatur.

(6) *Castronovanis faciunda*.

ad numerum conferant. id satis declarat inscriptio nec antiquissima, Caracallae scilicet, quae ad portam Exquilinam sive Tiburtinam, quam nunc Laurentianam dicunt, in veteri aquae Marciae ductu legitur (1):

IMP · CAES · M · AVRELIVS · ANTONINVS · PIVS · FELIX · AVG · PARTH · MAXIM ·
BRIT · MAXIMVS · PONTIFEX · MAXIMVS
AQVAM · MARCIAM · VARIIS · KASIBVS · IMPEDITAM · PVRGATO · FONTE · EXCISIS · ET · PERFORATIS
MONTIBVS · RESTITVTA · FORMA · ADQVISITO · ETIAM · FONTE · NOVO · ANTONIANO
IN · SACRAM · VRBEM · SVAM · PERDVCENDAM · CVRAVIT

quamquam autem historicarum inscriptionum ea fere numerosior habetur, quae uno in verbo tota conquiescat, ob eamque rem reliqua verba per casus tantum declinantur; id tamen valeat, si opus unum et unus operis auctor exstiterit; nam si bini fuerint, binae etiam quodammodo inscriptiones esse poterunt (2). tum ne is quidem improbetur, qui gemino utatur verbo, quo ejusdem operis duplicem molitionem fuisse, geminamque una in re curam susceptam esse demonstret. id antiquitus quoque aliquando factum scias, quin numerus inscriptionis periret (3):

IMP · TITVS · CAESAR · DIVI · F · VESPASIANVS · AVG · PONTIF · MAX ·
TRIBVNICIAE · POTESTAT · XI · IMP · XV · CENS . COS · VII · DESIG · VIII ·
RIVOM · AQVAE · MARCIAE · VETVSTATE · DILAPSVM · REFECIT
ET · AQVAM · QVAE · IN · VSV · ESSE · DESIERAT · REDVXIT

idcirco inscriptionem nuper amicus quum peteret, quam Bibliothecae convenire putarem, quae Neapoli Regis Optimi munificentia instructa est, hanc minime haesitans exaravi:

REX · FERDINANDVS · IIII ·
REGIS · CAROLI · III · CATH · F · REGIS · PHILIPPI · V ·
CATH · NEP · PIVS · FELIX · AVGVSTVS
ANNO · REGNI · XVIII ·
BIBLIOTHECAM · FARNESIANAM
VETVSTORVM · CODICVM · MONVMENTIS · INSIGNEM
OPERIBVS . A · SOLO · AMPLIATIS · DIGESSIT
LIBRORVMQ · OMNIS · GENERIS · COPIA · LOCVPLETATAM
PVBLICAVIT

Numerum inscriptionum infringunt nonnumquam annorum notae, magistratuum nomina, formulae etiam, quibus publica auctoritas designatur: neque enim initio semper, aut paucis, ut opus est, verbis efferri possunt. haec autem omnia, quum omitti nequeunt, commode ad calcem inscriptionis rejeceris, ut extra illius ambitum solitaria subscribas: atque id ex veterum praescripto fiet, quorum exempla exstant (4). haec sane sequutus, non aliter honorariam inscriptionem, quae Anconae in curia incisa est, haud ita pridem pertexendam putavi.

(1) Grut. p. 177. n. 1.
(2) v. inscr. 240.
(3) Grut. p. 177. n. 1.
(4) v. inscr. 38. 42. etc.

PIO · VI · BRASCHIO
PONT · MAX · PATRI · PATRIAE
QVOD · NOVAE · MOLIS · OPERIBVS · IVSSV · EIVS · COMMVNITIS
SVMPTIBVSQVE · PORTVI · PERFICIVNDO · SVPPEDITATIS
COMMODA · VRBIS · SVPERIORVM · PONTIFICVM
BENEFICIIS · AVCTA
LIBERALITATE · OPTIMI · PRINCIPIS · CVMVLATA · SINT
ORDO · ANCONITANVS
LOCVPLETATORI · CIVIVM
ADSERTORI · FELICITATIS · PERPETVAE
ANNO · MDCCLXXV ·
MAGISTERIO

PETRI · FRANCISCI · CAMERATAE · COM·
FRANCISCI · TORRIGLIONI · COM·
CAIETANI · EVANGELISTAE
MODERATORVM
REI · PVBLICAE

MICHAELIS · FAZIOLI
CAR · IGNATII · NAPPI · COM·
ALEX · NEMBRINI · GONZAGAE · MARCH ·
ALOIS · ANTONII · FERRETTI · COM·
CAIETANI · EVANGELISTAE
CVRATORVM

III. Reliquum est, ut eos inscriptionibus numeros modosque aptemus, quos forma cujusque, argumentique dignitas poscat: quo rei magis quam aurium rationem habuisse videamur. id nunc quosdam minus spectare dixeris: adeo vel minimis in rebus sesquipedalia verba ad speciem atque pompam festive contexunt. atqui nihil ineptum aut intempestivum moliri nos decet; minusque illum peccasse arbitrer, qui exiguo in argumento inscriptionem humi repentem fecerit, quam qui turgidam et alienis superbientem ornamentis. atque in privatorum quidem titulis remissiores fere modos optandos puto, ne quis insolentius gloriari videatur: nam ipse numerus orationem attollit et grandiorem facit: qui si lenis sit ac moderatus, monumenti quoque auctorem a pudore ac modestia commendabit. si autem de Principe agatur, stilo utique sublimi et numerosa oratione recte utemur, ut majestati ejus par in sermone dignitas esse videatur. tum ne illae quidem inscriptiones, quae senatus aut civitatis nomine fiant, attenuate potius ac presse, quam sublate ampleque fundantur: publica enim auctoritas eminere in his debet, quae maxime sermonis gravitate verborumque splendore proditur. quamquam si magistratus ipsos loquentes induxeris, qui ex senatus consulto aut decreto civitatis opus aliquod faciundum curaverint; nolim ita subnixi rem narrent, ut rempublicam universam humeris suis sustinere videantur. veterum inscriptiones, quae exstant, id generis, remissiore fere numero omnes deductae sunt. lege quae libro primo descriptae sunt, lege quas hic subjiciam; nihil utraeque habent, unde veteres magistratus de curatione sua magnifice gloriari videantur (1):

C · LVCTIVS · L · F · AVLIAN · Q · PLAVSVRIVS · C · F · VARVS
L · VENTILIVS · L · F · BASSVS · C · OCTAVIVS · C · F · GRAECHIN ·
IIII · VIRI
PORTICVS · P · CCLX · ET · EXSEDRAM · ET · PRONAON · ITER
ET · PORTICVM · PONE · SCAENAM · LONG · P · CXL ·
S · C · F · C ·

haec in Tiburtino municipio quatuorviri; nec plura fere in urbe consules inscribebant (2):

(1) Grut. p. 172. n. 3. (2) id. p. 176. n. 2.

P · CORNELIVS · P · F · DOLABELLA
C · IVNIVS · C · F · SILANVS · FLAMEN · MARTIAL · CoS ·
EX · S · C ·
FACIVNDVM · CVRAVERVNT · IDEMQVE · PROBAVERVNT

Inscriptionis tum honore contenti magistratus, non alias sibi laudes inanibus verbis ab operum cura vindicabant. has legeris in iis monumentis, quae post eruditam aetatem constituta sunt: quae interdum in ipsis Principum titulis occurrunt, ut in regis Theodorici inscriptione Tarracinensi (1), quae Pomptinas paludes ab eo siccatas testatur, *Operi Injuncto Naviter Insudante Adque Clementissimi Principis Feliciter Deserviente Praeconiis Ex Prosapia Deciorum Caeč. Mau. Basilio Decio V. C. Et Inl. Expf. Vrb. Exppo. Excons. Ord. Pat. Qui Ad Perpetuandam Tanti Domini Gloriam Per Plurimos Qui Ante Non Erant Albeos Deducta In Mare Aqua Ignotae Atavis Et Nimis Antiquae Reddidit Siccitati:* quibus plane verbis multo plura Decio tributa, quam Theodorico relicta sint.

Denique illud etiam animadvertisse juverit, quo te in genere inscriptionum exerceas. neque enim veteres, quod paullo ante indicavimus, eodem in singulis generibus numero usi sunt, eosdemque passim modos probaverunt. quare hoc statuas, velim, antiqua exempla ex eo ipso genere, quod attingere debeas, multa tibi ante legenda: sic fiet, ut quum lectioni aures adsueverint, ipsi se offerant numeri et respondeant non vocati; nec tamen alii sint, quam qui potissimum condendae inscriptioni apte conveniant.

(1) Grut. p. 152. n. 8.

CAPVT VIIII.

De scriptura inscriptionum

I. Parvis sane de rebus hoc capite acturi sumus, sed quas nosse non parvi interest. nam et a scriptura diligenti venustatem tituli habent, vel certe ipsa litterarum ac versuum elegantia legendi cupiditatem injiciunt. duo autem sunt, quae hic a nobis consideranda arbitror: primum quae verborum efferendorum ratio amplectenda sit; deinde quae litterarum, notarum, versuum forma esse debeat: quorum alterum quidem scriptor potissimum noscat, oportet, alterum lapicida; sed utrumque tamen a me tradendum est, quo, si necesse sit, rudis saepe atque indocti scalptoris manus industria alterius ad certam veterum normam dirigatur. at non hic uberem de Orthographia tractatum exspectes, de qua jam scripsere abunde post Manutium Paulli filium et Lipsius et Dausquius et Cellarius. illi te quid recte usurpari possit, quid non, accurate edocebunt. a me hoc habebis, quae scribendi ratio in titulis praeoptanda sit, quum antiqui etiam inter se dissentire videntur, et exempla nobis in utramque partem praesto sunt.

Nam quia ad inscriptionis cultum quemdam ornatumque conferre aliquid creditur antiquitatis imitatio; idcirco haerent nunc quidam in scribendo, neque litem audent dirimere, incerti utrum vetustiorem scribendi formulam sequantur, an quam Grammatici recentiores instituerunt. enimvero risum nunc debeat, si quem ipsa omnino Catonis scriptura delectet, de qua Iulii Pontederae praeclara exstat epistola (1): eam Latini magna ex parte jam repudiarant, quum inscriptiones in urbe frequentari coeptae. ex ea, quae diutius in titulis quoque mansere vestigia, haec fere sunt: AI pro AE, ut *Caisar*, *Bonai Deai*, *Serviliai*, *Aviolai*: EI pro E, ut *Civeis*, *Omneis*, *Genuateis*: EI pro I, ut *Devicteis*, *Salentinei*, *Vbei*: EI pro II, ut *Eidem*, *Spoleis*, *Doleis*: I pro II, ut *Deicito*, *Idem*, *Imperi*: O pro V, ut *Divos*, *Volnus*, *Perpetuom*: OE pro V, ut *Coeravit*, *Moenicipiis*, *Loedos*: V pro I, ut *Optumus*, *Maxumus*, vel pro E, ut *Faciundum*, *Dicundo*. sic et B pro P, ut *Collabsus*, *Obtio*, *Stibendium* et contra P pro B, ut *Apsens*, *Opsequenti*, *Optinuit*; quam in rem Quintilianus haec adnotavit (2): *Quum dico* Obtinuit, B *litteram ratio poscit*, *aures magis audiunt* P: quare aures quidam sequuti videntur, alii rationem. eadem de caussa D pro T usurpatum, ut *Quodannis*, *Adque*, et contra T pro D, ut *Aput*, *Set*. diu etiam placuit K pro C, ut *Evokati*, *Karissimus*, et N pro L, ut *Conlapsum*, *Conlato*, *Conlegium*; et Q pro C, ut *Pequnia*, *Aquitur*, et S post X, ut *Vxsor*, *Maxsumus*, *Vixsit*, *Paxs*, *Rexs*, et AD in compositis, ut *Adsertori*, *Adsignata* et hujusmodi, sed perraro ante P.

Haec ne vero omnia recipiemus, quia scripturae huic veterum auctoritas aliquando suffragata est? equidem quum de iis vocabulis quaeritur, quae duplici ratione scribi posse, antiqua exempla demonstrant, eam maxime scripturam probandam puto, quae nihil offerat asperum, nihil reddat obscurum: nam quae una semper fuit, ab ea, vel omnibus invitis litteratoribus, recedendum non est. quod si neutra e duabus vel asperior dici possit vel obscurior, tum denique eam potius usurpem, quae Augusti aevo

(1) Antiq. Epist. 1.

(2) lib. 1. c. 7. al. 13.

aut Tiberii in usu fuit, quam quae subinde invecta sit: quippe ejus item aetatis scriptoribus primas tribuimus. itaque non ego auctor sim, ut priscas diphthongos restituas, quae lectorem torqueant, vel O pro V, scribasque HOC pro HVC, quod sententiae obscuritatem afferre possit: neque ut N in compositis vocabulis passim retineas, quod plane aures respuunt, aut V malis, quam I, quod tristius mihi ac severius videtur. verum recte, opinor, cum vetustioribus scripseris *Praef. Iuri Dicundo, Pontem faciundum Curav., Loca Adsignata, Adsertori Libertatis, Kalendis Ianuariis.*

Antiqua etiam illa sunt, et omnino retinenda, e quibus subinde littera detracta est, *Parentium, Civitatium*, Varroni etiam probata (1): et quae intacta originem produnt suam (2), *Totiens, Quotiens, Aliquotiens, Quadragiens, Compluriens* et similia. sed quaedam reperies, quae aevo eodem alii alia ratione scripserunt; de quibus, quia litem nemo diremit, parum laborandum est, eaque praeoptanda cuique, quae magis adriserunt. ex eo sunt numero *Inchoavit* et *Incohavit, Consumtum* et *Consumptum, Hic* et *Heic, Monimentum* et *Monumentum*, aliaque id genus, quae in eorum libris invenies, quos de Orthographia scripsisse diximus.

Ad nomina Graeca quod attinet, quaedam in ΟΣ desinentia Latini more suo in ER extulerunt, ut *Periander, Menander, Phaeder, Antipater*. tum *Plato* saepius, quam *Platon*, contraque *Solon*, quam *Solo* legitur (3). feminarum autem littera H in recto terminata, si dativo casu efferrentur, sine diphthongo veteres scribebant (4):

D · D ·
VALERIAE
NICE
C · VALERIVS
AMERIMNVS
CONIVGI
B · M · F ·

neque id raro antiquis in exemplis animadvertes, quorum a me etiam alibi quaedam prolata sunt. at cetera verba, quae Graeca quidem origine, sed usu Romana esse viderent, vix unquam peregrina scripsere littera: *Hiems, Silva, Stilus, Lacrima, Inclitus, Clipeus* fere sine Y antiquis in lapidibus apparent: cujus loco interdum adscivere V: nam et *Clupea* et *Inclutum* et *Lacrumas* legimus. *Tropaeum* sine adspiratione Graeci etiam scripsere, nedum Latini: neque *Sepulcrum* cum H medio scribendum, quae Latina vox est a *Sepultum*, ne duabus consonantibus media intercedat adspiratio, quod minime rectum antiquis visum esse, ait Varro (5). cetera de genere hoc, quae tirones ante discant, quam ad haec studia se conferant.

II· Venio jam ad ipsas litterarum figuras, quibus verba reddenda sunt, lapidarias igitur litteras non modo antiqua omnes forma et primaria, sed, si titulus sublime locandus fuerit, omnino grandes insculpi oportere, primus omnium memineris. quod quidam quum non animadvertissent, inscriptiones eorum adeo minutis incidendae litteris fuerunt, ut de plano legi non possent. ob eam rem si fas, adire te locum velim, et monumenti lapidem inspicere; quo scias demum, quot verba singulis in versibus, quotque tota in tabula versus includi possint. quamquam non id eo consilio faciendum est, ut si tabula longe lateque pateat, plura unum in titulum congerantur, quam quae opus sint: quippe spatium illud totum, ut par est, impleri facile potest, aucta productaque litterarum forma omnium. hoc potius spectare debes, num tabula ejusmodi sit, ut ob spatii angustias inscriptionem simplici dictione confectam requirat, an ornatam etiam et plenam admittat.

(1) L. L. l. 7. c. 38.
(2) v. Ponted. ep. 2.
(3) habet Grut. p. 627. n. 13.
(4) Fabr. p. 306. n. XXXIII.
(5) apud Caris. p. 56. ed. Putsch.

Titulum deinde accurate in charta ipse scribes perfectum emendatumque, ea usus litterarum figura, qua incidendus sit, ut praeter litterarum mensuram scalpturamque nihil lapicidae arbitrio relinquatur. tale autem exemplar paraveris, ut singulis versibus litterae magnitudine inter se pares sint. nam si vel primos versus majusculis vel postremos aut medios minusculis totos litteris perscripseris; nemo id, dum quadratae omnes fuerint, contra veterum exempla factum arguerit. marmora sane in urbe ostendere possis permulta, in quibus inscriptionum partes quasdam majoribus litteris, ceteras minoribus incisas videamus: nec unus interdum aut alter tantum, sed plures admodum variant versus, ut in fratrum Arvalium actis, in decretis municipiorum, in Kalendariis, in legibus dedicationum, et hujusmodi: quippe, ut Maffejus quoque animadvertit (1), quae cuique jucunda aut magnifica, ea quisque illustriora esse volebat. illud non vidi, quod librariis placuit, qui Ferrarii inscriptiones iterum edidere (2), versus alternos majoribus perpetuo litteris scriptos. sed tamen praenomina et nomina et cognomina Principum majoribus fere litteris, quam cetera inscriptionum verba, antiqui lapides incisa esse demonstrant (3):

IMP · CAESARI · DIVI
TRAIANI · PARTHICI · FIL·
DIVI · NERVAE · NEPOTI
TRAIANO · HADRIANO
AVG · PONTIF · MAXIMO
TRIBVNIC · POTESTAT · XX·
IMP · II · COS · III · P · P ·
MAGISTRI · VICORVM · VRBIS
REGIONVM · XIIII ·

eodemque modo Deorum suorum nomina incidenda curabant, item aliquando et propria: scilicet monumentum intuenti auctores in oculos statim incurrerent (4):

MERCVRIO
C · ALBINVS · C · F · OVF ·
MASCELLIO · IIII · VIR · A · P · (5)
PRAEF · I · D · IVDEX · V · DEC · (6)
NOMINE · SVO · ET
IVLIAE · INGENVAE
VXORIS · ET
ALBINORVM
IVLIANI · MASCELLIONIS
INGENVAE · MONTANAE
LIBERORVM · SVORVM
V · S · L · M ·

quam sane versuum et litterarum varietatem nemo non libenter oculis usurpat, sive quod elegantiae argumentum est, sive quod legentem non parum juvat.

Praeterea animadversum est a Mazochio (7), quum inscriptiones in fronte excelsorum operum inciderentur, litteras secundi versus minores aliquanto factas, quam primi, et tertii minores item, quam secundi, et sic deinceps: ut qui a terra spectarent, iis omnes prope aequales viderentur. hoc se ille in titulo Campani Amphitheatri deprehendisse affirmat: hoc et Bandinius in Augusti obelisco se notasse testatur (8): nec uno

(1) Art. Cr. L. l. 3. c. 3. p. 166. in fin.
(2) Mediol. 1772.
(3) Grut. p. 249. n. 8.
(4) id. p. 51. n. 2.
(5) *Aedilicia Potestate*.
(6) *Quinque Decuriarum*.
(7) Tit. Camp. Amph. p. 2.
(8) c. 9. p. 44.

Romae in monumento videre adhuc licet, quamquam *ingentes*, quos Plinius memorat, *arcus* (1) *excessurosque templorum fastigium titulos* vetustas omnes delevit.

Addo et illud, veteribus monumentis, quae restituta essent, si praeter antiquam inscriptionem altera incideretur, quae operis restitutorem posteritati proderet, hanc secundam, nisi Principis nomen referret, minoribus omnino litteris inscriptam esse (2):

TI · CAESARI · DIVI
AVGVSTI · F . DIVI
IVLI · N · AVGVSTO
PONTIF · MAXIMO · COS · IIII ·
IMP · VIII · TRIB · POTESTAT · XXXII ·
AVGVSTALES
RESPVBLICA · RESTITVIT

ac minoribus item litteris usi veteres, etiamsi de restitutione operis versu primo mentionem facerent (3):

SVLPICIVS · COSMVS · REST ·
LARIBVS · AVG ·
SACRVM · ET
MINERVAE
NEMAVSO
VRNIAE
AVICANTO
T · CASSIVS · T · L ·
FELICIO · EXS
VOT ·

Dixi paullo ante litteras, ejusdem versus quae sint, pares esse debere: ita sane, si quasdam exceperis, quas veteres lege solutas esse voluerunt. eae sunt I potissimum et T: quamquam et aliae nonnullae fines suos aliquando praetergressae reperiuntur: hujusmodi est littera C (4):

I · O · M · SACR ·
VOTO · SVSCEPTO · PRO · SALVTE
IMP · DOMITIANI · CAESARIS
AVG · GERMANICI
PONT · MAXIMI · TR · POT ·
D · VETVRIVS · ANTIGONVS
D · VETVRIVS · SP · F · PHILO
D · VETVRIVS · ALBANVS
PATER · CVM · FILIIS · POSVIT

ac litterae C respondet interdum littera S, ut quum scribebant CoS. praeter has L quoque aliquando procerior quam reliquae litterae, eminet (5):

(1) in paneg.
(2) Brotier. ad Tacit. l. 2. c. 48. Fabr. p. 728. n. 447. v. inscr. 428.
(3) Maff. Gall. Antiq. ep. 5. v. inscr. 238.
(4) Grut. p. 12. n. 2.
(5) id. p. 64. n. 1.

SILVANO
AVG · SACRVM
IN · MEMORIAM
C · RVFI · ANTHI
IIIIII · VIRI
THALLVS · LIB ·
D · D ·

tum et Graecorum Y non semel exstare vidi (1):

V · F ·
C · VALERIVS
AGRIPPAI · L · ISMARVS
SIBI · ET
VALERIAI · C · L · APRILI
VALERIAI · ISMARI · L ·
PRISCAI
C · VALERIO · ISMARI · L ·
IMERO
VALERIAI · ISMARI · L ·
ISMYRINE
M · SATRIO · SVRO · GENERO

quaeres autem, quid caussae fuerit, cur litterae hujusmodi ultra altitudinem proximarum producerentur? nam ne I quidem vel ad geminas vocales vel ad longam designandam ceteris major facta recte dicitur; quippe ea forma usi veteres, sive EI referret, sive II, sive I longam sive etiam I brevem, ut hoc in exemplo (2), nec raro in aliis:

FLAVIAE
ATHENAIDI
AVGVSTALIS
AVG · LIB · TABVL ·
A · MVNERIB · ET
APPIA · IVSTINA
FILIAE · DVLCISSIMAE

reliquae autem litterae unam plane ac certam habent significationem, sive pares sive majores ceteris effictae sint. equidem hanc olim consuetudinem necessitate primum inductam puto, quum spatium litteris deesset, quo, T et I productis, ceterae his succederent ac spissius scribi possent: eandem deinde venustatis ergo esse celebratam, ut plerique inscriptionum ostendunt libri: quamquam, qui tot millia edidit, Fabrettus eas litteras, ut invenerat, reddere neglexit. enimvero probabilis etiam antiquis visa caussa est ejus consuetudinis, quotiescumque litterae ob vicinitatem perperam conjungi posse viderentur: nam exempli gratia DIVI si arctius scribantur, exsistat DM, et PONTIF· fiat PONTIF· quae vel alienam rem vel nullam designent.

III· Iam litterarum singularum qualis esse forma debeat, Trajani, opinor, Hadrianique monumenta demonstrant, quorum litteras in quadrato omnes descriptas dixeris atque ad quadrati fere mensuram aequis intervallis incisas: nihil certe distinctius scribi, nihil expeditius legi potest. ante ea tempora litterae oblongae placuerant; quae item venustate non carent, praesertim quum sulcus altius est actus; quem fere levissimum

(1) Maff. M. V. p. 141. n. 10. et p. 252. n. 4. etc.

(2) Grut. p. 591. n. 11. et p. 417. n. 3. 6. etc.

deprehendes in iis monumentis, quae post Antoninos statuta sunt; quamquam non ego hic contendo, quaecumque inscriptiones ejusmodi forma incisae sint, eas ad prima illa tempora solas pertinere; neque a Maffejo dissentio, quem verissime scripsisse puto (1), lapicidas singulis aetatibus exstitisse, qui rectas, quique distortas litteras facerent; titulosque ab his modo accurate atque eleganter, modo negligenter atque inconcinne inscriptos esse, ut ii omnino fallantur, qui plerumque a scriptura aetatem inscriptionum certe se nosse dictitant; publicis nempe in monumentis tantummodo formam apparere litterarum constantiorem, unde aetas monumenti aliquatenus significetur. illud addo antiquitatis olim repraesentandae caussa quosdam etiam fuisse, qui litterarum formas revocarent priscis tantum usurpatas temporibus; ut Herodes ille Atticus in villa sua Triopia fecit, quam propter Appiam habebat ad tertium ab urbe lapidem. exstant enim, quae inde avectae Neapolim sunt, columnae binae Ionicis inscriptae litteris (2)(*a*), quibus tum nemo Graecorum utebatur; Trajani quippe Hadrianique Augustorum aetate ille floruit. cujus quidem exemplo si quis ludos posteris facere velit, in nummis veterum atque aereis maxime in tabulis, priscas illas Latinarum litterarum figuras facile inveniet; sed tamen qui seriam rem agat, insolens id atque ineptum jure existimabit.

Auctor igitur lapicidis esto, ut elegantibus utantur exemplis, nec formas litterarum, nisi optimas perfectasque, probato. ob eam rem operi identidem adfuisse proderit, ne quam illi novae formae litteram temere inducant. A exempli caussa Graecorum communis et Latinorum littera habetur: at quum linea transversa hoc modo A in angulum flectitur, Graeca ab origine littera est (3), eaque forma in Latina inscriptione locum habere non debet, praeterquam in illo epitaphiorum initio

| A ☧ Ω |

Herma sane Tibure inventus, in Museo Vaticano nuper dedicatus est cum Graeca inscriptione, *αλφα* ejusmodi ter exhibente: quale Latinis in monumentis non apparet, in Graecis nec antiquissimis haud raro occurrit:

ΠΕΡΙΚΛΗΣ
ΞΑΝΘΙΠΠΟΥ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ

neque vero alia I consonantis, alia I vocalis forma esse debet, quemadmodum quidam sine auctore prisco voluerunt: nisi quod et I consonans ceteris procerior effingi potest, qualem in titulo vides, quem modo protuli. tum ne V quidem vocalis, more hoc recenti, in arcum inferne curvabitur: quamquam ea figura in vetustatis monumentis reperire aliquando sibi visus est Buonarrotus (4): nam V et vocalis et consonantis forma item in optimis eruditae aetatis exemplis eadem vulgo est: excipe Claudii Aug. tempora, quibus pro V consonante, eodem auctore Principe, digamma Ⅎ receptum est; quae littera non inutiliter, ut ait Quintilianus, adjecta ceteris (5), usui eo imperitante fuit, post oblitterata est (6): ut jam a Flaviorum aevo, nullo usquam in titulo digamma illud reperiatur (7).

(1) Art. Cr. L. lib. 3. c. 2.
(2) v. Montfauc. Palaeogr. lib. 2. c. 4.
(*a*) Harum columnarum inscriptiones edidit illustravitque Enn. Quir. Viscontius in opere, cui titulus: *Iscrizioni Greche Triopee, ora Borghesiane con versioni ed osservazioni*. Roma, 1794. 4.°
(3) Martor. Th. Cal. lib. 2. c. 5. p. 426.
(4) Oss. Vetr. p. XXII.
(5) Inst. l. 1. c. 7.
(6) Tacit. Ann. l. 11. c. 14.
(7) v. inscr. 259. et Grut. p. 119. etc.

Quid de apicibus dicam, quos ipso Augusti aevo vocalibus quibusdam superpositos vidimus (1)? consuetudinem hanc Vossius (2) recentiorem putabat, quam ut ejus ratio haberetur (*a*). at inscriptionibus, quas libro primo protulimus, addi etiam possunt Caii et Lucii Caesarum Pisana monumenta, quorum ipsam scripturam nemo non magni faciat, quum eam non aetas solum, sed publica etiam commendet auctoritas. non est tamen inficiandum, apices istiusmodi, nullo vocalium longarum aut brevium discrimine, saepe appositos temere ac sine caussa, ut qui castigate uti velit, huic a Quintiliano potius, quam a veteribus lapicidis petenda ratio sit. ejus autem sententiam ex ipsius verbis ediscito (3): *Longis syllabis omnibus apponere apicem ineptissimum est, quia plurimae natura ipsa verbi, quod scribitur, patent: sed interim necessarium, quum eadem littera alium atque alium intellectum, prout correpta, vel producta est, facit; ut* Malus *utrum arborem significet, an hominem non bonum, apice distinguitur.* Palus *aliud priore syllaba longa, aliud sequenti significat. et cum eadem littera nominativo casu brevis, ablativo longa est, utrum sequamur, plerumque hac nota monendi sumus.* hanc autem notam saepius fortasse ad vocalium latus, quam in ipsarum vertice effictam reperias, hoc scilicet modo (4):

DIS · MA'NIBVS
Q · VILIO' · CHRESIMO
B · M · VIXIT · A'N ·
LXXVI · FECE'RVNT
CASTVS · F · CLARVS
LIB ·

ita certe in plerisque Fabretti (5) exemplis apices appositos video: sed quae vetustiora sunt, in vocalium verticibus omnia fere notatos habent.

Illud etiam nosse interest, qua linea nunc utimur in fine versus, quum verbum ultimum deficiente spatio dividitur, et pars ejus ad sequentem transfertur, eam apud veteres quoque in usu fuisse: quam binae apud Fabrettum exhibent inscriptiones. earum haec prima est *Fratriarum* mentione nobilis, de quibus tam scite ac luculenter a Martorellio (6) scriptum est (7):


P · SVFENATI · P · F · PAL · MYRONI
- EQVITI · ROMANO · DECV -
RIALI · SCRIBARVM · AEDILI
VM · CVRVLIVM · LVPERCO · LAVRENTI
LAVINATI · FRETRIACO · NEAPOLI · ANTI
NOITON · ET · EVNOSTIDON · DE
CVRIONI · IIII · VIRO · ALBA
NI · LONGANI · BOVILLEN -
SES · DECVRIONES · OB · ME
RITA · EIVS · L · D · D · D ·

aliis in exemplis quas versus litteras non caperet, superne illas aut etiam inferne ad oram extremam adscriptas videmus (8): quod quidam in charta quoque scribentes factitarunt: nam de Augusto Svetonius (9), *Notavi,* inquit, *et in chirographo ejus illa*

(1) v. inscr. 33. etc.
(2) de Art. Gramm. l. 2. c. 8.
(*a*) Hanc Vossii opinionem docte admodum convellit Marinius Fr. Arv. p. 709. et seqq. ubi multa ad rem illustrandam more suo attulit.
(3) Inst. l. 1. c. 7. al. 13.
(4) Fabr. p. 168. n. 317.
(5) a pag. 167. ad 171.
(6) Th. Cal. lib. 2. c. 8. pag. 591.
(7) Fabr. p. 456. n. XVI.
(8) id. p. 260. n. 91. etc.
(9) in Aug. c. 87. n. 7.

praecipue: non dividit verba, nec ab extrema parte versuum abundantes litteras in alterum transfert, sed ibidem statim subjicit, circumducitque. nihil tamen his opus erit, siquidem ante tabulam ipse inspexeris, quam inscriptionis exemplar lapidario tradas: nam verba sic distribuere, ut singulis versibus omnia integra sint, nullius negotii rem esse, expertus fatebere. atque hoc pacto nexu etiam et contractione litterarum facile abstinere possis, quae elegantiae nihil habent, molestiae afferunt plurimum, haerentibus fere qui titulos legunt, et scriptorem maxime culpantibus, quod aequa ipse verborum partitione usus non sit.

Fateor equidem multas veterum exstare inscriptiones, in quibus ipsae diphthongi junctis vocalibus effictae sint, ac binae etiam aut ternae litterae paene unius spatio comprehensae: quid tamen? haec ne demum sunt, quae in antiquorum monumentis suspicere atque imitari debemus? adde, si nummos excluseris, in quibus ob spatii angustias litterarum nexu saepe opus fuit (1), inscriptiones, quae publica auctoritate incisae fuerint, enodes esse omnes nec ulla nexili littera deformatas: ut quae maxime nobis in pretio esse debent, quasque potissimum imitandas scimus, eae suum litteris quibusque spatium tribuendum esse declarent. ne tamen, si te aliquando nec opinantem necessitas premat, alios inducas litterarum nexus, quam qui a veteribus inventi sunt, exempla vidisse proderit, quae in Museo Veronensi vulgavit Maffejus (2), vel id saltem considerasse, quod tibi ab Hagembuchio deprompsi (3):



(1) v. num. famil. Vaillant.
(2) p. 147. n. 1. 2.
(3) Epist. Epigr. p. 475. et Maff. M. V. p. 454. n. 7.

id autem exempli ille idem sic legit, qui et praeclare illustravit: *Diis Manibus, Hic Situs Est Lucius Aelius Vrbicus, Qui Vixit Anno Vno Mensibus Quinque Diebus Quinque: Vnio Augusti Libertus Praepositus Stationis Turicensis Quadragesimae Galliarum Et Aelia Secundina Puero Dulcissimo Fecerunt.* animadversum item ab Hagenbuchio (1), quosdam ex antiquis marmorariis, ubi geminari litteram locus non patiebatur, eam grandiorem aliquando fecisse, ut vel binis vocabulis inter se junctis ipsa magnitudo pro duabus eam habendam significaret: ecce tibi e Grutero exemplum (2), in quo pro *Pompeii Iusti* leges *PompeIusti*:

TIB · POMPEIO
POMPEIVSTI · FIL ·
PRISCO · CADVR
CO · OMNIBVS . HO
NORIB · APVD · SVOS
FVNCT · TRIB · LEG · V ·
MACEDONICAE
IVDICI · ARCAE
GALLIARVM · III ·
PROVINC · GAL ·

vidi etiam ob spatii angustias litteram litterae superpositam, utraque imminuta (3):

Q · CERVIVS' L
PHILOMVSVs
VARIASIA ' SEX ' L ' CAESIA

tum notam quoque superadditam extremae vocali, quae litteram M desiderari indicaret, et supplere posset (4):

IN
HONORE
DOMVS · DIVI
NAE · DIS · MAIRABVS
VICANI · VICI · PACIS

Ceterum haec emendationis caussa usurpaveris, ne mendum a scriptore ipso prodiisse videatur. exemplar vero nihil horum exhibeat: in quo singulariae quoque litterae ac decurtata vocabula auctoris manu scripta sint, ne lapidarii, qui fere sibi aliquid sapere videntur, imperite aliquid atque intempestive novare audeant. cave autem verbo cuiquam litteras adimas intermedias: prisca monumenta habent COS· pro *Consulibus* CES · pro *Censoribus*; praeter haec vix aliud exemplum hujusmodi proferri possit. itaque veterem morem retineamus, ut quae verba non omnibus litteris scribenda censemus, ab his extremae tantum detrahantur. simul et illud servandum est, ut litterarum, quae remanent, ultima consonans sit: hanc enim veterum consuetudinem fere fuisse animadverteris: sic, exempli caussa, in titulo viae Flaminiae ad Intercisa, supra fornicem perfossi montis, quamquam vocabula octo sunt mutila, nullum tamen vocali finitur (5);

(1) Ep. Ep. p. 553.
(2) p. 455. n. 10.
(3) Mss. Giovenaz.
(4) Grut. p. 92. n. 1.
(5) id. p. 149. n. 7.

IMP · CAESAR · AVGVSTVS
VESPASIANVS · PONT · MAX ·
TRIB · POTEST · VII · IMP · XVIII · COS · VIII ·
CENSOR · FACIVND · CVRAVIT

antiquae etiam consuetudinis est, si vocabulum, quod omnibus litteris non scripseris, pluralis sit numeri, ultima ut littera geminetur (1):

MERCVRIO · ET
MINERVAE · DIS
TVTELARR · S ·

neque id tamen semper servatum est: ut de hoc valde laborandum non sit, nisi forte indicio illo opus esse contingat, ne quis legendo haereat, et vocabuli numerum ne quaerat.

Porro ad verba in primis, quae trunca scriberent, passim veteres interpunctione utebantur: tum plerique ad singula vel omnibus perscripta litteris: mitto quae puncta ad singulas prope syllabas apposita videmus; pauci enim haec iidemque inepti marmorarii induxerunt (2). sed permulta utique monumenta, praesertim publica, singulas inscriptionum voces puncto notatas exhibent: quae caussa fuit, cur Gruterus ea fere, ubi deessent, supplenda putaret: quippe veterem scribendi rationem a publicis monumentis petendam esse arbitrabatur. in quibus quum puncta vulgo appareant, marmorariorum inscitia vel negligentia, ubi haec desiderarentur, omissa esse existimabat. hic vero non dissimulabo, in exemplis describendis mihi etiam Gruteri rationem placuisse: ut sicubi puncta non invenerim, ego quoque, culpa in lapicidam aut librarium rejecta, audacter apposuerim. satis nimirum ex antiquis exemplis constare videbatur, morem hunc apud eruditos homines perdiu obtinuisse.

At non ii tamen punctum, ut quidam nunc faciunt imperite, ad ea quoque verba adfigebant, quae singulorum versuum ultima essent: nisi forte verbum ibi mutilum aut numerus aut singularia littera legeretur: haec enim apposite puncto notabantur, ut ea lector supplenda esse intelligeret; quamquam puncta ibidem loci vel in publicis monumentis non raro omissa esse, fatendum est; sive quod nulla sequente littera, quam quis perperam legendo conjungeret, inutilis ea nota videbatur, sive etiam quod lapidarii quidam hoc statuerant, verborum, quae in fine versus insculpta essent, eandem omnium rationem habendam esse. illud plerique servarunt, ne interpunctione uterentur ante QVE et VE: has quippe particulas nominibus verbisque conjunctas legendo pronunciabant: ubi tamen hae singulariis jungebantur litteris, interpunctio apparet (3).

Monendus demum erit marmorarius, ne puncta, ut multi mendose, ad litterae basim insculpat, sed ad ejus latus medioque fere in spatio, quod vocabula discriminat: monumenta eruditae aetatis non alio loco habent (4). praeter puncta autem, sententiarum quoque discrimina distinctionesque, de quibus Diomedes Grammaticus loquitur (5), aliquis forsitan usurpanda censeat: huic tamen auctor sim, ut communem scribendi rationem, si inscriptiones breves fuerint, non relinquat: in constitutionibus autem publicis, quae fere longa oratione exponuntur, eam, si libeat, notam usurpet, quam in Centumvirorum Vejentium publica Auctoritate (6) bis interpositam esse jam vidimus.

III· Sequitur, ut de numeris notisve sollemnibus aliquid attexamus. fuit qui Arabum notas, ut vocant, quas Arithmetici jamdiu receperunt, omnes Romanas esse con-

(1) Grut. p. 50. n. 7.
(2) v. Lup. Epit. Sev. Mart. §. 10. p. 67.
(3) v. inscr. 78. etc. et hic part. 1. cap. 6. §. 2. n. 2. etc.
(4) Maff. Art. Cr. L. l. 3. c. 2. p. 176.
(5) lib. 2. c. de Discret. p. 432.
(6) v. inscr. 309.

tenderet (1): easque in notarum libro, quae Tironis et Senecae appellantur, accurate descriptas demonstraret: easdemque in antiquo codice Geometricorum Boethii se vidisse testaretur, rationibus, ut nunc fit, ineundis subducendisque dicatas. huic vero gratiam Latini habeant, quod sibi hujus quoque felicissimi inventi laus tribuatur. quia tamen in titulis suis alias omnino, quam istas numerorum notas constantissime obtulerunt: profecto aegre ferant, si quis nunc lapidarias atque sollemnes Arithmeticis hisce plane obscuris privatisque posthabeat. nec vero hae specie formaque cum iis notis possunt contendere, quas in antiquis marmoribus incisas videmus: ut illae, elegantiae etiam retinendae caussa, rejiciendae sint.

Iamvero harum omnium, quas retinere debemus, varias figuras libro tertio dabimus. hic primum adnotandum est, non semper numeris usos veteres, quum magistratus recenserent: quod te jam animadvertisse arbitror nonnullis in titulis, qui praeferunt COS · TERT · COS ·, QVINCT · id est *Consul Tertium, Consul Quinctum*, ut Varro tradit (2), non *Tertio* et *Quincto*, ut alii olim legi posse existimabant. eodemque modo anni etiam, quot quisque vixisset, in epitaphiis expressi non semel (3):

DIS · MANIBVS
TITO · COCCEIO
PHILOCALO
FECIT · TITVS · COCCE ·
HERMES · PATRONO
SVO · BENEMERENTI
VIX · ANN · SEPTVAGINTA

verum figurae numerorum quum crebrius omnino in titulis usurpatae, quam nomina, quotiescumque non unius generis magistratus saepius ab eodem singuli gesti essent; tum fere semper, quum ceterarum rerum qualiscumque numerus prodendus esset, quemadmodum exempla superioris libri passim ostendunt. quaedam autem notae non semper magnitudine ceteris pares: nam veteres, quum iterum, tertium, quartum indicarent, notam postremam non raro produxerunt, hoc modo II· III· IIII· utrinque vero, quum Seviros designarent, IIIIII· hoc forsitan rati se consequuturos, ut extremis superne productis ceterae etiam notae fierent numeranti insigniores.

Nec primam numerorum notam vetustiores, ut nunc plerique ante V aut X ponebant, si numeros quatuor aut quatuordecim aut novem scribere vellent: notam potius quater usurpabant eandem, sic IIII· VIIII· XIIII· itemque ut quadraginta et quadringenta significarent, scribebant XXXX· et CCCC· potius quam XL· et CD· ceterum hanc quoque rationem florentibus etiamtum litteris usu Latini comprobarunt. atque iisdem temporibus linea superinducta numeros distinguere solebant, hoc pacto,

$\overline{\text{XIII}}$ · $\overline{\text{CLXI}}$ ·

quo numeros scilicet, quos forma a litteris non discriminat, linea demonstrarent. num autem ea numerum etiam augerent, ut nota

$\overline{\text{X}}$·

totidem millia designarent, libro tertio quaeremus.

Discriminis item caussa, in viarum militarium columnis, quae omnino ad iter metiendum statuebantur, atque ut numeri milliariorum insignes essent, paullulum fere infra titulum, eosdemque maximis notis incidendos curabant. tales potissimum apparent

(1) v. Calog. t. 48. p. 21. et Nicol. de Sigl. Vet. c. 16. §. 6.

(2) Gell. N. A. l. 10. c. 1. sed v. Grosippum sive Scioppium in Paradox. litterar. epist. 1.

(3) Grut. p. 93 . n. 15.

iis in columnis, quas nostra aetate detexit Ricolvius· propter viam, quae Nicea Monoecum ducit: hic autem quartae titulus est plane integer (1):

IMP · ANTONINVS
PIVS · FELIX · AVG ·
PONI · CVRAVIT

DCIII·

quin eadem de caussa non raro hisce in monumentis numerus ante titulum inscriptus eminet, ut in milliariis viae Appiae (2):

VIII·

IMP . CAESAR
DIVI · NERVAE · FIL ·
NERVA · TRAIANVS
AVG · GERM · PONT · MAX ·
TR · POT · VI · IMP · II · COS · III ·
PATER · PATRIAE
INCHOATAM · A · DIVO · NER
VA · PATRE · SVO · PERFI
CIENDAM · CVRAVIT

Sunt vero et aliae antiquorum monumentorum notae, quae nobis etiam usui esse possunt, ut quae centuriam aut centurionem significant: et quibus denarius aut assis partes vel mensurarum aut ponderum, et alia hujusmodi indicantur. ex his quae temporibus moribusque nostris conveniunt, jam elegi, earumque figuras libro tertio exhibebo: ceteras, a quibus ob earum obscuritatem et insolentiam nobis abstinendum est, in Ioannis Nicolai tractatu *de siglis veterum* reperies.

V. Restat, ut de inscriptionum etiam versibus nonnulla tradamus. nam etsi de his nihil apud veteres ratum diu atque firmum fuisse multis videtur; quaedam tamen diligentius servata, quam ut contemni possint. ac vetustiora quidem monumenta, quod Graecis familiare est (3), versus fere exhibent ejusdem omnes longitudinis. nec vero si deinde versibus alternis brevioribus longioribusve tituli maxime honorarii et sepulcrales scribi coepti, leges etiam et decreta eodem modo exarata sunt. prisco haec more passim scripta videas, paribus versibus; nisi quod singulorum capitum initium sinistrorsum a margine ducitur. tum ellogia etiam ab his raro discrepant: sacrae demum et historicae inscriptiones modo hac modo illa descriptae forma: ut eam cuique rationem sequi liceat, cui aptius marmor esse videatur.

Sed qui versibus imparibus titulum scribere voluerit, nolim ita partes ejus distribuat, ut elegiam quis lapidi inscriptam putare possit. vetus fortasse exemplum est nullum, cujus alterni versus omnes sint pares. ac primus fere brevior, aut si longior, brevissimum illi subjectum videas: qui autem medii sunt, ii omnibus latius patere solent. extremi saepe sic alternant, ut ultimus uno tantum aut altero verbo constet. neque tamen haec ad amussim omnia exigenda sunt: nec si versus paullo longior sententiam commode circumscribat, hunc tu breviorem feceris, ut distributionis elegantiae servias impensius. imo tibi curae esse velim, ut ea sit, quantum fieri potest, versuum mensura, quae orationis partes aequis intervallis exhibeat, sententiis lucem afferat, lectori, ad res intelligendas, aliquid prodesse possit.

Enimvero si majus unquam studium majorque in his diligentia collocanda est,

(1) Maff. M. V. p. 231. n. 8. (2) Pratill. l. 2. c. 7. (3) Maff. Art. Cr. L. l. 3. c. 1. can. 2.

eam in honorariis inscriptionibus describendis recte posueris: quo nempe ipsa tituli forma et concinna membrorum distributio statuae ipsi quodammodo atque basi ornamento esse possit. earum certe versus accuratissime ab antiquis distributos saepe animadverti: neque hic ego praeclarum tibi exemplum invidebo (1):

C · IVLIO · C · F · VEL · OPPIO
CLEMENTI
X · VIRO · STLITIB · IVDIC ·
TRIB · LATICL · LEG · IIII · FL · FEL ·
QVAESTOR · PROVINC ·
BAETICAE
TRIB · PLEBIS · CANDIDAT ·
IMP · ANTONINI · AVG ·
PRAETORI · CANDIDATO
EIVSDEM
PATRONO · COLONIAE
COLONI

quia vero deerant aliquando verba, quae apte versum implerent, nec loco movenda videbantur, quae superiori adtribuissent; sic bina haud raro vocabula diducta videas; ut latum sola versuum occupent, spatium utrinque medium complexa, quod illi venustum et intuenti non injucundum fore putabant (2):

CVRTILIAE · C · F · PRISCILLAE
SACERDOTI
DIVAE · AVGVSTAE
ORDO · VI · VIRAL ·

nec minus haec placuere, quum versus longitudine pares essent (3):

AELIAE · IVCVNDAE
COIVGI · B · M ·
ET · VICTORI · FILIO
EIVS · ITMARVS
AVG · LIB · FECIT

atque illud quoque antiquis in monumentis, quae multa sive militum sive sodalium, vel etiam libertorum servorumve nomina referunt, haud raro servatum diligenter animadvertas, ut extremam cognominis, saepe et nominis cujusque litteram a reliquis separarent, quo versus omnes longitudine pares facerent (4): quod haud ita pridem quum minime suboluisset, nactus quidam fragmentum antiquae inscriptionis, in quo unius laterculi extremae nominum litterae S tantum, et cognomina integra legebantur, elenchum se invenisse putavit sanctorum Martyrum, quorum in Vaticano templo reliquiae conditae essent. porro collegarum ejusmodi nomina quo pacto inciderentur, hic quoque exemplo indicemus (5):

(1) Murat. p. 1103. n. 7.
(2) Grut. p. 320. n. 12. v. Maff. M. V. p. 199. n. 1.
(3) id. p. 615. n. 5. v. inscr. 96.
(4) v. inscr. 96. l. 1.
(5) Fabr. p. 143. n. 162.

V · V · DE · S · P · (1) FECER ·

P · IVLIVS · P · L ·	ZENA	S	P · IVLIVS · Ɔ · L ·	STIPHALIV	S
P · IVLIVS · P · L ·	LARISTV	S	P · IVLIVS · Ɔ · L ·	PACCIV	S
P · IVLIVS · P · L ·	SOPHV	S	P · IVLIVS · Ɔ · L ·	SELEVCHV	S
P · IVLIVS · P · L ·	ZALEVCHV	S	P · IVLIVS · Ɔ · L ·	NEMEV	S
P · IVLIVS · P · P · L ·	AGASIA	S	P · IVLIVS · Ɔ · L ·	PEDERO	S
P · IVLIVS · P · P · L ·	ANTHERO	S	P · IVLIVS · Ɔ · L ·	DIADVMENV	S
P · IVLIVS · P · P · Ɔ · L ·	TAMPIANV	S	P · IVLIVS · Ɔ · L ·	GRAPTV	S
P · IVLIVS · P · Ɔ · L ·	PHONV	S	P · IVLIVS · P · P · C · L ·	HEGESANDRV	S
P · IVLIVS · P · Ɔ · L ·	HEVTVCA	S	P · IVLIVS · P · C · L ·	TELESPHORV	S
P · IVLIVS · P · Ɔ · L ·	STEPHANV	S	P · IVLIVS · P · L ·	TATVLV	S
P · IVLIVS · P · L ·	CHIRISOPHV	S	P · IVLIVS · P · L ·	ZETHV	S
P · IVLIVS · P · L ·	GALV	S	P · IVLIVS · P · P · P · L ·	ZENO	N
P · IVLIVS · P · L ·	DAPHANGORA	S	P · IVLIVS · P · P · P · L ·	MEDOCV	S
P · IVLIVS · P · L ·	GALVTIV	S	P · IVLIVS · P · P · P · L ·	NARDV	S
P · IVLIVS · P · L ·	TARPV	S	P · IVLIVS · P · L ·	AMATO	R
P · IVLIVS · P · L ·	THALAMV	S	P · IVLIVS · P · L ·	ASELLV	S
P · IVLIVS · P · L ·	THELEPHV	S	P · IVLIVS · P · L ·	GRATV	S
P · IVLIVS · P · L ·	PHILONICV	S	P · IVLIVS · Ɔ · L ·	ANASTASIV	S
P · IVLIVS · P · L ·	THYLLV	S			
P · IVLIVS · P · L ·	ARGVSERO	S			

IN · FR · P · XXXS ·

Vt vero hic Iuliorum libertos, ne quis legendo haesitaret, lineae ad perpendiculum ductae discriminant; sic aliis in titulis, quotiescumque versus binis sint aut pluribus ceris descripti, lineam intermediam videas, aut certe spatii aliquid relictum, in quo nulla littera. *Ceras* appello, quas quidam mendose *Columnas* dicunt: *ceras codicum* memorat Quintilianus (2), et *ceram primam et secundam* testamentorum Svetonius (3), quae utique in chartis membranisve scribebantur. versus igitur geminos purus veluti sulcus sic dividebat distinguebatque, ut inscriptio tamquam duabus in tabellis exarata videretur: itaque non ante pars illa altera legenda erat, quam quis primam oculo percurrisset (4):

C · SAVFEIVS · C · L · HILARAE
PAMPHILVS LIBERTAE
SIBI · ET SVAE

quaedam praeterea inscriptiones occurrent, quarum primi tantum et secundi versus, spatio divisi gemini sunt; qui autem subjiciuntur, singuli omnes; quo e genere est Hadriani et Sabinae titulus (5), item epitaphium a Publicia Glypte Niconi filio et Eutycheti vernae positum (6), quae superius protulimus. tertium a Grutero exemplum peti possit (7) tribus veluti inscriptionibus constans, quae versus infra binos habent communes: sed jam Maffejus (8) commentitiis haud immerito adnumeravit. neque enim credibile, quod ibi legitur, statuas tres ex auri pondo X · a Centurione Vespasiano Aug. et filiis positas, ne dum eas lapidea in basi locatas.

Ceterum si qua hujusmodi inscriptio tibi conficienda fuerit, haud inutile erit, ducta tum quoque linea priores versus dividere, ne quis legendo conjungat: discrimen sane aliquod vetera quoque marmora ostendunt (9):

(1) *Vivi De Sua Pecunia*. v. Fabr. p. 605. n. 48. et p. 612. n. 102.
(2) Inst. l. 10. c. 3.
(3) in Ner. c. 17. n. 2.
(4) Fabr. p. 7. n. XLIII.
(5) part. 1. c. 2. §. 3. n. 5.
(6) ibid. c. 3. §. 4. n. 1.
(7) p. 244. n. 2.
(8) Art. Cr. L. 1. 3. c. 4. p. 310.
(9) Fabr. p. 158. n. XXIV. v. Grut. p. 969. n. 11. p. 1100. n. 9. etc. Don. Cl. 5. n. 171. Cl. 7. n. 118. etc.

CN · TVCCIVS ✕ VETTIDIA
SEX · F · COL · Ɔ · L ·
PROCVLVS HILARA
O O
SEX · TVCCIVS · SEX · L · ZENO
EMIT · A · CN · MINVCIO
STEPHANO · OLLAS · III ·

contra alia quaedam, ut quae fastos referunt aut leges, vel decurionum, militum, collegarum quorumcumque nomina, quum haec pluribus fere laterculis sive ceris descripta sint, titulum initio habent communem, majoribus inscriptum litteris, qui spatium laterculorum superius, nulla linea sectum percurrat (1): quemadmodum paullo superius a Iuliorum libertis in monumento suo servatum esse vidimus, ac saepe alibi videre licet.

Antiquae item consuetudinis est, quum verbum nomenve commune duobus, post geminos versus, medio in spatio ad latus adscribitur; ut in ponte Ariminensi ad utramque loricam ultro citroque commeantes adhuc legunt (2):

IMP · CAESAR · DIVI · F · AVGVSTVS · PONTIFEX · MAXIM · COS · XIII · IMP · XX · TRIBVNIC · POTEST · XXXVII · P · P · DEDERE
TI · CAESAR · DIVI · AVGVSTI · F · DIVI · IVLI · N · AVGVST · PONTIF · MAXIM · COS · IIII · IMP · VIII · TRIB · POTEST · XXII.

eodemque modo post consulum nomina saepe apponebant COS· quod multis jam in exemplis vidimus. sic et duorum legatorum nominibus adjectum est LEG· (3) et alia aliis, quae pluribus communia essent. quin etiam, ne quis legendo haesitaret, adeo nempe veteres de inscriptionis perspicuitate laborabant, si qua forte adscripsissent nomina, quae multis convenirent, ea non intervallo solum, sed curvis quoque discreta lineis aliquando reperias: cujusmodi exemplum Maffejus nobis suppeditat (4):

C · IVLIVS · AVG · L · HELLEN
SIBI · ET
EROTI · PATRI ET
ZMYRNAE · MATRI ET
TRYPHAENAE · NVTRICI ET
EVPATORIDI (CAESARIS ET
PHOEBE (ET
SECVNDO (VERNIS ET
AEQVALI (ET
ILAIRE (ET
LIBERTIS · ET · LIBERTABVS · ET · POSTERISQVE · EORVM
IN · FR · P · XII · IN · AGR · P · XII ·

sic nempe Hellen vernas quinque sejunxit a suis, et genus eorum expedite indicavit.

Illud extremo subjiciam, etsi pleraeque inscriptiones versibus constant in rectum exaratis, non paucas tamen esse, quae in orbem curvatos habeant: ut olim in Iphiti disco legebantur verba, quibus Elei Olympiorum inducias indicebant, qua de re Pausanias (5), Ες κυκλου σχημα περιεισιν επι τω δισκω τα γραμματα. quaedam hujusmodi exempla Gruterus aliique exhibent: sed si lateres tegulasque exceperis, ceteros titulos in

(1) v. inscr. 96. lib. 1. et Fabr. p. 448. n. XII. et p. 598. n. 9.
(2) Maff. M. V. p. 365. n. 2.
(3) v. inscr. 315.
(4) M. V. p. 136. n. 1.
(5) lib. 5. c. 20. *in circuli figuram litterae discum ambiunt.*

orbem scriptos aliis in operibus non leges, quam quae orbiculata essent, ut clypei, ut paterae, ut nomismata, ut urnarum sepulchralium opercula, et id genus alia.

Magnis autem operibus, apud veteres, ut nunc intra templa in summa testudinum curvatura, nescio, an ullus unquam titulus in orbem inscriptus sit. ut ut res se habeat, id unum addo, quod jam a Caesare Domenico adnotatum reperi (1), titulum, qui in summo tholo ad orbitam extremam legendus sit, ita scribi oportere, ut litterarum veluti pedes in centrum vergant, vertices exeant a centro: quemadmodum nummorum quoque tituli scripti sunt. sic enim signa etiam et effigies quaecumque in suprema hemisphaeriorum parte locari pingive solent.

(1) Ortogr. delle lett. majusc. c. 16. ed. Rom. 1603.

CAPVT X.

De loco et ornatu inscriptionum

I. Quanquam scriptori perraro de tituli loco statuere licet; id enim juris architecti plerumque atque etiam fabri sibi solent vindicare: tamen, ne, si sententiam forte rogetur, aqua illi, ut ajunt, haereat, quaedam de hoc quoque praemonenda arbitror: simul haud inutile futurum puto, si quid etiam de inscriptionum ornatu addidero, ut ineptias idem, quantum fieri potest, removeat, et inscriptiones barbarie infici non patiatur.

Ad locum quod attinet, non ille semper eligitur, quem inscriptio sibi poscit: saepe omnino contingit, ut tituli ita sublimes figantur, ut legi non possint, vel ita abditis prostent sedibus, ut quaerendi sint: saepe etiam solitarios et procul a monumentis, de quibus loquuntur, temere incisos videas, ut quorsum spectent, pauci adsequantur. mihi autem de singulis inscriptionibus sic est agendum, ut quo quaeque loco olim legerentur, edocti, quamminimum a veterum praescripto recedamus.

Atque ut a sacris initium sumam, alium sibi locum dedicationes templorum, alium votivi donariorum tituli, alium denique monumenta sacrorum vindicabant. dedicationes enim in fronte ipsa aedium sacrarum grandibus inscriptae litteris legebantur. ac nullum quidem inscriptioni locum in templorum fronte adsignavit Vitruvius, qui de zophoro quum ageret, hoc tantum adnotavit (1), sigilla interdum in eo designari, quorum caussa zophorum quarta parte altiorem fieri jubet, quam epistylium, uti auctoritatem habeant scalpturae. sed dedicationes in zophoro etiam incisas esse, et nummi veteres ostendunt et templa ipsa, quae vetustatem pertulerunt (2). quaedam vero in epistylio tantum apparent, quaedam partim in zophoro partim in epistylio, quas Romae insignes adhuc templorum reliquiae ostentant: in tympano, id est triangulo illo in spatio, quod fastigii coronis clauditur, vix unquam inscriptionem fuisse puto. quippe illud anaglyphis et signis plerumque ornabant: Tiberii tamen nomisma exstat (3) cum templi pulcherrimi exemplo titulum in tympano referentis, S · P · Q · R ·

Non igitur suum inscriptioni locum tribuerunt, qui aut intra templum, aut in supero portae limine incidendam curarunt; nec qui sic in zophoro inscripsere, ut non frontem solum, sed etiam alterum aut utrumque templi latus percurreret. et mausoleis quoque magis, quam templis convenit inscriptio inter epistylium, et portam tamquam in tabula proposita, vel si haec corona et sima includatur; nisi forte rotunda aedes sit, nec habeat pronaon. neque enim tituli hujusmodi conspicui tantum esse debent, sed etiam alte eminere: quo nempe altius protuleris, eo apertius de toto aedificio loqui videantur, et legentium simul oculos ad totius molis adspectum attollant. idcirco in ipsis etiam aediculis, quas ad alas templorum excitamus, dedicationis titulus sublimis sit, ac fere in summo altaris fastigio legatur: quamquam si infra absidem atque inter columnas signum stet praecipuum magna in basi locatum, in hac inscriptio recte incidetur, eamque ad ipsam quoque aediculam quisque referet.

Votivis contra titulis locus in templo quilibet aptus videri possit: veteres sane nusquam non affixisse, jure dixerim. declarat hoc Plinius junior in epistola ad Roma-

(1) lib. 3, c. 3.


(2) Montfauc. Antiq. t. 2. p. 1. p. 102. 122.

(3) Vaill. t. 3, p. 105.

num (1), quem ad Clitumni templum invisendum invitat; situm id via Flaminia inter Spoletum et Fulginiam, ejusque multa adhuc vestigia manent: *Nihil*, inquit, *erit*, *ex quo non capias voluptatem. nam studebis quoque et leges multa multorum omnibus columnis, omnibus parietibus inscripta, quibus fons ille Deusque celebratur.* similia vero de Aesculapii templo apud Epidaurum refert Pausanias (2); qui et columnas memorat non alia de caussa constitutas, quam ut in iis nomina eorum inscriberentur, quibus Aesculapius medicinam fecisse videretur, historia etiam morbi et curationis adjecta; Στηλαι, inquit, δ' ειστηκεσαν εντος του περιβολου, το μεν αρχαιον και πλεονες, επ' εμου δε εξ λοιπαι. ταυταις εγγεγραμμενα και ανδρων και γυναικων εστιν ονοματα ακεσθεντων ὑπο Ασκληπιου, προσετι δε και νοσημα, ὁ τι ἑκαστος ενοσησε, και ὁπως ιαθη. γεγραπται δε φωνη τη Δωριδι. neque ab his discrepat Graeca inscriptio apud Gruterum (3), quae olim in insula Tiberina ad Aesculapii templum stetisse fertur. tum titulos aliquando vel extra templa fixos esse, inscriptio ostendit a Velsero vulgata (4):

MERCVRIO
CVIVS · SEDES · A · TERGO
SVNT
APPIVS · CL · LATERANVS
XV · VIR · SACR · FAC ·
COS · DESIGN ·
LEG · AVG · PR · PR ·
LEG · III · (5) ITAL ·
V · S · L · M ·


Quia tamen qui vota Diis solvebant, donum fere aliquod dabant, idcirco inscriptiones pleraeque in ipsis donariis incidebantur, quae caussa fuit, cur rei dono datae nomen non raro omitterent. quaedam autem e donariis insignia erant, ut arae e marmore, in quibus praeter anaglypta longae saepe inscriptiones visebantur. ex his nulla celebratior, quam ara Lugdunensis in templo, quod civitates Galliae Caesari Aug. decreverant; quippe in ea, ut auctor est Strabo (6), inscriptio erat gentium sexaginta, et imago singularum; Εστι δε βωμος αξιολογος επιγραφην εχων των εθνων ξ τον αριθμον και εικονες τουτων, ἑκαστου μια: quindecim nempe imagines totidemque nomina singulis lateribus expressa fuisse verisimile est. aliae tamen arae quamvis operosae brevem omnino titulum contractumque referunt, quem sertum e frondibus fere ambit; cujusmodi est ara Heidelbergae quadrifrons, signis nobilis et corona inscriptionem cingente (7);



(1) lib. 8. ep. 8.
(2) lib. 2. c. 27. *columnae vero intra septum constitutae sunt, pleraeque antiquitus, mea autem aetate sex reliquae. in his nomina inscripta virorum et mulierum, qui ab Aesculapio sanati sint, atque etiam morbus, quo quisque laboraverit, et qua ratione convaluerit. scripta porro sunt haec lingua Dorica.*
(3) p. 71. n. 1.
(4) Mon. Aug. Vind. n. 4. Grut. p. 51. n. 1.
(5) *Supple* Legato *Leg. III.*
(6) l. 4. p. 192. B. *ara autem est memorabilis, quae inscriptionem habet populorum numero sexaginta, et totidem imagines sunt, cujusque una.*
(7) Grut. p. 15. n. 9.

porro titulos hujus generis recte nunc quidam aereis argenteisve indere candelabris solent, quae in sacra altaria dedicantur, cereis ferendis, quos Caelitum sanctorum honori incendimus; eodemque modo in argenteis loricis inscribi possint, quibus per festos dies altaria protegimus.

II. Iam et parva veterum donaria, ut votivi clypei et sigilla et imagines marmoreae palmares saepe aut bipalmes titulo vix unquam carebant; in basi autem fere scriptus erat: etsi Graeci Hetruscique, quum statuas Diis donum darent, inscriptionem in dextro ipsarum latere incidebant (1); hunc scilicet morem satis barbarum jure Latini repudiarunt. sed non unum tantummodo basis latus, sed bina saepe inscriptioni adtribuerunt; ut in exigua basi, quae nuper Praeneste reperta est, signum olim sustinente, qualecumque fuerit, Fortunae Primigeniae Praenestinae dicatum: haec vero in illa duarum quasi partium distributio est,



torquet vero adhuc multos illud THESIS, quod aut idem est, atque ΑΝΑΘΗΜΑ sive *Donarium*; vel ablativum dixeris casum, velut si THESIAS locum appellarent, in quo aedicula altera esset e duabus, quas in templo Fortunae fuisse indicat Tullius (2)(*a*).

Si nulla in donario basis, quae titulum capere posset; non ideo omittebant: hic, exempli caussa, in aenei serpentis dorso legitur (3):

ASCLEPIO · ET · SALVTI · SACRVM
EX · VOTO · CALLIXSTVS · D ·

sic aliis in donariis occurrent, quaquaversus scripti : vasa vero et quidquid rotundum est, ad oram fere inscriptionem habent, eaque orbem plerumque implet (4). in puteo illo sacro, quem Paciaudus commentario illustravit, paullo infra labrum haec incisa per ambitum (5):

(1) Passer. Lett. Roncagl. XI. Calog. t. 23.
(2) de Divin. l. 2. c. 41. n.86.
(*a*) Viscontius tamen Mus. Pio-Clem. T. 2. p. 88. edit. Mediol. existimat, vocem *thesin* idem significare ac certam pecuniae vim, quae a litigatoribus ante judicium deponebatur, quamque auferebat qui judicio vicerat: hinc acute conjicit, Q. Cosidium ita donarium suum appellasse, ut omnibus innotesceret, se illud Deae dicare, dummodo imperator incolumis reverteretur. Litteras vero D. D. recte interpretandas esse *Donum Dedit*, satis aperte ostendit Zacchar. Inst. Lapid. l. 3. c. 4. litt. D. D. et Marin. Frat. Arval. p. 556.
(3) Fabr. p. 689. n. 109.
(4) Grut. p. 1011. n. 3. etc.
(5) edit. Rom. 1761.

APOLLINI · GENIOQVE · AVGVSTI · CAESARIS
L · APVSVLENVS · L · L · EROS · MAGISTER · PVTEVM · PVTEAL · LAVRVS
SACRVM · D · S · P ·

Quae monumenta sacrorum appellavimus, his locus in templo aut quae templo adhaerent, aedibus esse debet (1): pertinent enim ad religionem. itaque Kalendaria etiam sive Fastos in templis olim dedicatos legimus: in aede certe Herculis Musarum a Fulvio Nobiliore positos, tradit Macrobius (2); esto, suos Verrius Flaccus Praeneste in hemicyclo contra forum publicarit (3). maxime autem curandum, ut singulae hujusmodi inscriptiones quam minimum ab eo loco absint, de quo loquuntur: equidem, si, aedicula in templo aedificata, lex dedicationis incidenda sit, hanc in introitu atque in ejusdem columnis aut pilis legere velim. sic statim intelligam, quae in ea res designentur. ceterae tamen si anaglyphis aut musivo operi aut picturis subjectae fuerint, minus jam de templi loco laborabo, quum in ipsa horum conjunctione vel hospes rem facile possit attingere.

III. Venio ad inscriptiones honorarias, quae pessime a quibusdam acceptae, sede saepe sua carere coguntur. in ipsa urbe non unam ad parietes quoscumque legi solitariam, ingloriam, non statuae, non signo, non picturae subjectam: ut quid demum honoris caussa positum esse indicaret, reperire non possem. nam ridiculum est, quod quidam reponunt, inscriptionem de ipso lapide loqui, in quo incisa sit: id enim eo recidit, ut inscriptio de se ipsa loquatur; quod absurdum est, nec de ulla cujuscumque generis inscriptione affirmari potest. itaque si veteres unquam honorem hujusmodi lapidarium cuiquam tribuissent, alio infra titulo id ipsum declarandum esse existimassent. eodem vero spectant honorariae id temporis inscriptiones quae chartis tantum impressae, ubi quis magistratum aut curationem adeptus sit, aliae atque aliae sparguntur in vulgus: quarum ea elegantior atque illustrior haberi solet, quae ceteras versuum numero et siglorum, ut vocant, novitate antecellit. quid vero tot verba tanto hiatu sonant, aut quid tandem ob tot virtutes tot merita ejus, quem ornare volunt, factum esse narrant? hunc fere cantilenarum harum exitum esse video, ut scriptores ipsi *Perpetuum Grati Animi Monumentum Bene Merenti Se Fecisse* testentur: monumentum autem ipsa chartula est et inscriptio, quamquam id ne uno quidem indicant verbo: ut sepulcrum pōtius ab his paratum esse videatur. qui autem plus sapiunt, se *plaudere*, se *gratulari*, se *fausta omnia precari* subscribunt. verum post clarissimarum virtutum et factorum egregiorum praedicationem quis hanc quasi clausulam diu jam suspensus exspectet, quae nec praemium ullum nec laudem honoremve rependat? equidem sic existimo, si apud veteres genus hoc titulorum obtinuisset, numquam eos usuros fuisse, quin ad eum, quem laudarent, satis amplum munus cum inscriptione domum mitterent: simul eosdem gratulationem suam paucioribus verbis ac minime ambitiosis fuisse facturos.

Enimvero nulla est veterum inscriptio honoraria, quae non in arcu aut in basi vel statuae vel columnae, aut certe sub signo aliquo aut pictura incisa fuerit. id nos ipsa docet nunquam immutata verborum collocatio: dativo enim casu nomen ubique legas ejus, cui honos defertur; recto autem, eorum, qui detulerunt: tum verbum, sive scriptum sit, sive subaudire debeas, ejusmodi est, ut accusativum poscat, quem si adscripsere, non aliud sonat, quam *Arcum, Statuam, Bigam, Imaginem*, et si quid aliud

(1) v. Liv. l. 40. c. 28. n. 52. (2) Saturn. l. 1. c. 12. (3) Svet. de Gram. c. 17. n. 4.

clarorum virorum honori dedicabatur; si omiserunt, monumentum tamen non abfuisse intelligis, cui etiam constituendo locus qua senatus consulto qua decurionum decreto datus dicitur.

Sed luculentius testimonium ipsae sunt veterum monumentorum bases, in quibus pedum vestigia videmus, quae diem dedicationis ad latus inscriptum habent, quo die statuae nimirum non sine celebritate populo ostensae primum ac publicatae essent. in his basibus honorarias inscriptiones ab antiquis accepimus, vix unquam in sectili lapide: nam si quas nunc ejusmodi tabulae ostentant, ideo fit, quod transvectionis caussa ab immani basi per nostros lapicidas desectae sunt.

Extra basim vix aliud quidquam inscriptum legas: Graecorum enim veterum mos ille fuit titulum aliquem in ipsa statua inscribendi; ut in signis Sesostris circa Ioniam positis scriptas tradit Herodotus (1) sacras litteras Aegyptias ab humero ad humerum in pectore, hac sententia:

ΕΓΩ · ΤΗΝΔΕ · ΤΗΝ · ΧΩΡΗΝ
ΩΜΟΣΙ · ΤΟΙΣΙ · ΕΜΟΙΣΙ
ΕΚΤΗΣΑΜΗΝ

quaedam tamen Latinorum monumenta exstant honoris caussa constituta, quae voces aliquot extra titulum referunt, easque, ut Fabrettus animadvertit (2), modo in sima, modo in coronae regula, aut etiam in ipso statuarum quasi plintho incisas. nomen nimirum aut pars nominis ibi esse solet ejus, cui honos ille habitus sit, id est ultimum fere cognominum, quo maxime appellabatur, quod modo patrio, modo dativo, aliquando et accusativo casu efferebant. quin curatoris quoque nomen ibidem legas (3), interdum et oppidi, sive quod id, ut putavit Fabrettus (4), in ejus clientela esset, cui municipes statuam decreverant; sive potius, quod eo in oppido monumentum ab ejusmodi artifice factum esset, qui opera sua non sibi solum, sed patriae etiam laudi esse putaret. ceterum moris hujus in vetustioribus basibus nulla vestigia: neque ejus elegantiae inventum duxerim, ut revocare debeamus.

Perraro autem una in basi sive statuae sive columnae bis eandem veteres inscriptionem incidendam curarunt: contra fornices omnes utraque in fronte eandem referebant: in quibus non ad exiguae tabulae angustias contracta, sed versibus frontem totam, quantum patebat, percurrentibus explicata legebatur. atqui arcus quidam, uti quos Domitianus dicari sibi voluit, tantum patebant, ut eos Statius aliquando Iridi compararit (5).

III· Nonnulla jam de loco epitaphiorum dicenda, quae olim in columbariorum ollis, in sarcophagis, in cippis, sed stantibus semper erectisque; nusquam humi porrectis incisa sunt: si qui vero mausoleis inscribenda erant, marmorea in tabula, grandibus insculpta litteris, media in fronte locabantur. at pleraeque nunc inscriptiones in templis ultro citroque commeantium pedibus teruntur: quarum permultae jam Romae periissent, nisi eas clari viri, qui descripsit edíditque, sollertia ab interitu vindicasset. quae autem epitaphia marmore parietibus incluso prostant, saepe sine sepulcro posita videntur; nullus enim cinerum loculus, nulla urna apparet. id quam scite fiat, viderint architecti: equidem non intelligo, quid filii parentibus, quid viri uxoribus fecisse dicantur, ubi nullum sepulcri vestigium, nulla monumenti forma sit. si tamen cippus a terra surgit, facile cuique occurret, humatum infra esse, cujus in cippo nomen legat.

(1) lib. 2. n. 106. *ego hanc regionem humeris hisce meis adeptus sum.*
(2) p. 99. D.
(3) Grut. p. 1024. n. 5. etc.
(4) p. 100. L.
(5) Silv. 3. lib. 4. v. 97.

Sepulcrorum olim geminae interdum inscriptiones fuerunt eodem exemplo, nisi quod in prima numerus pedum *in fronte*, in altera numerus erat pedum *in agro* (1); nunc quia sepulcra parietibus haerent, una in fronte epitaphia incidimus: sed ad cipporum latera recte addes, quidquid epitaphiis adnecti solet. itaque ibidem non modo vitae anni et nota temporis, quo quisque decessit, sed salutationes etiam et sententiae morales et jura sepulcrorum incidi poterunt: haec scilicet veteres quoque non raro ab epitaphio separata in alterum aut in utrumque latus rejecerunt.

At si monumenti lapis opere anaglypho nobilis simulacrum defuncti referat, ita incidi epitaphium poterit, ut media imago sit, litterae partim initio, partim ad latera, ceterae infra legantur: ecce enim tibi ex Fabretti penu exemplum non inelegans (2): iconica in medio mulieris imago est pateram dextra tenentis, litterae vero sic distributae, ut distinctius nihil esse possit.



pleraque tamen sepulcra inscriptionem infra imagines habent totam; aut si defunctorum nominibus in summa fronte locus est datus; qui monumentum posuerunt, in ima fere leguntur.

Quod si sepulcrum veteris mausolei instar exstructum sit, in eoque praeter titulum tabulae etiam figendae sint, quae summi viri res gestas contineant; quem his denique locum tribuemus? id quidem superius jam attigi (3); sed addam hoc loco, quod a Svetonio accepimus (4), aeneas tabulas cum indice rerum ab Augusto gestarum, cujus exemplum Ancyrae est, non in Mausoleo ipso, sed ante Mausoleum statutas esse: quas Dio (5) χαλκας στηλας appellat πρὸς τῷ ἡρῴῳ αὐτου σταθεισας. eae geminae fuere (6) ac singulae ternis lateribus inscriptae; nam et Ancyrae totidem sunt versuum series;

(1) Gioven. Aveja p. 109.
(2) p. 281. n. 17.
(3) part. 1. c. 3. §. 2. n. 3.
(4) in Aug. c. 101. n. 7.
(5) l. 56. p. 832. B. *aereas pilas juxta heroum ejus positas.*
(6) Grut. p. 230 init.

neque sane par erat pilas inscribi, qua parte Mausoleo obversae spectandi legendique copiam non facerent.

V· Inscriptionum historicarum varia plane sedes; pluribus enim rebus aptantur. ut fastos illos forenses qui primus evulgavit Cn. Flavius, circa forum in albo proposuit (1), sic qui consulares deinde in tabulis marmoreis inciderunt, eos item in foro publicarunt; ibidem enim inventi, qui nunc Capitolini Fasti appellantur, aut prope forum in Comitio, ut tradit Gruterus (2). publico certe in loco legi debent, quum rei publicae annales sint, et omnibus noti esse debeant. pluribus autem tabulis incidendi sunt, ut de plano legi possint. qui singulis in tabulis singula decennia aut vicennia descripserit, is non parum cavisse videatur, ne diu laborent, qui certorum annorum magistratus aut illustria facta reperire velint.

Iam operum publicorum inscriptiones in ipsis fere eorum fastigiis eminebant. in zophoro habet arcus Emporii Iaderensis (3); in zophoro item antiquae Veronae portae (4), Pantheon vero Agrippae alteram in zophoro exhibet, alteram in epistylio. at ultra epistylium et zophorum ipsumque tympanum quaedam adhuc apparent in urbis portis aut aquarum antiquis castellis; nec fortasse ullum Romae aedificium publicum murorum mole adsurgebat, cujus non summum veteres ac praecipuum in fronte locum inscriptioni tribuissent. contra in pontibus, quo facile a commeantibus legi posset, in utroque eorum margine incidendam curabant; eademque de caussa quae viarum restitutores indicarent, columnis milliariis inscriptae: quamquam has in arcubus etiam sive janis aliquando insculptas esse constat (5), nonnumquam et in pontibus (6). ipsae vero columnae, quas nempe veteres secus vias statuebant, ut facientibus iter fatigationis multum notata inscriptis lapidibus spatia detraherent, Romam venientibus omnes ad dexteram occurrebant; quod milliaria nuper in agro Pomptino propter Appiam reperta me docuerunt.

Quaeret hic aliquis, num plures uno in monumento inscriptiones ex veterum consuetudine locum habere possint? dico autem binas ternasque simul ab antiquis probatas, quum unum idemque earum genus esset, nec ratio sive caussa dissimilis: ut ad statuam *Herculis Tunicati*, de qua haec Plinius (7); *In hac tres sunt tituli, L. Luculli Imperatoris de manubiis, alter pupillum Luculli filium ex S. C. dedicasse, tertius T. Septimium Sabinum Aedilem curulem ex privato in publicum restituisse: tot certaminum tantaeque dignationis simulacrum id fuit.* et binas adhuc aut ternas inscriptiones alia in urbe monumenta ostendunt, ea praesertim, quae ad aquarum ductus pertinent: in quibus suas primum conditores addiderunt, deinde restitutores suas. nec sane ingratum id hospiti esse potest, cui tota simul operis historia ob oculos ponatur. ceterum veteres, linea non raro transverse ducta, alteram ab altera discriminabant: quod in milliariis etiam columnis servasse video, exemplum ex Donio subjiciam e columna, quam olim septimum viae Appiae ab urbe lapidem fuisse existimo (8).

(1) Liv. l. 9. c. 34. n. 46.
(2) p. 289. init.
(3) v. inscr. 237.
(4) Maff. M. V. p. 193. 197. v. Cleriss. Mon. Nism. pl. 2.
(5) Grut. p. 149. n. 2. 7. etc.
(6) id. p. 151. n. 4.
(7) H. N. l. 34. c. 8. n. 19. §. 36.
(8) Don. Cl. 2. n. 87.

VII ·
IMP · CAESAR VESPASIANVS · AVG · PONTIFEX · MAX · TRIB · POTEST · VII · IMP · XVII · P · P · CENSOR COS · VII · DESIGN · VIII ·
IMP · NERVA · CAESAR AVGVSTVS · PONTIFEX MAXIMVS · TRIBVNICIA POTESTATE · COS · III · PATER PATRIAE · REFECIT

at uno in opere magnae molis, cujusmodi erant fora, theatra, circi, thermae, praeter inscriptiones sive singulas sive geminas, quae ad introitum in fronte eminebant, aliae etiam intus aliis in locis saepe erant, quae tamen a primis pendebant, nec ad opus universum, sed ad res singulas spectabant. tropaeis fori Trajani subscriptum fuisse EX MANVBIIS, superius adnotavimus. in Circo Neronis obeliscus is, qui nunc in area medius stat contra templum Vaticanum, in imo saxo dedicationem praeferebat, quam adhuc legimus (1).

DIVO · CAESARI · DIVI · IVLII · F · AVGVSTO
TI · CAESARI · DIVI · AVGVSTI · F · AVGVSTO
SACRVM

Qui autem locorum publicorum privatorumque indices sunt, iis locus in ipsis finibus, quos designant, tribuitur: pro terminis enim statui solent, ac plures fere eodem exemplo; nisi quod numero quisque suo distinguitur (2). quosdam et muris veteres includebant, si murorum ambitus pro fine esset (3). ceterae hujusmodi inscriptiones, in quibus contractus donationesve recensentur, iis utique locis figendae, de quibus loquuntur; ac si picturae, statuae, signa legata aut dono data sint, titulus sub ipsis recte scribetur, quemadmodum in templorum donariis fiebat.

VI· De ellogiorum loco satis jam libro primo dictum est. in foro illa atque in atriis domorum sub ipsis statuis legebantur. addo, his ne bibliothecas quidem caruisse: quippe ibidem veterum ac praecipuorum auctorum imagines dedicabantur (4): aliquando et viventium: qui honor M. Varroni in Asinii Pollionis bibliotheca habitus est (5) (*a*): harum imaginum bases ellogiis inscriptas fuisse, diserte tradit Sidonius (6): quamquam pleraque versibus confecta, quod jam superius indicavimus (7).

Veterum autem ducum ellogia, quae olim Romae descripta, in municipiis iterum incidebantur, parvis fere in tabulis inscripta esse videntur: neque enim Romanorum Imperatorum sumptus aequare municeps poterat: ac quidam certe veterum ellogiorum, qui exstant, lapides municipales et exigui sunt et parvis apti basibus, quales non ma-

(1) Grut. p. 288. n. 6.
(2) v. inscr. 259.
(3) v. inscr. 266. 267. etc.
(4) Plin. lib. 4. ep. 28. Svet. in Tib. c. 70. n. 5. et in Cajo c. 34. n. 5.
(5) Plin. H. N. l. 35. c. 2. n. 2.

(*a*) At si cit. Plinii locum attentius consideraveris, arguere inde haud possis, hujusmodi honorem viventibus concessum fuisse, sed potius Varronem illius artis inventorem haberi, qua illustrium virorum imagines typo quodam facillime chartis imprimi coepissent.
(6) epist. 16. l. 9.
(7) part. 2. c. 4. §. 5. n. 1.

gno foro conveniebant. porro hujusmodi bases, si forte quispiam domi aut in publico statuere nunc velit, non humi, non sublime locari par est, sed ad eam altitudinem, ut ellogia legi possint: ceteras, si quae Romano more magnis subjectae statuis, ellogium grandibus litteris insculptum capiant, quocumque has loco architectus constituerit, nemo minus commode locatas esse queratur.

Sed quid ego in his immoror? statuariam artem olim familiarem Italiae pauci jamdiu exercent: quare vel nullis, vel antiquis fere iisque ignotorum saepe virorum statuis et domorum atria et urbium ornantur fora: ut ellogia his raro aptari possint. picturae honor durat: itaque ellogia pictis potius tabulis subscribuntur, quae nobilium virorum pinacothecas implent.

VII. Suum denique locum constitutionibus publicis adsignemus, quem sane insignem nobilemque sibi vindicant. Capitolium plerisque sedem olim datam accepimus: de Antonio nimirum questus est Tullius: *Falsas leges C. Caesaris nomine, falsa decreta in aes incidenda, et in Capitolio figenda* curasse (1): ibidem et foedera, ut ait Polybius, servabantur (2), εν χαλκωμασι παρα τον Δια τον Καπιτωλιον. senatus quoque consulta, quibus C. Caesari honores illi humano fastigio ampliores decreti sunt, ad ipsos Iovis Capitolini pedes, ut Dio tradit (3), in argenteis columnis legebantur, aureis inscripta litteris. tabulae ipsae aeneae nominibus militum incisis, quibus honesta missio data esset, pleraeque in Capitolio figebantur (4): quo loco ipsa ponderum et mensurarum publicarum archetypa fuisse jam vidimus (5). itaque bello Vitelliano aerearum tabularum tria millia, Capitolio incenso, conflagrasse dicuntur (6).

At quaedam ex his extra Capitolium visebantur. de foedere cum Latinis omnibus icto illa sunt Tullii verba (7), *Quod quidem nuper in columna aenea meminimus post Rostra incisum et perscriptum fuisse*. aliorum foederum tabulas in templis depositas, veteres historici prodidere (8): in quibus aliquando et S. C. affixa sunt, ea nempe, quae ad religionem pertinerent. nam S. C. memorans Tacitus sub Tiberio facta de jure asylorum, quae Graecas per urbes plura jam statuta erant, quam opus esset, *Iussi*, inquit (9), *ipsis in templis figere aera sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem delaberentur*. ceteris vero senatus consultis in Curia etiam locus est datus (10). jam quae tabulae hospitales erant, eae in patronorum domibus et in municipiorum curiis adservatae (11). decreta actaque collegiorum in eorum scholis prostabant: sed decretorum aliquando exempla ad patronos etiam missa (12). Imperatorum rescripta, quae municipiis saepe pro legibus fuerunt, non aliter custodita puto, quam Romae leges. itaque Rescriptum Domitiani de subsecivis Falerienses in Capitolio fortasse servabant (13): nam apud eos quoque Capitolium fuisse, ex praeclara inscriptione nuper didicimus (14).

Quid edicta? quo tandem ea loco proposita? declarat Ausonius in oratione ad Gratianum Aug. (15), *Has ego*, inquit, *litteras tuas si in omnibus pilis atque porticibus, unde de plano legi possint instar Edicti pendere mandavero, nonne tot statuis honorabor, quot fuerint paginae libellorum*? sed haec ad tempus, ut leges ipsae, quum primum promulgarentur, in membranis linteisve perscriptae, e quibus fuit, quam Cajus Aug. de vectigalibus proposuit, sed contra consuetudinem, *minutissimis litteris*, ut ait Svetonius (16), *et angustissimo loco, uti ne cui describere liceret*. si autem edicta

(1) Phil. 3. c. 12. n. 30.
(2) Hist. l. 3. c. 26. *in tabulis aereis apud Iovem Capitolinum*. v. Liv. l. 26. c. 19. n. 24. etc.
(3) l. 44. p. 385. D.
(4) v. inscr. 318. 319.
(5) v. inscr. 320. 327.
(6) Svet. in Vesp. c. 8. n. 12.
(7) pro Balbo c. 23. n. 53.
(8) v. Maff. Diplom. p. 12.
(9) Ann. l. 3. c. 63.
(10) id. ibid. c. 57.
(11) v. inscr. 314.
(12) v. inscr. 328.
(13) v. inscr. 316.
(14) c. 7. hujus part. n. 2.
(15) p. 722. ed. Amstel. 1671.
(16) in Cajo c. 41. n. 1.

circa ea versarentur, quae perpetuo servanda essent; non secus ac leges, aeri aut marmori incisa publicoque in loco proposita sunt (1). atque haec satis; neque enim a veterum consuetudine multum descivimus, nec si quid mutatum est, id me auctore corrigendum quisquam putabit.

VIII· Vbi jam suam inscriptioni sedem tribueris, fiet aliquando, ut titulos quosdam breves addere debeas, more plane antiquo, quibus seorsum locus quaerendus est. nam et in veterum anaglyphis aliquando, in quibus exempli caussa militaria signa expressa sunt, nomina cohortium legimus, quae ea signa sequebantur. sic in ara apud Gruterum (2) aquila ad utrumque latus insculpta dicitur, atque hinc subscriptum AQVIL · LEG · V · MACED · illinc vero AQVIL · LEG · IIII · SCYT · nihil haec fere ad inscriptionem, quamquam ordinum ductorem fuisse designant, qui aram dedicavit. ob eam rem si alicubi titulos hujusmodi addere debeas, sic perscribas velim, ut litteris utaris minoribus, quam quae inscriptioni monumenti adtributae sint, et in effigie ipsa, quam designant, aut paullo infra inscribendos cures.

Eodem modo architectorum quoque et artificum nomina insculpenda sunt. fuere olim ex architectis, qui nomen suum signo potius, quam verbo in publicis operibus declararent: ut duo illi Lacones Saurus et Batrachus, *qui fecere,* inquit Plinius (3), *templa Octaviae porticibus inclusa: quidam et opibus praepotentes fuisse eos putant, ac sua impensa construxisse, inscriptionem sperantes,* primariam nempe in fronte monumenti, quae templa ab se dedicata ostenderet: *qua negata hoc tamen alio loco et modo usurpasse: sunt certe etiamnum in columnarum spiris inscalpta, nominum eorum argumento, rana atque lacerta:* quippe Σαυρος Graecis lacertus est, Βατραχος rana. Winchelmannus legendum mavult *in Capitulorum spiris*, quod nempe capitulum adhuc Romae exstat Ionicum, in cujus spiris lacerta et rana effecta est: quod ille non immerito ad Batrachi Saurique templa pertinuisse existimabat (4). at architectorum plerique, litteris usi, nomen operibus suum addidere, ad latera fere aut in angulo, sic, ut prope lateret. Veronae in arcu Gaviorum ad latus introrsum minutis litteris inscriptum legi,

L · VITRVVIVS · L · L · CERDO
ARCHITECTVS

qui titulus duplex ibidem est, sed qui ingredientibus ad laevam occurrit, additus fortasse recenti manu, ut putavit Maffejus (5). huic similis alter Puteolis legitur, ad veteris templi latus (6):

L · COCCEIVS
C · POSTVMI · L ·
AVCTVS · ARCHIT ·

ceterum in epistylio theatri Herculanensis post inscriptionem, atque in versu ejusdem extremo, quod paullo arrogantius factum videatur, non exiguis litteris apparet (7), P · NVMISIVS · P · F · ARCHITECTVS: quem honorem Sanmichelio quoque in Veronensi portae novae inscriptione tributum esse, Maffejus adnotavit (8). id nempe loci architectorum titulis vel datum vel non negatum, ut inscriptio ad totum opus referretur, cujus machinatores fuissent. artifices vero nomen quisque opusculis addebant suis, quae saepe uno in aedificio multa erant. sic aeneae illi pineae, quae olim in summo Hadriani Mausoleo stetisse dicitur, artificis titulus in zona adscriptus hujusmodi (9):

(1) v. part. 1. c. 6. §. 2. n. 4.
(2) p. 13. n. 17.
(3) H. N. l. 36. c. 5. n. 4. §. 14.
(4) Mon. ined. p. 4. p. 269.
(5) Art. Cr. L. l. 3. c. 3. p. 197. etc.
(6) Grut. p. 227. n. 2.
(7) Gor. Symb. Fl. t. 1. p. 42. 155.
(8) Art. Cr. L. l. 3. c. 3. p. 198. 199.
(9) Grut. p. 187. n. 6.


P · CINCIVS · P · L · SALVIVS · FECIT

si tamen opera uno in aedificio plura, nec unius omnia artificis essent, inscriptionem quandoque ipsi auctores addidere solitariam, quae sua cuique tribueret: *Plastae laudatissimi*, inquit Plinius (1), *fuere Damophilus et Gorgasus, iidemque pictores: qui Cereris aedem Romae ad Circum maximum utroque genere artis suae excoluerunt, versibus inscriptis graece, quibus significarunt, a dextra opera Damophili esse, a parte laeva Gorgasi.*

At statuas quod attinet, nomina artificum Graecorum non raro in ipsis simulacris insculpta: ut in signo Apollinis pulcherrimo, quod Verres Agrigenti ex Aesculapii fano sustulit, *cujus in femine*, inquit Tullius (2), *litterulis minutis argenteis nomen Myronis erat inscriptum.* aliorum nomina statuae in urbe habent non ita paucae, fimbriae interdum aut caligae aut plintho ipsi inscripta, in quo insistunt: atque haec fortasse basis erat statuae Herculis, de qua Martialis (3),

Inscripta est basis, indicatque nomen:
Λυσιππου *lego, Phidiae putavi.*

sed tamen in fulcro etiam statuae, in quo inscriptio dedicationis esse solet, sculptoris incisum nomen videas, minoribus utique litteris ac seorsum ab inscriptione, ut hoc in exemplo (4):


GENIO · ET · HONOR ·
L · POMPEI · L · F · POL · (5) HEREN
NIANI · EQ · ROM · EQ · PVB ·
Q · AER · P · ET · ALIM · (6) AEDIL ·
II · VIRO · CVRATORI
KALENDARIOR · REI · P ·
COLLEGIVM · PASTO
PHORORVM · INDVS
TRIENSIVM · (7) PATRO
NO · OB · MERITA

T · GRAE · TROPHIMVS · IND · FAC ·


Idem vero pictoribus quoque placuisse, saepe testatur Plinius (8); atque eum morem nostri jamdiu servant pictores, maxime a principe illo veterum monumentorum studiosissimo Raphaële Sancio, cujus olim egregiam tabulam Firmi in aedibus viri optimi Hannibalis Maggiori Comitis otiose sum contemplatus. est autem picturae argumentum Virgo sanctissima divinum puerum dormientem viro suo ostendens, velamine tenuissimo

(1) H. N. l. 35. c. 12. n. 45.
(2) Verr. l. 4. c. 43. n. 93.
(3) l. 9. epigr. 45.
(4) Maff. M. V. p. 230. n. 1.
(5) *tribu Pollia.*
(6) *Quaestori Aerarii Publici Et Alimentarii.*
(7) Industria opp. Liguriae.
(8) v. l. 35. c. 4. n. 10. et 12. n. 45. Val. Max. l. 8. c. 14. n. 6.

a cunis utraque manu reducto. porro in sancti senis Iosephi baculo ab eo scriptum deprehendi litteris perexiguis R · S · V · A · A · XVII · P · nempe *Raphael Sancius Vrbinas Anno Aetatis Decimoseptimo Pinxit.*

VIII· Denique de ornatu etiam inscriptionum addendum aliquid, ac primum de ipsa lapidis forma, unde non exiguum titulus ornamentum habere solet. sunt qui famam ab artificio expetentes, pro tabula marmorea aulaeum sibi in saxo durissimo effingi volunt vento agitatum, aut crispam papyrum repraesentari nondum omni ex parte evolutam, quae nempe titulum sic capiat, ut litterarum non paucas in latebra occultet: his maeandros et lemniscos addunt, et quas iidem volunt phaleras. quam riderent veteres illi architecti, si tantum portentorum nunc cernerent! de iis nempe inscriptionibus hic loquor, quae primariae sint, et quibus proprius in monumenti fronte locus tribuatur. nam pittacia interdum ectypis scalpturis expressa, inque his breves titulos antiqui etiam lapides referunt argumento anaglyptorum fere respondentes. quin et volumen magna ex parte explicatum videre licet insculptum veteri basi sive tabulae, donario nescioeui a P. Aelio Hilaro subjectae, quae etiamnunc in Museo Kircheriano est: in ipso autem volumine legas, DEDIC · K · IVN · IMP · T · AELIO · HADRIANO · ANTONINO · AVG · PIO · II · C · BRITTIO · PRAESENTE · II · COS · quasi hoc indicare Hilarus voluerit, carmen, quo donarii dedicatio peracta sit, de scripto dictum esse: nam et in Fratrum Arvalium actis, quae Marinius edidit, diserte legimus: IBI · SACERDOTES · CLVSI · SVCCINCTI · LIBELLIS · ACCEPTIS · CARMEN · DESCINDENTES TRIPODAVERVNT · IN · VERBA · HAEC · · · · · ceterum tituli ejusmodi non tam ad monumenti inscriptionem, quam ad ejus anaglypta pertinent: quare qui primariae quoque inscriptionis tabulam in eas formas figuret varietque, eum utique veterum exemplis abuti contendo: esto, artificis manum plerique mirentur, qui eam sibi speciem effinxerit marmore, et linteum aut chartam graphice expresserit: certe laudare volenti subeunt illa, *Non erat hic locus.* num enim quae sempiterna esse volumus, ea telis chartisque mandamus? veteres sane titulum quemque non modo lapidibus incidendum curabant, sed etiam muri compagibus inclusum corona fere ac sima, id est duplici quasi septo cingebant. quare non solum nullo in titulo stabili fixoque, sed ne in temporaria quidem inscriptione ea mihi lintei aut papyri imitatio placeat, si quid nimirum tela et tabulis ita compactum exstructumque sit, ut picturae ope stabilitatem operum publicorum referre videatur. Geniorum autem eminentes expressiones, qui saepe titulis ad decus et ornamentum adjiciuntur, ista conditione probari possunt, dum nulla inscriptionis pars porrectis manibus aut alarum opposita obtegatur. nam si quis forte erit, qui inscriptionis suae alia quidem verba legi velit, alia vero omnino nolit, is facilius profecto adsequetur propositum, haec si omiserit.

Inscriptionis tabulam corona definire, aut ductis lineis spatium in lapide ad scripturam designare, veteris consuetudinis est. quadrata autem forma fere placuit, nisi quod saepe elegantiae caussa trigona quaedam utrinque expressa videas, hoc modo (1):




hunc multosque alios hac figura lapides ad quodcumque fere inscriptionum genus vidit

(1) Lup. Ep. Sev. p. 49.

vulgavitque Lupius (1), et Latinis et Graecis notatos titulis, ut plerique veterum eam tabularum formam probasse videantur.

Bases tamen statuarum raro coronam, vix unquam lineas habent; quippe nec opus erat, quum basis vel ad parietem locata satis emineret, et angulis scripturam utrinque terminaret. illud in atriis nobilium singulare olim ellogiorum simul et imaginum ornamentum fuit, quod stemma sive sertum variis maeandris singulos majorum vultus et titulos cingeret: quo de more haec sunt Senecae verba (2): *Qui imagines in atrio exponunt, et nomina familiae suae longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima aedium collocant, noti magis, quam nobiles sunt.* eodem spectat, quod de Galba Aug. scripsit Svetonius (3), stemma ab eo, postquam Imperator renunciatus esset, in atrio propositum esse, quo paternam originem ad Iovem, maternam ad Pasiphaën Minois uxorem referebat.

Iam suus et litteris a colore ornatus accessit. *Minium*, inquit Plinius (4), *in voluminibus quoque scriptura usurpatur*, clarioresque *litteras vel in auro vel in marmore etiam in sepulcris facit*. consuetudinem autem ejusmodi perantiquam esse, nuper nos rubricati Scipionum tituli ad Capenam inventi docuerunt. aereae contra donariorum tabellae non raro litteras argenteas habuere, ut quam olim Romae descripsit Smetius (5):


MARTI · ET · FORTVNAE
C · ALFIDIVS · SECVNDVS
MILES · COH · XVII ·
D · D ·

huc pertinet, quod de Neronis Aug. carminibus narrat Svetonius (6): *Recitavit et carmina non modo domi sed in theatro, tanta universorum laetitia, ut ob recitationem supplicatio decreta sit, atque pars carminum aureis litteris Iovi Capitolino dicata.* monstrarant id Graeci, ut Plinius indicat his verbis (7): *Rursus mortales oraculorum societatem dedere Chiloni Lacedaemonio tria praecepta ejus Delphis consecrando aureis litteris.* porro et senatus consulta, quibus honores Augustis Caesaribusve decreti essent, argenteis interdum aureisve perscripta litteris, quod paullo ante Iulii Caesaris caussa factum vidimus. sed tamen quum haec et similia a senatu ob tribuniciam Drusi potestatem decreta essent, caerimonias Tiberius, ut a Tacito accepimus (8), temperavit, *nominatim arguens insolentiam sententiae, aureasque litteras contra patrium morem.* sed aereae in publicis monumentis passim receptae; et apparent adhuc antiquis in arcubus vestigia earum, hiantibus in sulco foraminibus clavorum, quibus infixae fuerant (9). eas saepe inauratas fuisse, item constat, quaedam auro illitae nunc quoque in Museis visuntur.

Quibus autem census brevis esset, neque his sumptibus par, ii aliquando elegantiae nonnihil inscriptioni se addituros putaverunt, si ad singula verba, punctorum loco, qua corcula, qua palmarum ramulos, qua flosculos quosdam affinxissent: quae sane non paucis adhuc in monumentis videmus, hominum tamen privatorum, quae fere exiguam habent auctoritatem, quum a ceterorum ratione dissentiunt. itaque jocularem eorum licentiam recte is demum imitabitur, qui molestiam legentis augere aut risum captare

(1) Lup. Ep. Sev. §. 8.
(2) de Ben. l. 3. c. 28.
(3) in Galba c. 2. n. 2.
(4) H. N. l. 33. c. 7. n. 40. Lup. Ep. Sev. p. 38.
(5) Grut. p. 55. n. 7.
(6) in Ner. c. 10. n. 9.
(7) H. N. l. 7. c. 32. n. 32.
(8) Ann. l. 3. c. 59.
(9) v. inscr. 78. 95.

velit. at in epitaphiis anchoras, pisces, ceteras religionis nostrae notas ac συμβολα, non inter verba, sed vel in ipso initio, vel infra titulum exprimere, id vero ex optimo more, atque ex antiqua consuetudine nemo esse inficietur, qui veterum sepulcra paullo diligentius considerarit. quae quidem etsi a privatis usurpata sunt, jure tamen ac merito revocaveris, non modo quia monumentum ornant illustrantque, sed etiam quia non paucorum temeritate, sed communi propè usu sunt et judicio comprobata.

Neque enim novum hoc plane Christianorum inventum putandum est, ad sepultorum tacitam laudem, et ad privatum religionis suae testimonium: imo hoc Romani vel ad mortuos commendandos; vel ad superstitionem suam declarandam jamdiu factitabant, quum majores nostri de ea consuetudine pie primum sancteque cogitarunt. Graeci nempe exemplo Latinis fuerant, qui in eorum sepulcris saepe hujusmodi ornamenta animadverterant, referam hoc loco Tullii verba, qui, quum esset in Sicilia quaestor, Archimedis sepulcrum a Syracusanis ignoratum primus indagavit (1): *Ego, inquit, quum omnia collustrarem oculis; est enim ad portas Agragianas magna frequentia sepulcrorum: animadverti columellam non multum e dumis eminentem: in qua inerat sphaerae figura et cylindri. atque ego statim Syracusanis, erant autem principes mecum, dixi me illud ipsum arbitrari esse, quod quaererem. immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum. quo quum patefactus esset aditus, ad adversam basim accessimus: apparebat epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum dimidiatis fere.*

Porro nihil in Latinis monumentorum cippis frequentius, quam sacerdotiorum, magistratuum, militiae, studiorum etiam atque artium vel insignia vel instrumenta. qui haec addere non possent aut nollent, ea effingenda curarunt, quae superstitionem eorum et mysteria significarent. enimvero ista omnia Christiani veteres sic adsciverunt, ut quum rejicienda profanorum hominum pleraque συμβολα merito ducerent, pro eorum papilionibus, lacertis, aquilis, cupidinibus, proque pateris, hydriis, sistris, lituis et hujus generis notis, suos ipsi pisces et columbas et palmas, cetera denique optarent sanctissimae religionis signa atque indicia, quorum delectum libro tertio instituemus.

Atque haec nunc in sepulcris usurpata parce et expressa eleganter quis non probet? praesertim si ad ejus religionem pietatemque referri possint, cujus memoriam monumento consignamus? equidem illa etiam veterum signa, quaecumque ab eorum superstitione remota sint, libenter recipio, quum egregiis virtutibus et claris factis designandis apta videantur. quare nuper, quum nobilissimi adolescentis epitaphium scripsissem, in quo is, qui monumentum fecerat vir clarissimus, vitam se bis ei debuisse profitebatur; auctor fui, ut coronae civicae duae in lapide insculperentur. sic alii, ad studia litterarum et disciplinas doctorum hominum indicandas, Archimedei sepulcri ornamenta imitati sunt: quidam etiam, quum sibi sepulcrum pararent, ipsi incidenda curarunt: ut Basileae magnus ille mathematicus Iacobus Bernoullius, qui lineam illam suam in spiram progredientem, de qua egregie scripserat, exprimi voluit, quae et mathematicum proderet et christianum: nam et hemistichio adscripto spem ipse suam indicavit:

EADEM · MVTATA · RESVRGO

At ornamenta hujusmodi epitaphiorum propria habeantur. haec enim, imo alia omnia ceterae inscriptiones repudiant: Kalendaria excipe, in quibus aliquando ad singulos menses singula signa expressa sunt (2). quae ornamenta in aris aut in statuarum apparent basibus, ea in lateribus efficta; in quibus nunc clypei cum gentis insignibus effin-

(1) Tusc. Disp. l. 5. c. 23. n. 65. (2) v. Bucher. de Doct. temp. p. 279.

gi possint: frontem inscriptio implet; cui sane nos quoque, quantum in lapide spatii erit, vel auctis intervallis et litterarum forma producta, totum recte tribuemus.

Haec habui, quae de toto inscriptionum artificio, multa veterum exempla scrutatus, in medium proferrem: quo antiqua titulorum ratio atque forma revocaretur. tertio jam libro ea exponenda sunt, quae ex veterum penu deprompta scriptorem titulorum ad priscam elegantiam exprimendam juvare possunt vel maxime.

PATAVII

TYPIS SEMINARII

AN. M. DCCC. XX.